Vols 1-6

DISSERTATIONES

SELECTAE

in

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol.
in Universitat. cath. Lovaniensi.

Tomus III.

MDCCCLXXXII.

RATISBONAE, NEO EBORACI & CINCINNATII.

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FR. PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

Approbatio.

Dissertationes in Historiam ecclesiasticam, auctore viro eximio Bernardo Jungmann, S. Th. et Philos. Dr., Historiae ecclesiasticae et Patrologiae in Universitate catholica Lovaniensi Professore ordinario, et ecclesiae cathedralis Brugensis Canonico honorario, novem annorum spatio exaratas atque ab auditoribus magno cum fructu exceptas, nunc primum, utpote ab omni, ut Nobis visum est, naevo immunes, atque solidissima doctrina refertas, approbamus et ultro imprimi permittimus.

Datum Brugis, hac 1. Junii 1880.

J. J. Epus. Brugens.

Opus quod inscribitur: *Dissertationes selectae in Historiam ecclesiasticam, Tom. III., auctore Bernardo Jungmann, Eccles. Cath. Brugens. Can. hon., Philos. et S. Theol. Doctore, in Univers. Cath. Lovaniens. Hist. eccles. et Patrolog. Prof. ord.*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 10. Augusti a. MDCCCLXXXII.

C. Pieraerts, Rect. Univ.

Dissertatio decima tertia.

De haeresi Iconoclastarum.

---

1. Quum in Occidente currente saeculo VII et VIII christiana religio felicissimo successu propagaretur ad varias Septentrionis nationes, quumque etiam in Italia et Gallià quamvis tempora essent infausta, ea eveniret rerum politicarum conversio, quae brevi post Ecclesiae summo fuit commodo atque utilitati: in Oriente res plane adversae acciderunt. Etenim non solum multae provinciae Imperii orientalis in Saracenorum infidelium redactae sunt potestatem, ibidemque christiana religio magna ex parte destructa est, sed etiam intestinis dissidiis Imperium illud admodum fuit concussum. Id praesertim accidit per *Iconoclastarum haeresim,* qua integro fere saeculo Orientis ecclesia vehementer fuit turbata. De rebus Occidentis sequenti Dissertatione tractabimus, modo de ista haeresi aliquanto fusius agemus. Indoles dissertationis.

2. Illud vero singulare habuit Iconoclastarum perversus error, quod, quum reliquae haereses ortum habuerint a viris ecclesiasticis, qui superba mente christiana mysteria audacius scrutari et explanare praesumebant: Iconoclastarum vesania auctorem habuit Imperatorem rei militaris quidem peritum, sed in rebus ecclesiasticis plane insipientem, qui crudeli etiam violentia errorem suum vin-

dicavit atque promovit. Eum secuti sunt in doctrina impia propaganda plures in Imperio successores. Lugenda autem ratione sese manifestavit in diuturna illa de sacris imaginibus lite, intestina quaedam orientalis ecclesiae infirmitas. Etenim quam plurimi Praesules orientales haud pro sui muneris officio veram doctrinam fortiter defenderunt, sed turpissima ignavia manus dederunt victas, Imperatorum impiis mandatis obsecuti sunt, imo et fallacia conquisierunt ex fontibus fidei argumenta, quibus errores fulcirent. — Quum vero Orientis Imperatores mandatis suis etiam provinciis occidentalibus ipsis subjectis, maxime Italis, impiam doctrinam imponere, cultumque sacrarum imaginum ibidem destruere tentarent, reluctantes autem incolas illarum regionum opprimerent, et contra barbarorum aggressionem tutelam iis denegarent et protectionem, paulatim haud mediocris inde provenit rerum mutatio. Suam videlicet in Italos dominationem Imperatores mox penitus amisere, dominium temporale Romani Pontificis sensim formatum est, demum vero per coronationem Caroli Magni conditum est sacrosanctum illud Imperium Romanum Occidentis.

3. Haud mirum est, Ecclesiae adversarios uti aliis in quaestionibus, ita etiam quoad historiam haeresis Iconoclastarum stilum suum in Ecclesiam catholicam acuisse, partesque illorum haereticorum suscepisse. Qua de re sufficiat ea citare quae cl. Palma habet. „Est hoc communiter receptum, inquit, inter homines ab Ecclesia catholica alienos, ut vel excitatas gravissimas de religione controversias levitatis accusent, vel dissidia quae ob negotia magni momenti in Ecclesia sunt commota, imprudentiae ac dominandi cupiditati praecipue tribuant, qua RR. Pontifices in iis rebus pertractandis animatos fuisse contendunt. Perspicuum hujus rei continent testimonium, quae Protestantes passim affirmarunt de oborta saeculo octavo controversia inter sacrarum imaginum hostes et catholicos, qui vetustissimum piumque imaginum sacrarum cultum propugnabant. Superstitioni enim deberi cultum hunc acatholici affirmant, de superstitione tollenda

adversarios imaginum laborasse, quaestionem de ea re non talem esse potuisse, ut Ecclesiae tranquillitas perturbaretur, RR. Pontifices praesertim imprudenter se ac intoleranter in ea re gessisse. — Ad hoc confirmandum satis est ea legere, quae in *Historia Scriptorum ecclesiasticorum litteraria Guilelmus Cave* perstringit *in conspectu saeculi eiconoclastici.* Contemnit enim ibi memoratum superius imaginum cultum, per superstitionem illum invectum ait, leges contra imagines latas commemorat veluti sapientes, promulgatas ab hominibus boni reipublicae et Ecclesiae studiosis, conventus ab episcopis iconoclasticis per vim metumque habitos veluti legitimos traducit et tanquam auctoritate praeditos, Ecclesiae conventus catholicos vero vituperat, Romanos Pontifices cultus imaginum assertores aspernatur, atque oecumenicum Ecclesiae habitum in ea causa Concilium septimum irridet, cujus participes praesertim fuerint *miselli utique monachi patriarcharum nomina ac personas splendide ementiti.* In eamdem sententiam locutus est de memorata controversia *Moshemius* in *Instit. Hist. Eccl. saec. VIII. P. II. cc. 2 et 3.* Totam denique, ut caeteros praeteream, totam, inquam, hujus facti historiam *Potterius* perturbat in suo opere *De l'esprit de l'Eglise Tom. II. c. 19*, illamque in catholicorum dedecus convertere conatur" [1]). — Vides, quaestionem de haeresi Iconoclastarum tum natura sua et propter eventus ei connexos, tum propter calumnias adversariorum Ecclesiae, haud mediocris esse momenti. Ut vero ex ordine quae ad illam aetatem pertinent pertractemus, et accuratior habeatur notitia conditionis rerum ecclesiasticarum, primum agemus *de Concilio Trullano ac de statu rerum ante exortam haeresim Iconoclastarum*, dein *de Iconoclastarum haeresi, de Concilio oecumenico septimo*, et *de eventibus post hoc Concilium.*

4. Consuli possunt de his quaestionibus praeter varios auctores quos in Dissertationis evolutione citabimus. Baronius et Pagi, *Annal. eccl.* — Pagi, *Breviarium hist.* Scriptores.

[1]) Palma, Praelect. Tom. II. c. 1.

Pontif. Rom. — Nicephorus, *Breviarium historiae,* ed. Petavii, Par. 1616. — S. Joannis Damasceni, *Apologiae contra Iconoclastes,* Opp. Tom. I. — Theophanes, *Chronographia* ed. Petav. Par. 1616. — *Acta S. Andreae,* Bolland. Oct. VIII. p. 124. — Bellarminus, *Controvers., De ecclesia triumphante, L. II.* — Natalis Alexander *Histor. Eccles. Saecul. VIII., Cap. II. Art. I; Dissert. I—VI.* — Palma *Praelect. hist. eccl. Tom. II. P. II. C. I—IV.* — Muzzarelli, *De auctoritate Rom. Pontificis etc. Tom. II. C. XI.* Maimbourg, *Histoire de l'hérésie des Iconoclastes.* — Schlosser, *Geschichte d. bilderstürmenden Kaiser*, Frankfurt 1812. — Marx, *Der Bildersturm etc.* Trier 1839. — Hefele, *C. G. B. III,* et *Tüb. Quartalschr. 1857. 4.* — Hergenröther, *Photius, B. 1. 9. 10. 11; K. Gesch. B. I, S. 528 ff., B. III, S. 121,* et auctores ibi citati.

I.

De Concilio Trullano ac de statu Ecclesiae.

Concilium Trullanum.

5. Quum quae in Ecclesia orientali post Concilium oecumenicum VI acciderunt attingimus, maxime convenit paucis agere de Concilio quod *Trullanum* vel etiam *quinisextum* dicitur. Per hoc enim concilium disciplina Orientalium, quatenus in aliquot capitibus a disciplina Ecclesiae occidentalis differt, definitiva ratione constituta fuit; atque ipsa celebratio hujus synodi, pluresque canones qui offensionis quid continent in Occidentales, effecerunt, ut augerentur difficultates inter Ecclesiam occidentalem et orientalem. — Quum in Synodis generalibus quinta et sexta nulli canones editi essent ad disciplinae restaurationem et reformationem morum, Justinianus II Imperator ad supplendas istas synodos a. 692 concilium convocavit, quod dicitur Trullanum a loco palatii Trullo[1]), ubi habi-

---

[1]) Etiam Concilium oecumenicum VI in Trullo palatii imperialis habitum est. Erat Trullus conclave magnum et rotundum, tecto con-

tum fuit, vel etiam quinisextum. Episcopi adfuerunt ducenti et septemdecim iique omnes Graeci; Latini enim non erant vocati. Interfuisse tantum videtur unus Basilius episcopus Gortinensis, qui erat eo tempore apocrisiarius Romani Pontificis Constantinopoli, sed non gerebat hac in re munus legati Pontificis.

6. Conditi fuerunt in Concilio Trullano *canones centum et duo*, inter quos plurimi inveniuntur laude digni: sed nonnulli disciplinam ecclesiasticam perturbant, doctrinam catholicam offendunt, sacra Apostolicae Sedis jura laedunt, et aestu quodam polemico in ecclesiam occidentalem infecti sunt. Jam praecipuos ex his canonibus recenseamus. Canones.

In canone II inter alia statuitur: *Hoc quoque huic sanctae synodo pulcherrime et honestissime placuit, ut ab hoc nunc tempore deinceps, ad animarum medelam et perturbationum curationem firmi stabilesque maneant, qui a sanctis patribus qui nos praecesserunt suscepti ac confirmati sunt, atque adeo nobis etiam traditi sunt sanctorum et gloriosorum Apostolorum nomine octoginta quinque canones.* — Jam vero haud ignorabant orientales episcopi, ab ecclesia Romana nonnisi quinquaginta ex canonibus illis recipi, adeoque indirecte his lacessebatur ecclesia illa. — Canone III varia de sacerdotibus bigamis constituunt, atque initio decreti jam insinuant, rigidiorem esse disciplinam Romanam, dum ecclesia Cptana benignior sit; et severitatem misericordia temperari volunt. Quum, dicunt, *qui sunt sanctissimae ecclesiae Romanae exactae perfectionis canonem servandum proponant, qui vero sub hac a Deo conservandae et imperantis urbis throno, quod est humanitatis et misericordiae, utrisque paterne et religiose mixtis, ut neque quod*

---

cavo (tholo) coopertum; quae videlicet aedificia vol conclavia ejusmodi tectum (coupole) habebant, τρούλλοι nominabantur. — Ducange in Constantinopoli christiana l. III. p. 33 explicat, quid sit Trullus. Ait igitur, esse ingens hemisphaerium quatuor majoribus arcubus incumbens quod Trullum vocant. Inde idem nomen habebat totum aedificium rotundum, quod in magnam altitudinem educebatur; ejus paries in orbem ferebatur, sustinebatque testudinem orbiculatam.

est mite et mansuetum, dissolutum, neque quod est austerum, astrictirum relinquamus, . . . decernimus etc. Maxime vero canone XIII dein de sacrorum ministrorum conjugiis vel coelibatu talem disciplinam constituunt, quae satis diversa est a Romana, atque hanc acrioribus verbis arguunt. Statuunt videlicet: *Quoniam Romanae ecclesiae pro canone* (ἐν τάξει κανόνος) *traditum esse cognovimus, ut promovendi ad diaconatum vel presbyteratum, profiteantur se non amplius suis uxoribus conjungendos, nos antiquum canonem Apostolicae perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris legitima conjugia deinceps quoque firma et stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore conveniente consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se a legitima cum uxore consuetudine abstenturum, ne ex eo a Deo constitutas et sua praesentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, evangelica voce exclamante: „Quae Deus conjunxit, homo non separet"; et Apostolo docente „honorabiles nuptias et torum immaculatum"; et: „Alligatus es uxori? ne quaere solutionem."* — Dein statuunt, ut tempore ministerii tantum continentia servetur, et concludunt: *Si quis ergo fuerit ausus, praeter apostolicos canones incitatus, aliquem eorum qui sunt in sacris, presbyterorum, inquimus, vel diaconorum, vel hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore et consuetudine privare, deponatur. Similiter et si quis presbyter vel diaconus suam uxorem pietatis praetextu ejecerit, segregetur; et si perseveret, deponatur.* — Hisce disciplinam Romanam coarguunt ut Scripturis sacris, antiquis canonibus, pietati oppositam[1]). Dum vero abstinentiam a legitima

Coelibatus rejicitur.

---

[1]) Similis indolis est etiam can. XXX, in quo agunt de sacerdotibus in regionibus barbarorum. *Si apostolicum canonem de uxore non ejicienda pietatis ac religionis praetextu se supergredi debere existimant, et ultra ea quae constituta sunt facere, et ideo communi cum*

uxore hoc canone ut pietati contrariam rejiciunt, inepta inconsequentia eam tamen episcopis imponunt canone XLVIII statuentes: *Uxor ejus qui ad episcopalem dignitatem promovetur, communi sui viri consensu prius separata, postquam in episcopum ordinatus est ac consecratus, monasterium ingrediatur procul ab episcopi habitatione extructum, et episcopi providentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad diaconatus dignitatem provehatur*[1]).

7. Erronee porro in canone XVI episcopi illi docent, primos septem diaconos ab Apostolis constitutos, non sacrorum sed mensarum tantum ministros fuisse. — Canone XXXVI renovant statuta illa, Romae nunquam admissa, de Sedis CPtanae juribus ac privilegiis. *Renovantes*, inquiunt, *quae a sanctis centum quinquaginta patribus qui in hac a Deo conservanda ac regia urbe convenerunt, et sexcentorum triginta qui Chalcedone convenere, constituta sunt, decernimus, ut thronus CPtanus aequalia privilegia cum antiquae Romae throno obtineat, et in ecclesiasticis, ut ille, rebus magnifiat, ut qui sit secundus post illum. Post quem magnae Alexandrinorum civitatis numeretur thronus, deinde Antiochiae, et post eum Hierosolymitanae civitatis.* — Arrogantius in ecclesiam Romanam etiam Canonem LV constituerunt, ex quo simul patet, non solum pro orientali, sed pro universa Ecclesia Concilium Trullanum vo- Usurpatio honoris.

---

suis consortibus conventione et consensu inito, a mutua consuetudine abstinent, statuimus, eos non amplius cum illis ullo modo cohabitare debere, ut ex eo nobis perfectam sui promissi demonstrationem praebeant. Hoc autem illis non propter aliud, quam propter eorum pusillanimitatem, extraneosque ac non satis firmos mores concessimus. — Vides, continentiam post matrimonium tantum indulgentia quadam concedi, ut quid minus conveniens.

[1]) Decursu temporis juxta istos canones disciplina Orientalium ita se evolvit, ut universim clerici, antequam ordines sacros suscipiant, uxorem ducant. Ita ecclesiasticus coelibatus summo cum religionis detrimento plane eversus est. Episcopi vero tantum ex monachis seliguntur. Cfr. de clero Russiae opusculum praeclarum quod scripsit J. Gagarin S. J: *Le clergé Russe*, Bruxelles, Goemaere 1871. Remedium efficacissimum et necessarium ad restituendam religionem ostendit fore, si ecclesiastici coelibem ducerent vitam.

luisse disciplinam moderare. *Quoniam intelleximus,* inquiunt, *in Romanorum civitate in sanctis Quadragesimae* Arrogantia. *jejuniis ejus sabbatis jejunare praeter ecclesiasticam traditam observationem: sanctae synodo visum est, ut in Romanorum quoque ecclesia inconcusse vires habeat canon qui dicit: Si quis clericus inventus fuerit in sancto die dominico vel sabbato jejunare, praeter unum et solum, deponatur; sin laicus, segregetur.* — Nec probari poterat canon LXVII, quo angusta mente praeceptum Apostolorum temporarium de non manducando sanguine urgent, statuentes: *Divina nobis Scriptura mandavit, a sanguine et suffocato et fornicatione abstinere. Eos ergo qui propter lautum et delicatum ventrem cujuscumque animalis sanguinem arte aliqua esculentum condiunt ac instruunt, atque ita illo vescuntur, convenienter punimus. Si quis deinceps animalis sanguinem quovis modo comedere aggrediatur, si sit quidem clericus, deponatur; sin autem laicus, segregetur.* — Angustioris mentis etiam est canon LXXXII, quo vetatur, quominus Christus sub forma agni pingatur. Eum tamen propterea potius hoc loco citamus, quia in controversia de cultu sacrarum imaginum pluries ab orthodoxis ad eum fuit provocatum. Est autem canon hujusmodi: *In nonnullis venerabilium imaginum picturis, agnus qui digito praecursoris monstratur, depingitur, qui ad gratiae figuram assumptus est, verum nobis agnum per legem Christum Deum nostrum praemonstrans. Antiquas ergo figuras et umbras, ut veritatis signa et characteres Ecclesiae traditos, amplectentes, gra iam et veritatem praeponimus, eam ut legis implementum suscipientes. Ut ergo quod perfectum est vel colorum expressionibus omnibus subjiciatur, ejus qui tollit peccata mundi Christi Dei nostri humanâ formâ characterem etiam in imaginibus deinceps pro veteri agno erigi ac depingi jubemus: ut per ipsum Dei Verbi humiliationis celsitudinem comprehendentes, ad memoriam quoque ejus in carne conversationis, ejusque passionis et salutaris mortis deducamur, ejusque quae ex eo facta est mundo redemptionis*[1]).

---

[1]) Cfr. Concilium Trullanum ap. Labbé. Coll. Conc T. VI. p. 1136.

8. Ex canonibus istis facile vides, Orientales in occidentalem Ecclesiam tumidam quamdam arrogantiam ostendisse, dum eorum disciplinam reprehendunt, revera autem apud ipsos, maxime quod clericorum continentiam spectat, languorem atque ignaviam jam invaluisse. Bene ad rem Thomassinus: „Sed ita comparatum est: aegri subinde indignantur et effervescunt in eos, qui integra valetudine sunt; et ex adverso qui sani sunt, eo maxime vires suas vigoremque ostentant, quod infirmorum aegritudines et intemperias aequo animo ferunt. Pacate et clementer ferebant Latini Graecorum altaris ministrorum incontinentiam: Graecis molesta et intoleranda videbatur Latinorum castitas et castitatis cura ac diligentia. Magnam quin etiam gratiam se inituros speraverunt a presbyteris provinciarum barbaricarum, si sinerent eos castitatem colere, dum conjuges suas suis ab sedibus semoverent. Qua quidem in re evidenter repugnabant canonibus apostolicis, quorum sectatores se vindicabant" [1]). Dixeris etiam, Orientales in celebranda synodo et condendis illis canonibus disciplinaribus occulta quadam motos fuisse invidia in Occidentales, ac vanitate, ut, dum molestum eis esset, tam manifeste Latinos ipsis comprobatos esse superiores in doctrinis dogmaticis atque in orthodoxia, saltem in rebus disciplinaribus ostentarent quamdam autonomiam, imo prae Latinis excellentiam.

Simultas in Occidentem.

9. Absoluto Concilio, Justinianus II Imperator canones in eo conditos misit ad Sergium Papam, ut eos approbaret. At Sergius neque precibus neque minis adduci ad id potuit. Justinianus ira percitus Zachariam protospatharium suum Romam direxit, ut Pontificem captivum deduceret Constantinopolim. Verum militia Ravennae, Pentapolis, et vicinarum partium Romam accurrit, ut Pontificem contra iniqua Imperatoris mandata defenderet. Populus Romanus se pro Pontificis defensione cum militia conjunxit, ita quidem ut Zacharias protospatharius cum dedecore ex Urbe fuerit ejectus, et exercitus et populus

Sedes Romana.

---

[1]) De discipl. eccl. P. I. L. II. c. 63. n. 13.

non quieverint, nisi postquam Pontificem salvum atque securum cernerent[1]).

10. Brevi post (a. 695) Justinianus II a Leontio imperio dejectus nasoque mutilatus, unde *Rhinotmetus* appellatus est, in Chersonesum relegatus fuit. Leontius anno 698 et ipse ab Absimaro Tiberio dejectus relegatus fuit in Dalmatiam. Sed anno 705 Justinianus, Absimaro Tiberio occiso, imperium recuperavit. Eodem anno Sedem Apostolicam ascendit *Joannes VII,* cum quo Justinianus iterum de approbatione canonum synodi Trullanae egit. *Illico ut palatium ingressus est,* dicit Liber Pontificalis in Vita Joannis VII, *propriumque adeptus imperium, Imperator tomos quos antea sub domno Sergio apostolicae memoriae Pontifici Romam direxerat, in quibus diversa capitula Romanae ecclesiae contraria scripta inerant, per duos metropolitanos episcopos demandavit, dirigens per eos et Sacram, per quam denominatum Pontificem conjuravit ac hortatus est, ut Apostolicae ecclesiae concilium congregaret, et quaeque ei visa essent stabiliret, et quae adversa renuendo excluderet. Sed hic humana fragilitate timidus, hos nequaquam tomos emendans per suprafatos metropolitas direxit ad principem.* Qua quidem in re utrum Joannes metu ductus egerit, an oeconomia quadam prudenti, difficile est dijudicare. Sane dum integram canonum collectionem jam a praecedentibus Pontificibus non admissam sine responso Constantinopolim remisit, satis ostendit, etiam ab ipso illos canones non comprobari; prudens forte censuit esse, selectionem propositam haud instituere.

11. *Sisinnius* Joannis VII successor viginti tantum diebus Ecclesiae praefuit, nec quaestio de canonibus Trullanis sub ipso agitata est. Successit ei (a. 705) *Constantinus* Pontifex. Anno 710 Justinianus Imp. missâ Sacrâ Pontificem accersivit Constantinopolim, ubi eum magnis cum honoribus recepit. Quid Constantinus Papa Constan-

[1]) V. Anastas Biblioth. in vita Sergii; ap. Wouters Dissert. T. III. Diss. LI. n. IV.

tinopoli egerit, scriptorum inopia et silentio latet; sed agitatam fuisse tunc controversiam de canonibus Trullanae synodi, Baronius, Chr. Lupus, Pagi, aliique auctores censent, cum nulla his temporibus alia quaestio verteretur inter Orientales et Occidentales. In Vita Gregorii II Liber Pontificalis haec habet: *Gregorius* (Romanae tum ecclesiae diaconcus) *cum viro sancto Constantino Pontifice ad regiam profectus est urbem, atque a Justiniano principe inquisitus de quibusdam capitulis, optima responsione unamquamque solvit quaestionem.* — Existimant igitur eruditi, Constantinum Pontificem media via utentem ita rem composuisse, ut partem canonum admitteret vel approbaret, aliis sepositis. Certo nobis constat de sententia Ecclesiae Romanae sub Joanne VIII, qui sedit ab anno 872 usque ad annum 882. Scribit videlicet Anastasius in praefatione dedicatoria versionis Actorum synodi oecumenicae septimae: *Unde Apostolatu vestro decernente non solos illos quinquaginta canones* (apostolicos jam antiquitus ab Ecclesia Romana receptos) *Ecclesia recipit, sed et omnes eorum,* (RR. Pontificum) *utpote Spiritus sancti tubarum, quin et omnium omnino probabilium Patrum et sanctorum Conciliorum regulas et institutiones admittit, illas dumtaxat, quae nec rectae fidei nec probis moribus obviant, sed nec Sedis Romanae decretis ad modicum quid resultant, qui potius adversarios, i. e. haereticos potenter impugnant. Ergo regulas, quas Graeci a sexta Synodo perhibent editas* (Trullanas), *ita in hac Synodo* (VII) *principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex his illae recipiantur, quae prioribus canonibus vel decretis sanctorum Sedis hujus Pontificum, aut certe bonis moribus inveniuntur adversae, quamvis omnes hactenus ex toto maneant apud Latinos incognitae, quia nec interpretatae, sed nec in caeterarum patriarchalium sedium licet graeca utantur lingua reperiantur archivis, nimirum, quia nulla earum, cum ederentur, aut promulgans aut consentiens aut saltem praesens inventa est.*

12. Ex hisce videmus, qualis tunc fuerit sententia Sedis Romanae quoad canones concilii Trullani. Minus clare Hadrianus I jam saeculo praecedente scribebat ad Concilium oecumenicum VII: *Omnes sanctas sex Synodos*

suscipio, cum omnibus regulis, quae jure ac divinitus ab ipsis promulgatae sunt, inter quas continetur, „in quibusdam venerabilium imaginum picturis Agnus digito Praecursoris exaratus ostenditur." (Can. Trull. 82). Hadrianus assertione Graecorum deceptus existimasse videtur, eosdem Patres qui adfuerunt Concilio VI etiam canones disciplinares edidisse illos, qui in Trullana synodo editi sunt. Sed restrictione illa generali *quae jure ac divinitus promulgatae sunt*, satis providebatur Sedis Apostolicae auctoritati, ut discrimen inter varios canones fieri posset. Concilium oecum. VII, ex episcopis orientalibus constans, approbavit quidem canones Trullanos, eosdem sextae Synodo attribuens, in suo canone primo; sed etiam hujus Concilii canones a Sede Apostolica non sunt confirmati[1]).

Series RR. Pontificum. 13. Jam breviter tangamus ea quae *Occidentem* attinent, ut qualis fuerit rerum ecclesiasticarum status melius perspiciatur. Obiit *S. Agatho* Papa die 10 Januarii 682, et in ejus locum suffectus fuit *S. Leo II* Siculus, vitae sanctitae clarus, SS. Scripturarum peritissimus, graece et latine doctus. Ab eo confirmatum fuit Concilium oecumenicum sextum. Brevi pontificatu functus ad coelum migravit die 3 Julii a. 683. — Successit ei *S. Benedictus II* Romanus, die 26 Junii 684, qui pariter brevissimo tempore Ecclesiam gubernavit. Obiit enim die 5 Maii anni 685. Vigilantiam suam pastoralem ostendit, quum reciperet ab episcopis Hispanis libellum inscriptum *Liber responsionis fidei nostrae* seu *Apologia*, quem nomine eorum S. Julianus Archiepiscopus Toletanus conscripserat, ut profiterentur fidem conformem Concilio oecumenico sexto. Quum enim offenderet Pontifex in eo expressiones quasdam ambiguas, (uti illam: *voluntas genuit voluntatem*), postulavit, ut istas modificarent. Hispani quidem episcopi, quum anno 688 iterum Toleti synodum haberent, observationibus Pontificis aliquantisper offensi sunt, et orthodoxa mente se illa scripsisse, similiaque apud SS. Patres occurrere, ostenderunt. Novam tamen Apologiam confecit

[1]) Vide de his Hefele C. G., B. III. §. 329.

S. Julianus Romamque misit, ubi eam Sergius Pontifex ut orthodoxam suscepit.

Pontifices ex Oriente.

14. Post Benedictum II Pontifex ordinatus estdie 23 Julii anni 685 *Joannes V* Syrus, S. Agathonis quondam in Concilio sexto legatus, qui sedit per annum: obiit enim mense Augusto anni 686. — In novi Pontificis electione orta est contentio: clerus enim suffragabatur Petro archipresbytero, proceres vero et principes exercitus Theodoro presbytero. Quum concordia frustra esset tentata, episcopi et clerici unanimi suffragio elegerunt *Cononem* genere Thracem, aetate, moribus et eruditione venerandum, qui ab omnibus ut legitimus Pontifex salutatus est. Sed brevis quoque fuit pontificatus Cononis; ordinatus die 21 Octobris anni 686, decessit die 21 Septembris anni 687. — Post ejus obitum iterum orta est lis in electione successoris, quum alii Theodoro presbytero, alii Paschali archidiacono summum sacerdotium deferri peterent. Major vero pars cleri, judicum et principum exercitus, consensit in *Sergium* presbyterum, genere Antiochenum, sed Panormi in Sicilia educatum. Is die 15 Decembris anni 687 inauguratus, Ecclesiam sanctissime gubernavit usque ad annum 701. Contentiones in electione Pontificum videntur ortae esse ex influxu eorum, qui Pontificem Imperatori deditum promovere studebant; atque ea ratione eas compositas esse dixeris, quod Pontifex eligeretur Imperatori quidem acceptus, sed omni ex parte dignissimus. Operae enim pretium est advertere quae scribit Baronius ad a. 705, n. 2. „Incredibiles, inquit, perspicias fuisse Graecorum artes, quibus nisi sunt subjicere (si licuisset) Romanam ecclesiam. Quod enim confirmationi Romani Pontificis sibi tyrannice usurpatae tandem renuntiassent imperatores[1]), studuerunt

---

[1]) Id factum perhibetur a Constantino IV, sedente Benedicto II. Advertit tamen Papebrochius in Conatu chronico-historico p. 109 n. 3: „Verum hujus privilegii usu frustrata videtur fuisse Romana Ecclesia, quamdiu sub Graecis Imperatoribus fuit: nam usque ad regnum Longobardorum in Italia, et Zachariam Papam quarto post decessoris obitum die ordinatum, nemo fuit, cujus ordinationem non praecesserit sex hebdomadarum ut minimum interpontificium, plerumque autem

alia via eidem Romanae ecclesiae dominari, agentes nimirum, ut in collegium S. R. E. Cardinalium allegarentur Orientales, qui etiam opera exarchorum annitente crearentur Romani Pontifices. Hinc videas post Benedictum Pontificum Joannem V Syrum natione creatum successorem, deinde Cononem Thracem, postea Sergium Syrum, Joannem deinde Graecum pariter ordine sextum dictum, inde . . . Joannem VII itidem Graecum, postea Sisinnium Syrum, et post eum Constantinum pariter Syrum, itidemque Gregorium tertium Syrum etiam, nec non post eum Zachariam Graecum; ut appareat, inter hos omnes vix unum Gregorium II intercolatum Romanum natione Pontificem. — Sed quid accidit? Utique tanquam miraculum a Deo, ut in collegium iidem cooptati S. R. E. Cardinalium et creati Pontifices Apostolicae Sedis, spiritum pariter haereditarint apostolicum, steterintque adversus omnes conatus Imperatorum et orientalium episcoporum, restiterintque, ac ne minimum quidem cesserint."

15 Sergii industria praesertim atque auctoritate schisma Istriense exstinctum est, et ecclesia Aquileiensis, quae trium Capitulorum et Concilii quinti occasione ab annis fere 150 a Romana aliisque ecclesiis se dissociaverat, ad pristinam cum illis communionem rediit. Pontificem adduci non potuisse, ut canones Trullanos probaret, superius jam diximus. — S. Sergio die 7 Septembris anni 701 de-
Joannes VI. functo, suffectus est die 28 Octobris *Joannes VI* Graecus, qui sedit tribus annis et duobus mensibus. Tiberius Absimarus, Imperator Graecus, eo tempore Romam misit Theophylactum exarchum, ut Pontifici negotium facesseret; quam vero ob causam, scriptores non tradiderunt. Verum exercitus Italiae, qui in simili casu sub Justiniano defenderat Sergium, defendit pariter Joannem, ita ut ipse

---

mensium duorum et amplius; ut videatur Justinianus junior patri succedens nullam haberi voluisse talis privilegii rationem, sed inhaesisse ei, quod idem Constantinus pater suus sub Leone dederat etc." V. Conatus chronico-hist. in Catal. Pontificum: Propyl. ad Acta Sanctorum Maii. — Cfr. etiam Thomassinum, De vet. et nova Eccl. disciplina, P. II. c. 16. n. 10.

Pontifex providere debuerit, ne quod facinus milites in exarchum committerent. Auctoritatem suam apostolicam ostendit Joannes VI in causa S. Wilfridi archiepiscopi Eboracensis, qui quum e sede ejectus esset, a synodo episcoporum a. 702 appellavit ad Romanum Pontificem. Joannes VI Romae coacta synodo, tum S. Wilfridum, tum ejus adversarios audivit, et sententiam dixit, qua S. Wilfridum sedi suae restituit.

16. Joanne VI die 9 Januarii 705 defuncto, ad pontificatum evectus est die 1 Martii *Joannes VII* Graecus, qui duobus annis et septem mensibus Ecclesiae praefuit. Quae sub ipso quoad canones synodi Trullanae acciderint, jam diximus. Sub eodem Pontifice Aripertus rex Longobardorum patrimonium Alpium Cottiarum, quibus Genua et tota ejus ora maritima usque ad fines Galliae continebantur, quaeque quondam ad jus Apostolicae Sedis pertinuerant, sed a Longobardis fuerant ablatae, ei restituit, hancque restitutionem aureis scriptam litteris Romam direxit. Atque hic opportune occurrit animadvertendum, hujusmodi patrimonia seu possessiones Romanam Ecclesiam non tantum in Italia, sed in omnibus fere christiani orbis partibus habuisse. Jam tempore S. Gregorii M. Romana ecclesia talia patrimonia possidebat in Italia, Dalmatia, Sicilia, Sardinia, Corsica, Hispania, Gallia, Africa et in aliis regionibus, uti ex hujus Pontificis litteris constat. Aliae etiam ecclesiae, praesertim patriarchicae, similia patrimonia, seu bona immobilia quorum redditus ad illas pertinebant, possidebant. Proveniebant ea tum e donationibus christianorum Imperatorum et principum a tempore Constantini M. et deinceps, tum e piis fidelium legatis et oblationibus. Ex istis patrimoniis seu proventibus non tantum ecclesiarum instaurationi et splendori atque sacrorum ministrorum sustentationi, sed pauperum etiam, viduarum, pupillorum, peregrinorum indigentiis consulebatur[1]). Plura de his inferius recurrent. Joannes VII.

---

[1]) V. Wouters, H. E. t. I. p. 390.

17. Post obitum Joannis VII, qui decessit die 17 Octobris anni 707, Sedes apostolica vacavit tribus mensibus, post quos ordinatus fuit *Sisinnius*, Syrus. Cui post viginti dies die 7 Februarii anni 708, dira arthritide sublato, die 25 Martii successit *Constantinus* pariter Syrus, qui sedit usque ad annum 715. Ejus iter in Orientem jam commemoravimus. Tribus post mensibus quum Constantinus Nicomediâ, ubi cum Imperatore degerat, digressus Romam redierat, Justinianum occisum (a. 711) nuntius attulit. Imperium occupavit caedis auctor Philippus Bardanes. Is a. 712 Constantinopoli coëgit conciliabulum, et damnata sexta Synodo conatus est restituere haeresim Monotheleticam. Multi ignavi praesules Orientis ei assenserunt. Sed restitit ei Constantinus Pontifex, ejusque haereticam fidei professionem missam ad se rejecit. E contrario Anastasii II, qui post brevem Philippici tyrannidem Imperator salutatus fuerat (a. 713), epistolam, qua catholicam fidem profitebatur, libens suscepit, et Michaëlem presbyterum misit Constantinopolim, ut episcopos qui Synodi sextae damnationi suffragati fuerant, Ecclesiae reconciliaret. Cum annos septem et dies quindecim Constantinus summo sacerdotio functus esset, anno 715 die 8 Aprilis excessit e vivis. In ejus locum die 19 Maii ordinatus est *Gregorius II* Romanus, Romanae ecclesiae diaconus et bibliothecarius, sanctimonia, eruditione, et rerum pro Ecclesia gestarum fama clarus. Is sedit usque ad annum 731, et sub ipso Iconoclastarum haeresis ortum habuit.

Constantinus.

18. Quum vero ea aetate magis magisque separatio inter Orientem et Occidentem se manifestet, atque, dum Orientis potentia decrescit, Occidentis invalescat vigor roburque, operae pretium est quaedam innuere de propagatione admiranda religionis christianae inter nationes Occidentis. — De Galliae, Hiberniae et Britanniae ad christianam religionem conversione, non est cur hic plura dicamus. Saeculo septimo mediante in istis populis religio christiana omnino regnabat. Jam praecedenti quidem tempore, inde a saeculo quinto, etiam in Bavaria et Austria religio christiana propagata est; sod praesertim saeculo

Propagatio christianismi.

VII maxima eadem suscepit incrementa. Saeculo VII videlicet non pauci missionarii e Britannia, Scotia et Hibernia in alias regiones transgressi, magno cum fructu in vinea Domini laborarunt. Hos inter illustrior est S. *Columbanus*, patria Hibernus, qui a. 585 cum aliis duodecim monachis transfretavit in Galliam, ubi restituendae pietati, quae magna ex parte collapsa erat, operam dedit et monasterium Luxoviense fundavit. Ex Gallia ejectus transiit in Helvetiam, praedicavit ad Brigantiam, Arbonem et lacum Tigurinum; postea in Italiam contendens, non procul Placentiae monasterium Bobbiense instituit, ubi a. 615 obiit. — Eidem scopo praeclare intentus S. *Gallus*, natione idem Hibernus, Columbani discipulus, in Helvetia et Suevia doctrinae christianae semina sparsit. Cum S. Columbanus in Italiam proficisci pararet, Gallus in gravem morbum incidens in vicinia Brigantiae remansit, hujusque regionis incolis ad Christum convertendis intentus, celeberrimum quod dicitur S. Galli monasterium fundavit; mortuus est a. 646.

Varii Missionarii.

19. Ad Francos orientales christianam fidem detulit S. *Kilianus* pariter Hibernus, qui jussu Romani Pontificis Cononis cum duobus discipulis, Koloman presbytero et Totnan diacono, Herbipolim profectus, opus praedicationis evangelicae inchoavit, tantosque laborum suorum fructus tulit, ut praeter magnam populi multitudinem ipse quoque Francorum dux Gosbertus baptismum haud respueret. Cum tamen ducem illum serio monuisset, ut Geilanam uxorem suam propter affinitatis impedimentum a thori consortio removeret, improbis Geilanae machinationibus ipse cum sociis a. 689 ad martyrium raptus est. — Anno 690 S. *Willibrordus* ex Anglo-Saxonum gente, cum undecim sociis in Bataviam Frisiorum convertendorum causa profectus est, permittente Pipino Francorum duce, qui cum Radbodo rege Frisiae tunc belligerens, Frisiae partem occupaverat. Et vere coeptis illius benedictio divina tam parum defuit, ut brevi tempore numerosus Christianorum coetus coalesceret. Willibrordus a. 696 Romam profectus a Pontifice Sergio I archiepiscopus Frisiorum ordinatus, in Fri-

siam redux sedem suam fixit Ultrajecti. Attamen nonnisi post Radbodi mortem (718) per totam Frisiam religio christiana propagata est, in quo opere etiam operam contulit suam S. Wolframus episcopus Senonensis in Gallia, qui S. Willibrordi fama excitatus sedi suae renuntiavit, ad Frisones Evangelium praedicaturus perrexit, ac Radbodi filium multosque alios convertit et baptizavit. — Eodem saeculo in Bavaria religio christiana firmata et propagata est a *S. Emmerano* episcopo Pictaviensi, qui sedi suae renuntians Avaris et Hunnis fidem praedicaturus abierat. Sed variis obstaculis detentus Ratisbonae substitit (640), et illis in regionibus idololatriae reliqua vestigia delevit. — *S. Rupertus* episcopus Wormatiensis pariter in variis regionibus Bavariae, atque Slavis in Styria evangelium praedicavit. Tandem meritorum plenus Juvaviae (Salisburgi) sedem suam constituit, ibique anno 718 obiit. Ejus labores in Bavaria continuati sunt a *S. Corbiniano*, qui Frisingae episcopus ibidem a. 730 ad coelum migravit.

S. Bonifatius. 20. Notum vero est, prae caeteris Winfridum monachum Anglum, qui postea dictus est *S. Bonifatius*, Germaniae apostolum merito appellari. Is enim inde ab anno 719 usque ad annum 755 in variis Germaniae regionibus ac gentibus Evangelium propagavit, ac sapientissime dioecesum variarum institutione religionem christianam ibi firmavit. Qua in re insigni modo Romanorum Pontificum semper coluit auctoritatem, studens iisdem gentes ac regiones conversas quam intime devincire. Opus ejus labente saeculo octavo et ineunte nono ipsius varii discipuli compleverunt.

21. Saeculo VII currente, praesertim ab anno 640, etiam magna pars Slavorum ad christianismum conversa est per missionarios ecclesiae Romanae. Joannes IV et Martinus I hac in re multum laborarunt. Ita in Istriam, Dalmatiam, Croatiam, Carniolam, Carinthiam, Styriam adjacentesque Hungariae partes, quibus in regionibus variae Slavorum nationes residebant, religio christiana propagata fuit.

Vides igitur, providentia divina factum esse, ut eo tempore quo in pluribus provinciis Orientis per Muhame-

danorum incursus religio christiana maxima passa est detrimenta, quumque vincula inter ecclesiam orientalem et occidentalem, tum Imperatorum tum praesulum orientalium culpa magis magisque dissolverentur, magnus oriretur complexus nationum christianarum Occidentis, quae Ecclesiae Capiti, Romano Pontifici, fideli obedientia devinctae erant. Atque exinde in Occidentis populis maxime situm invenitur Ecclesiae robur.

II.

De ortu et progressu haeresis Iconoclastarum.

22. Quae indolem cultûs sacrarum imaginum spectant, in Theologia dogmatica fusius explicantur; pauca hic tantum innuimus, quae ad historiam et evolutionem illius cultus pertinent. Primis ab ortu religionis christianae temporibus, quum adhuc gentilis in eam exardesceret furor, et in hominum mentibus adhuc lateret idolorum superstitio, non tam solemnem fuisse sacrarum usum et cultum imaginum, theologi passim animadverterunt[2]). Cum enim imagines ex eorum genere sint, quae ad salutem omnino necessaria non sunt, nec ad substantiam ipsam religionis pertinent, in potestate Ecclesiae est, ut eas vel adhibeat vel ableget, pro eo atque satius esse decreverit, cujusmodi *positivi* vulgo *juris* esse dicuntur. — Attamen inde a primis christianismi saeculis sat frequentem fuisse imaginum usum, nostro tempore jam eruditis constat. Id enim patuit, ex quo accuratius coemeteria subterranea, seu catacumbae Christianorum, ecclesiarumque cryptae explorata sunt. Illud vero advertere juvabit, tribus prioribus saeculis in imaginum usu praevaluisse *characterem symbolico-dogmaticum*, quatenus christiana dogmata sub figuris vel personis symbolicis exprimerentur. Eo perti-

Cultus imaginum.

Primis saeculis.

---

[1]) Vide tractatum nostrum de *Verbo incarnato*, P. II. C. II. a. IV

[2]) Cfr. Petav. de Incarn. L. XV. c. 13.

nent symbola agni, columbae, piscis, Moysis ex petra aquam elicientis, Ionae prophetae prodeuntis ex ore piscis, Danielis inter leones, et alia quibus maxime ea proponebantur dogmata, per quae inter persecutiones et pericula illius aetatis fidelium spes fovebatur, animique erigebantur. Nec tamen desunt ex illis saeculis repraesentationes quoque historicae, uti annuntiationis B. Mariae Virginis adorationisque magorum, vel imagines Deiparae, SS. Apostolorum Petri et Pauli variorumque martyrum. Posteriori tempore *repraesentationes illae historicae* potius usu frequentiores fuerunt, ita ut tum eventus sacri, tum personae exhiberentur. Pictoribus autem quoad imaginum usum antiquis temporibus certae erant servandae regulae, ab ecclesiarum praepositis praescriptae. Inter has vero regulas etiam ea tempore persecutionum merito censetur fuisse, imagines sacras, ne profanationi paganorum exponerentur, depingendas potius esse in subterraneis cryptis hasque eisdem ornandas, haud vero ipsas ecclesias et oratoria omnibus pervia. Atque huc pertinet, quantum existimamus, notus ille canon XXVI concilii Elvirensis a. 306 habiti: *Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur.* Quem canonem varii auctores vario modo exposuere[1]; quidam vero censuerunt, eodem prohiberi imagines, ne fideles in idololatriam relaberentur. Sed talem haud fuisse mentem Ecclesiae ex frequentissimo usu imaginum, uti innuimus, omnino colligitur; aptissime vero iste canon eo quo diximus modo explicatur[2]. Si vero forte non penitus defuerunt inter antiquos fideles, qui pertimescentes periculum affinitatis cum cultu simulacrorum, exaggerato cuidam spiritualismo nimium se darent et cultui imaginum non faverent, inde nullum praejudicium contra usum et cultum sacrarum imaginum depromi potest.

---

[1]) Cfr. Hefele C. G. B. I. §. 13; Hergenröther K. G. B. I. S. 190.

[2]) Cfr. F. X. Kraus, *Realencyclopädie der christlichen Alterthümer.* 1880. Art. Biblische Darstellungen, et Bildercyclus.

23. Inde a temporibus Constantini, quum Christiani pace reddita magnificas exstruerent basilicas, ad easque exornandas non mediocrem impenderent curam, etiam usus et cultus imaginum Christi atque Sanctorum multum est auctus. Nullum enim idololatriae vel profanationis periculum erat, et ad propagandam Christi ac Martyrum Sanctorumque memoriam et venerationem, atque ut animarentur ad pietatis constantiam fideles, id maxime utile esse videbatur. Hoc vero neutiquam omnibus in locis eodem instituto ac tempore constat esse factum, sed alibi citius alibi tardius, prout nationum captus et indoles erat. In Oriente saeculo VII ineunte imaginum usus et cultus maxime florebat. Post Constantinum

24. Sed hoc saeculo haeresis et bellum atrox contra sacras imagines in Imperio Romano, auctore Leone III Isauro Imperatore (a. 716—741), exortum est. Videtur eo tempore persecutio contra sacras imagines incepisse apud Muhamedanos. Etenim a. 722 Jezid II Califa, forte a Judaeis incitatus, e Christianorum templis totius regni sui finibus deturbari jussit sacras imagines, persecutionemque ista in causa contra Christianos movit. Attamen post duos annos ipse et regnum et vitam amisit. Sed anno 726 Leo Isaurus, qui eo usque se orthodoxum ostenderat, in sacras imagines coepit saevire. Quibus vero rationibus Imperator fuerit motus, ut tanto furore in cultum sacrarum imaginum exsurgeret, haud omnino perspicuum est. Judaeos quosdam impostores magnam hac in re exercuisse influxum in Leonem, varii auctores retulerunt; quae vero ista de re minutim enarrant, nimium redolent fabulam, quam ut pro certo possint haberi. Fieri tamen potuit, ut Leo, vili genere natus, quum adolescens consuetudinem haberet cum Muhamedanis et Judaeis, qui magnam in imagines prae se ferebant aversionem, et ipse impiis praejudiciis inficeretur. Quum ad imperium pervenisset, perspexit, maximum ex Muhamedanis imminere periculum, et forte sibi finxit fieri posse, ut mediis opportunis adhibitis christiana religio iis redderetur magis accepta. Dixeris, hominem rudem existimasse, aversionem Leo Isaurus.

Muhamedanorum uti et Judaeorum contra Christianos praecipue provenire ex imaginum cultu, a quo illi abhorrebant. Hinc sibi proposuit vi illum cultum destruere. A violentia enim in re religiosa se non abhorrere jam ostenderat, quum anno 722 Judaeos et Montanistas (Manichaeos) vi ad amplectendam religionem christianam cogere aggressus esset. Fortasse etiam occasione persecutionis quam Jezid Califa in sacras imagines movit, in Imperio orientali quaestio de imaginibus agitari coepit, et falsi spiritualismi sectatores Leonem in suas partes traxerunt. Inter imaginum adversarios vehementiores inde ab initio controversiae citatur Constantinus Nacoliae in Phrygia salutari episcopus, qui a suis dioecesanis expulsus, in Imperatoris aulam irrepsit, eumque in sacras imagines incendisse dicitur. Jam anno 724 hic sententiam exquisivit a tredecim Bibliothecae praepositis professoribus, de imaginum usu et cultu, eosque ad suas studuit opiniones falsas attrahere. Sed illi cultum imaginum ut legitimum defenderunt. Tunc socium Imperatori se praebuit hac in re aulicus quidam Syrus, nomine Beser, qui quum aliquando fidem renegasset, et Muhamedis sectatorem se esset professus, postea saltem specietenus christianam religionem resumpsit, magnoque apud Leonem favore fruitus est. Praeter hos Thomas Claudiopoleos et Theodosius Ephesi episcopi Imperatori perversis suis consiliis adfuerunt.

Leonis edictum.

25. Jam quae in hoc bello contra sacras imagines evenerint, breviter enarremus. Leo Isaurus igitur ejusque theologi aulici imprimis nisi sunt, in variis regni provinciis doctrinas suas cultui imaginum infensas spargere et propagare. Anno 726 vero Imperator edictum promulgavit, quo sacras imagines in ecclesiis locisque publicis fidelium venerationi expositas ubique dejici et deleri jussit. Edictum istud magnum in urbe Constantinopoli tumultum excitavit. Praesertim quum percelebrem Salvatoris crucifixi imaginem, quae ad aeneam palatii portam in sublimi loco posita erat et Antiphonetes dicebatur, Leo deturbari jussisset, vehemens commotio facta est. Jovinus miles destructioni statuae intentus, in terram scalâ sub-

tractâ dejectus, et a mulieribus occisus est. A saevo Imperatore ob ejusmodi factum plures, etiam feminae, gravissimis poenis affecti sunt. — Leonis impietati qua potuit constantia obstitit S. Germanus patriarcha CPtanus, senex nonaginta fere annorum, omniaque tentavit, ut eum a male coeptis revocaret. Ei Ecclesiae usum et traditionem de sacrarum imaginum cultu opposuit, et in memoriam revocavit solemnia promissa, quae dum Imperator inauguraretur, emiserat de non convellendis Ecclesiae ritibus. At nihil monitis suis profecit sanctus patriarcha. Idem praesul ad diversos episcopos, quorum aliqui impio Imperatori assentabantur, litteras misit, in quibus sacrarum imaginum cultum docte defendit. Gregorius II Pontifex vero a. S. Germano de tota re certior factus ad patriarcham epistolam scripsit, in qua ei de constantia in defendenda Ecclesiae fide gratulatur, et doctrinam catholicam de sacrarum imaginum cultu fuse docteque tradit et vindicat[1]).

26. Incolae Graeciae et Cycladarum insularum interea Imperatoris impietate irritati ab eo rebellarunt, Cosmam ducem salutarunt Imperatorem, paratamque ingentem classem Constantinopolim destinarunt. Sed commisso proelio a. 727, classis attrita, multi submersi, ducesque occisi sunt. *Ex quo,* inquit Theophanes in sua Chronographia, *impii Leonis ejusque sectariorum malitia oppido crevit, adeo ut susceptum adversus pietatem bellum latius promoverint.* Anno 730 Leo S. Germanum impiis ejus decretis subscribere nolentem ad abdicandum patriarchatum CPtanum compulit, et in ejus locum subrogavit Anastasium Germani syncellum, sacrarum imaginum adversarium.

27. Sed quae in Italia acciderunt occasione persecutionis Leonis Isauri, jam aliquanto accuratius considerare convenit. Gregorius II, quum Imperator in sacras imagines vehementius saeviret et etiam a Pontifice earum destructionem postularet, duas ei scripsit epistolas vigore Gregorius II. R. P.

[1]) Exstat haec epistola in Actione IV Concilii Nicaeni II, ap. Labbé, Tom. VII. p. 282.

apostolico plenas. Atque in prima, postquam commemoravit impietatem Leonis qua statuam Crucifixi in aenea porta destruxit, et resistentiam a civibus oppositam: *Tum*, scribit, *tu mali aemulator missis satellitibus mulieres nescio quot illic occidisti, adstantibus viris Romanis et ex Francia, ex Vandalis, ex Mauritania, ex Gothia, et ut generatim dicam ex toto interiore Occidente. Cum autem advenissent et in suis regionibus singuli juvenilia tua pueriliaque facta narrassent, tunc projecta laureata tua conculcarunt, et faciem tuam conciderunt; ac delectu habito Longobardi et Sarmatae ceterique qui ad septemtrionem habitabant, miseram decapolim incursionibus infestarunt, ipsamque metropolim Ravennam occuparunt, et ejectis magistratibus tuis proprios constituerunt magistratus, et vicinas nobis sedes regias ipsamque Romam sic tractare statuerunt, cum tu nos defendere minime possis. Et haec ob imprudentiam ac stultitiam sustinuisti. At enim nos perterrefacis dicisque: Romam mittam, et imaginem sancti Petri confringam; sed et Gregorium illinc pontificem vinctum adduci curabo, sicut Martinum Constantinus* (Constans) *adduci jussit. Scire autem debes ac pro certo habere, Pontifices qui pro tempore Romae exstiterunt, conciliandae pacis causa sedere, tanquam parietem intergerinum septumque medianum Orientis et Occidentis, ac pacis arbitros et moderatores esse; quique ante te fuerunt Imperatores, in hoc componendae pacis certamine desudarunt. Quod si nobis insolenter insultes, non est nobis necesse tecum in certamen descendere. Ad quatuor et viginti stadia secedet in regionem Campaniae Romanus Pontifex*[1]*; tum tu vade, ventos persequere. Quodsi quospiam ad evertendam imaginem miseris sancti Petri, vide, protestamur tibi, innocentes sumus a sanguine quem fusuri sunt; verum in cervi-*

[1]) Disceptant eruditi de sensu horum verborum. Videtur Pontifex alludere ad commotionem vehementem Italorum, qui jam parati erant, ut armis arreptis Imperatori resisterent et ejus dominio se penitus subducerent. Unde si Imperator Romam misisset milites contra Pontificem, is vero fuga capta urbem reliquisset, mox ad eum tuendum Itali circumvicini surrexissent, isque in tuto fuisset. V. Balan, Storia d'Italia Vol. II. L. XIII. n. III.

ces tuas et in caput tuum ista recident. Quo tempore ea Gregorii epistola data sit, multum disputarunt scriptores. Baronius eam anno 726 attribuit, uterque Pagius vero (Antonius et Franciscus) anno 730. Caeteri viri eruditi in varias pariter partes abierunt; sed quaestionem multum elucidavit Ill. Hefele ostendens, versus annum 727 primam epistolam scriptam esse. — Praesertim ex initio epistolae Pagius aliique probare conati sunt, non nisi ultimis mensibus anni 730 hanc epistolam esse missam. Incipit videlicet eadem hisce verbis: „*Litteras vestrae a Deo custoditae majestatis ac fraternitatis per augustalem Spatharocandidatum missas accepimus, imperante te indictione decima quarta, ipsius etiam XIV. et XV. et I. et II. et III. et IV. et V. et VI. et VII. et VIII. et IX. indictionum acceptas epistostolas tuas, in sancta ecclesia repositas, in limine confessionis sancti et gloriosi ac principis apostolorum Petri, diligenter servamus, ubi et Christi amantium praedecessorum tuorum qui pie imperarunt sunt litterae.*“ Epistolam itaque missam a Leone inferunt indictione XV^a^, quae incepit die 1 Septembris a. 730, adeoque et Gregorium ultimis mensibus hujus anni respondisse. Sed huic computationi jam illud obest, quod Gregorius II e vivis decessit die 11 Februarii a. 731. Adeoque paucorum mensium spatio epistola Imperatoris, responsum Gregorii, nova epistola Leonis et altera Gregorii essent adscribenda. Quod, quum satis distarent Roma et Constantinopolis, quumque ejusmodi litterae haud extemplo confici soleant, aegre admitti potest. Anteriori praeterea tempori quae scribuntur aptius congruunt. Epistola autem quae primo commemoratur data indictione decima quarta, haud est illa ultima ad quam Gregorius respondet, sed ea est epistola prima quam Leo initio imperii sui a. 716, indictione XIV^a^, statim ad Gregorium direxerat, ut quum regnum arripuisset, Pontificis favorem sibi conciliaret.[1]) Quum eâdem epistola et subsequentibus lit- Tempus determinatur.

[1]) Graeca verba: *βασιλεύσαντός σου εἰς τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ἐπινέμησιν*, congrue verti possunt „quum imperium adeptus esses indictione decima quarta.“

teris plane orthodoxum se declarasset Imperator, easdem commemorat Gregorius. Addit porro Pontifex: *Et in decem syllabis recte ac pie utque Imperatorem Christianorum decet, observaturum te ac custoditurum integre omnes sanctorum patrum nostrorum et doctorum admonitiones promisisti. . . Decem annos Dei benignitate recte ambulasti, neque sacrarum imaginum mentionem fecisti, nunc autem eas dicis idolorum locum implere.* Haec satis innuunt, decem illas epistolas esse eas, quas quotannis miserat Imperator ab indictione XIV. (a. 716) usque ad indictionem VIII. Undecima porro ea est, quae ultimo loco indictioni IX. adscribitur, atque haec anno 726 convenit. — Ad hanc igitur Gregorius versus annum 727 respondit. Arroganti et superbo modo rescripsit Isaurus; quo facto alteram ei scripsit Gregorius epistolam, versus annum 628.

Motus in Italia.

28. De motibus in Italia ob Imperatoris iconoclastae impietatem eo tempore ortis, scriptores suppares universim referunt, sed eo modo, ut valde difficile sit, eventuum seriem texere et singula accuratius describere. Quum Imperator Pontifici missis praefectis militum insidiaretur, Romani Pontificem tuiti sunt. tumultuantes plures Imperatoris ministros occiderunt, ab exarchi obsequio desciverunt, et, uti aliae quoque civitates delectu suo duces sibi praefecere, ita apud Romanos de facto summus Pontifex supremam potestatem civilem habuit. Longobardi autem eo tempore suum dominium latius extendere, et Ravennam variasque urbes eousque Graecis subjectas expugnare nisi sunt. Sed Gregorius II tunc litteris hortatus est Ursum Venetorum ducem, ut auxilio Graecis veniret, ejusque ope ex Ravenna Longobardi depulsi sunt[1]). Voluerunt Itali in omnimodam defectionem ab Imperatore erumpere et novum principem creare, sed Pontifex (saltem aliquo tempore) effecit, ut hoc de consilio desisterent, neve ab Imperio penitus recederent.

29. Attamen quamvis *nomine tenus* dependentia ab Imperio orientali servaretur, *de facto* jam ex ipsis rerum

---

[1]) V. Gregorii II epist. X. Labbé, VI. 1447.

adjunctis influxu et auctoritate Pontificis res disponebantur. Imperator enim ejusque exarchi Romanis erant plane exosi, contra Longobardos eos defendere non valebant, imo hostilem animum passim in ipsos Romanos prae se ferebant. Quumque a. 727 Luitprandus Sutrium in suam redegisset potestatem, noluit civitatem hanc Graecis reddere, sed ita res constitutae sunt, ut dono daret urbem hanc SS. Apostolis Petro et Paulo seu Romano Pontifici. Ac dum eousque Romana Ecclesia haberet quidem patrimonia amplissima, Sutrium haud tantum veluti ejusmodi patrimonium, sed ita Romano Pontifici concessum dixeris, ut potestatem temporalem in eam arcem exerceret, quamvis supremum dominium regionis adhuc apud Imperatorem esset. Hanc vero Sutrii possessionem ut initium dominii temporalis R. Pontificis eruditi considerant.

30. Convenit autem hoc loco eam commemorare controversiam inter eruditos agitatam, utrum Gregorius Pontifex, ob impietatem et saevitiam qua fideles persequebatur Leo Isaurus, Italos Romanosve aliquando solverit ab obedientia ejus et a pendendis ei tributis seu vectigalibus, et ita eas regiones imperio ad tempus subtraxerit; an vero id neutiquam acciderit. Priorem sententiam amplectuntur scriptores insignes, Baronius[1]), Bellarminus[2]), Sfondratus[3]), Sandini[4]) aliique, uti inter scriptores Italos nostrae aetatis Petrus Balan[5]), et Card. Bartolini[6]). Posteriorem autem sententiam tenent Natalis Alexander[7]), Pagi Antonius[8]) et Franciscus[9]), Orsi[10]), et recentiores complures, uti Brunengo[11]) et Ill. Hefele l. c. — Animad-

An defecerint ab Imperio

---

[1]) Annal. ad a. 726 et 730. [2]) De Rom. Pont. L. V. c. 8.

[3]) Gallia vindicata, Dissert. II. §. 2.

[4]) Disput. hist. XVII.

[5]) Storia d'Italia. Vol. II. L. XIII. n. V sqq.

[6]) Zaccaria Papa; Ragionamento preliminare, p. XXXVI sqq.

[7]) H. E. Dissert. I. in saec. VIII.

[8]) Critica ad a. 730.

[9]) Breviarium hist. RR. PP. sub Gregorio II.

[10]) Della origine del dominio dei R. PP. c. 1.

[11]) Le Origini della sovranità temporale dei Papi. (Roma 1862) Capo III, p. 54.

vertendum igitur est, factum illud referri diserte ab historicis graecis et quibusdam latinis. Atque inter hos auctores praecipuus, ex quo caeteri sua hauserunt, est S. Theophanes, qui vixit inde a medio saeculo VIII (natus videtur a. 747) usque ad annum 818; adeoque eventuum testis non quidem coaevus sed suppar est.

Narratio Theophanis.

31. Is in sua Chronographia ter ista commemorat. Ad annum Leonis nonum[1]) scribit: *Hoc anno irreligiosus Imperator Leo de proscribendis et deponendis sanctis et venerandis imaginibus primum tractatum habere coepit, comperto cujus proposito Gregorius papa Romanus, scripta prius ad ipsum Leonem decretali epistola, qua de fide quidquam statuere et antiqua Ecclesiae sancita a sanctis Patribus firmata innovare aut convellere non decere Imperatorem commonet, Italiae tandem ac Romae tributa ad ipsum deferenda prohibuit.* — Iterum ad annum decimum tertium Leonis scribit: *Sacer ille ac divinus Germanus, decretorum verae religionis defensor Byzantii floruit adversus Leonem, . . . quemadmodum in veteri Roma vir undequaque sacer et apostolicus, Petri Apostolorum coryphaei confessor, eruditione praeclarisque facinoribus clarebat Gregorius, qui Romam atque Italiam totumque Occidentem a Leonis obedientia tam civili quam ecclesiastica et ab ejus imperio subtraxit.* Ibidem etiam commemorat epistolas, quibus Gregorius Imperatorem redarguit, ut omnibus notas. — Ac paulo inferius denuo haec habet: *Caeterum Gregorius sacer Romae praesul, quemadmodum jam praemisi, Anastasium una cum libellis ejus abjudicavit, Leonemque ipsum tanquam irreligiosum per epistolas redarguit, ac Romam cum universa Italia ad defectionem ab ejus imperio concitavit.* — Plane similia scribunt ex Graecis Cedrenus, qui vixit saeculo XI, in *Compendio hist.*, et Zonaras, qui floruit saeculo XI—XII, in *Annal. L. XV.* — Ex latinis autem scriptoribus ita habet

---

[1]) Theophanes computat annos imperii Leonis Isauri ab ejus coronatione Constantinopoli die 25 Martii a. 617 facta, adeoque ejus annus nonus ipsi est a. 726. Caeterum vero Leo jam a. 716 imperium usurpavit, seseque Theodosio III in Imperatorem electo opposuit.

Auctor *Historiae Miscellae* quae sub Pauli Diaconi nomine circumfertur, libro XXI agens de decimo tertio anno Leonis: *In seniori vero Roma Gregorius sanctissimus vir apostolicus verbo et actu coruscus, qui removit Romam et Italiam necnon et omnia tam reipublicae quam ecclesiastica jura in Hesperiis ab obedientia Leonis et Imperii sub ipso constituti.... Sane Gregorius sanctissimus Praesul Romanus, quemadmodum praedixi, Anastasium una cum libellis abjecit, Leonem per epistolas tanquam impie agentem redarguens, et Romanos cum tota Italia ab illius imperio recedere faciens. Insaniens ergo tyrannus contra venerabiles imagines persecutionem tetendit. Porro multi clerici et monachi et religiosi viri pro recto periclitati sunt verbo.* — Sed sicuti plura alia, etiam haec ex Theophane desumpta esse merito censentur[1]). Idem porro dicendum est de aliis scriptoribus latinis videlicet de Sigeberto Gemblacensi, Hugone et Ekkehardo, qui saeculo XI floruerunt et in suis Chronicis similia referunt. Unde S. Theophanis testimonio demum ea sententia nititur, quam Baronius aliique auctores citati tenent.

32. Qui oppositae sententiae adstipulantur variis nituntur rationibus, quarum aliae infirmiores quidem sunt, aliae autem satis solidae esse videntur. Natalis Alexander, quum nec directam nec indirectam potestatem RR. Pontificum in res temporales admittat, probare studet, talem agendi rationem quae Gregorio a graecis auctoribus attribuitur, doctrinae catholicae Scripturarum et Traditionis repugnare, adeoque in Pontifice egregio supponi non posse. Altera sententia

---

[1]) Ad Historiam Miscellam quod attinet scribit C. De Smedt, *Introductio gen. ad Histor. eccles. p. 86*: „De gestis Longobardorum extremo saeculo VIII scripsit Paulus Warnefridi, qui et Diaconus vocari solet, gente Longobardus, qui et ipse praeterea Historiam Romanam contexuit libris sexdecim, quorum tamen decem priores ex Eutropii opere excerpsit, sex sequentes vero a tempore Valentiniani exaravit proprio marte: ex his videtur confecta ineunte saeculo IX quae sub nomine Pauli fertur *Historia Miscella*, a quodam qui in ms. Codice Landulphus Sagax dicitur et octo libros illi adjecit, narrationem rerum prosecutus usque ad annum 813." — Sed alii etiam serius compilationem Historiae Miscellae factam esse existimant

Expenditur. Quum hujus loci non sit tractare de auctoritate Romani Pontificis, haec fusius refutare non vacat. Sufficiat tamen animadvertere, jam a S. Gregorio M. in variis diplomatibus, quae xenodochiis et ecclesiis Galliae concessit, poenas temporales statui in eos, qui jura eorum violaverint et bona diripuerint. *Si quis vero regum*, ait, *sacerdotum, judicum, personarumque saecularium hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens contra eam venire tentaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat*[1]). — Scriptores porro graeci qui factum Gregorii II referunt, laudibus etiam hunc Pontificem efferunt, adeoque ostendunt, ea aetate talem auctoritatis usum habitum fuisse ut legitimum, nullatenus vero ut doctrinae Ecclesiae contrarium.

33. Infirmum quoque est argumentum deductum ex epistolis Gregorii, quatenus eorum contextus non videtur supponere defectionem Italiae ab Imperio orientali. Etenim ut omittamus quaestionem, an contextui repugnet separatio ad tempus peracta, epistolae illae non, uti Pagi existimat, anno 730 brevi ante mortem Gregorii scriptae sunt, sed jam anno 627 et 628. Jamvero quum Leo Isaurus in saeva sua impietate persisteret, potuisset subsequentibus annis ita Pontifex in eum animadvertere, ut reipublicae atque Ecclesiae incolumitati provideret. — Neque principia in istis epistolis exposita pugnant per se, cum tali usu potestatis pontificiae. Habentur quidem in epistola prima illa: *Scis, Imperator, sanctae Romanae Ecclesiae dogmata non Imperatorum esse, sed Pontificum, quae tuto debent dogmatizari. Idcirco ecclesiis praepositi sunt Pontifices a reipublicae negotiis abstinentes; et Imperatores ergo similiter ab ecclesiasticis abstineant, et quae sibi commissa sunt*

---

[1]) Gregor M. Epist. L. XIII. ep. 8. 9. 10. — Negant quidam adversarii R. Pontificis (Janus, S. 6) genuinitatem harum epistolarum, sed eadem peremptoriis argumentis constat. Unde Gallicani eo confugerunt, ut vel tanquam meram imprecationem ea verba exponerent, vel sensum arbitrarie restringerent. V. Hergenröther, Kirche und Staat S. 126; Molitor, Die Decretale *Per Venerabilem* (a. 1876.) S. 219.

capessant. . . Cessa et quiesce, tum synodo minime opus erit. — Et in altera: *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet ac dignitates regias*[1]) *deferendi, sic nec Imperator in ecclesias introspiciendi et electiones in clero perficiendi.* — Sed haec Pontifex merito statuit, dum distinctam potestatis civilis et ecclesiasticae describit sphaeram, quae pertinet ad statum normalem pacis et harmoniae. Nullatenus his excluditur, quod propter superioritatem Ecclesiae ratione boni spiritualis aliquando auctoritatem suam Pontifex indirecte etiam in res temporales exercere possit. Haud prudentis oeconomiae fuisset, si illam superioritatem potestatemque suam Pontifex in illis epistolis evexisset, quum sufficeret, ut Imperatorem ab immixtione in res ecclesiasticas deterreret.

34. Sed gravius videtur revera argumentum inde deductum, quod scriptores occidentales illi aetati proximiores, non solum silent de ejusmodi defectione Italiae auctore Gregorio Pontifice, sed ipsius Pontificis consiliis et influxui adscribunt, quod Itali, non obstantibus Imperatoris vexationibus, ipsius supremam dominationem non abjecerint. Sic Paulus Diaconus, auctor Gregorii temporibus Paulus Diac.
suppar, scribit in sua Historia Longobardorum L. VI. c. 49: *Eo tempore rex Luitprandus Ravennam obsedit, Classem invasit atque destruxit. Tunc Patricius Paulus ex Ravenna misit qui Pontificem interimerent. Sed Longobardis pro defensione Pontificis repugnantibus Spoletanis in Salario ponte, et ex aliis partibus Longobardis Tuscis resistentibus, consilium Ravennatium dissipatum est. Hac tempestate Leo Imperator apud CPolim Sanctorum imagines depositas incendit. Romano quoque Pontifici similia facere, si imperialem gratiam habere vellet, mandarit; sed Pontifex hoc facere contempsit. Omnis quoque Ravennae exercitus vel Venetiarum talibus jussis uno animo restiterunt, et nisi eos prohibuisset Pontifex, Imperatorem super se constituere fuissent aggressi. Rex quoque Luitprandus castra Aemiliae,*

[1]) Regias dignitates, i. e. ea munera et officia honorifica quae conferuntur a rege.

Foronianum et Montem Bellium, Buxeta et Persiceta, Bononiam et Pentapolim Auximumque invasit. Pari quoque modo tunc et Sutrium pervasit, sed post aliquot dies iterum Romanis redditum est.

Anastasius Biblioth.

35. Simili ratione etiam apud Anastasium Bibliothecarium in Vita Gregorii II. quae anteriori tempore conscripta censetur, iterato asseritur, ipsum Pontificem detinuisse Italos, ne ab Imperatore deficerent. Inter alia haec occurrunt: *Postmodum Paulus patricius et exarcha Imperatoris jussione eumdem Pontificem conabatur interficere, eo quod censum in provincia ponere praepediebat, et suis opibus ecclesias denudare, sicut in caeteris fecerat locis, atque alium in ejus loco ordinare nitebatur. . . Jussionibus itaque postmodum missis decreverat Imperator, ut nulla imago cujuslibet sancti aut martyris aut angeli ubicumque haberetur, maledicta enim omnia asserebat, et si acquiesceret in hoc Pontifex, gratiam Imperatoris haberet, si et hoc fieri praepediret, a suo gradu decideret. Respiciens ergo pius vir profanam principis jussionem, jam contra Imperatorem quasi contra hostem se armavit, renuens haeresim ejus, scribens, ubique cavere se Christianos eo quod orta fuisset impietas talis. Igitur permoti omnes Pentapolenses atque Venetiarum exercitus contra Imperatoris jussionem restiterunt, dicentes, nunquam se in ejusdem Pontificis condescendere nece, sed pro ejus magis defensione viriliter decertare. Ita ut anathemati Paulum exarchum vel qui eum direxerant ejusque consentaneos submittunt; spernentes ordinationem ejus, sibi omnes ubique in Italia Duces elegerunt, atque sic de Pontificis deque sua immunitate sancti studebant. Cognita vero Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, ut sibi eligerent Imperatorem et Constantinopolim ducerent. Sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conversionem Principis. . . Una se quasi fratres fidei catena constrinxerunt Romani atque Longobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, nunquam illum passuri perferre molestiam pro fide vera et Christianorum certantem salute. His ita se habentibus elegit majus praesidium pater ille distribuere pauperibus largissima manu quae reperiebat, incum-*

bens orationibus et jejuniis et laetaniis Deum quotidie deprecabatur. Et spe ita manebat semper fultus plusquam hominum, gratias tamen voluntati populi referens pro mentis proposito, blando omnes sermone, ut bonis in Deum proficerent actibus et in fide persisterent, rogabat. Sed ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperii admonebat. Sic cunctorum corda molliebat et dolores continuos mitigabat.

36. Narrat dein Anastasius, quomodo eodem tempore *Indictione undecima* Longobardi Sutrium occupaverint. sed post aliquot menses Romano Pontifici reddiderint (a. 728), et qua ratione, quum Luitprandus rex et Eutychius exarcha Romam venissent, tum Luitprandus tum Eutychius *ad pacis concordiam* suscepti sint. Romae versante Eutychio rebellionem fecit in partibus Tusciae quidam Tiberius Petasius. *Exarchus*, scribit Anastasius, *haec audiens turbatus est, quem sanctissimus Papa confortans, et cum eo proceres Ecclesiae mittens atque exercitus, profecti sunt. Qui venientes in Mantuariensi castello, ibidem Petasius interemptus est. Cujus abscissum caput Constantinopolim ad principem missum est, et nec sic Romanis plenam gratiam largitus est Imperator.* — Isti eventus pertinent ad annum 828 (Ind. XI) et a. 829 saltem ineuntem. Commemorat enim ibidem Anastasius, eo tempore, Indictione XII (a. 829) mense Januario cometem aparuisse. Patet igitur, eo tempore saltem Gregorium nullatenus Italos ab obedientia Imperatoris solvisse. — Scribit quidem Anastasius, post haec Imperatoris malitiam et saevitiam adhuc crevisse. *Post haec*, ait, *claruit Imperatoris malitia, pro qua persequebatur Pontificem,* ac dein vehementiorem pugnam contra sacras imagines Constantinopoli excitatam commemorat, Germani patriarchae depositionem, et Anastasii ordinationem. Sed quae Gregorius ea occasione fecit denuo iis verbis describit, ut separatio ab Imperio nullatenus commemoretur, nec convenienter videatur posse supponi. *Qui missa Romam synodica*, scribit, *cum tali haeresi eum* (Anastasium) *consentientem reperiret, vir sanctus non censuit eum fratrem aut consacerdotem solito vocari, sed rescriptis commonitoriis nisi ad catholicam converteretur fidem, etiam*

extorrem a sacerdotali officio esse mandavit. Imperatori quoque suadens salutaria, ut a tali execrabili miseria declinaret, scriptis commonuit. — In vita porro Gregorii III, uti in Anastasio habetur, etiam non apparent vestigia plenae separationis Italiae ab Imperio Orientis. Imo quum monitis suis idem Pontifex institerit, ut a lucta contra sacras imagines Imperator recederet, quumque ex Anastasio Itali *supplicationum scripta pro erigendis imaginibus* miserint ad Imperatorem, ex hisce potius suadetur, Italos ab Imperio non defecisse.

Argumenta contraria

37. Nititur quidem Sandini l. c. etiam haec argumenta acute diluere. Advertit, ea quae ex Paulo Diacono et Anastasio afferuntur contraria, spectare priora tempora Gregorii II; ab obedientia et a tributis ipsum solvisse Italos ultimis annis pontificatus sui, *quando claruit (a. 730) malitia Imperatoris;* neque in gestis Gregorii III aliquid inveniri, quod narrationi scriptorum graecorum opponatur. Hanc igitur esse admittendam. Similia etiam Em. Card. Bartolini l. c. habet. — Sed mirum sane est, latinos scriptores de tali facto Pontificis ac de peracta Italorum defectione ab Imperatore ne verbum quidem dicere. Iste eventus magni momenti haud facile oblivioni datus fuisset. Quamvis hoc argumentum sit negativum, vi tamen sua non caret. Ea vero quae de ultimis quoque Gregorii II annis et de pontificatu Gregorii III ab Anastasio referuntur, quamvis absolute cum suppositione defectionis Italiae non pugnent, difficile tamen cum ea consistere posse videntur. Praeterea facile fieri potuit, ut graeci scriptores, vel potius Theophanes ex quo reliqui hauserunt, minus accurate quae in Italia acciderint nossent, quaedam confunderent, et in narratione errarent. Sane Itali et praecipue Romani *de facto* Leonis conatibus vi restiterunt, et quum a Longobardis etiam premerentur, eo res devenit, ut ducibus pro arbitrio electis ipsi sibi providere studerent, et auctoritas imperialis fere nulla esset. Tributa in ista animorum commotione etiam recusata esse, facile dixeris, vel saltem impositionem novi tributi impeditam. Hinc potuit fieri, ut apud Orientales opinio

oriretur, Italos Pontifice auctore se ab obedientia Imperatoris subducere.

38. Ad tributa quod spectat profecto animadvertendum est, Anastasium referre, Paulum exarchum voluisse Pontificem interficere, *eo quod censum in provincia ponere praepediebat.* Id tamen ita refert Anastasius, ut accidisse videatur, antequam edictum de evertendis imaginibus in Italiam delatum esset. Imperator forte tributis injustis et aequo majoribus Italos premere conabatur[1]), et censum ejusmodi injustum Gregorius impedivit. Potuit tamen etiam Anastasius quaedam confundere, ita ut revera id acciderit orta jam contra imagines lucta. Utrum vero hac in re intervenerit Gregorius pro eo tantum influxu, quem de facto in res temporales provinciae Romanae habebat, an vero auctoritate quoque suprema qua summus Pontifex erat, ita ut solveret subditos a pendendo impio Ecclesiae persecutori tributo, vel ut tributum tamquam injustum non exhibendum esse declararet, satis non liquet. — Omnibus consideratis fatendum est, ex documentis quae nobis suppetunt non dirimi peremptorie quaestionem, utrum Gregorius II aliquando Italos Romanosve ob impietatem et persecutiones Leonis Isauri, ab obedientia et tributis ei praestandis solverit. Sed negantis sententiae firmiora sunt argumenta ex historia petita[2]). Sententia negans praefertur.

[1]) Durum ea in re Imperatorem fuisse, ostendunt quae fecit postea, quum perierat classis quam miserat, ut cogeret Italos ad obedientiam praestandam edictis contra imagines propositis. Scribit Theophanes sub anno XVI Leonis: *Ex quo in furorem actus Dei ille hostis Arabico sensu imbutus, auctiora Siculis ac Calabris populis parte tertia tributa in singula hominum capita imposuit.*

[2]) P. Balan citatis verbis Theophanis advertit: „Queste parole sono sotto l'anno decimo terzo di Leone, quindi sotto il 730, ossia dal 25 Marzo 729 al 25 Marzo 730. Esse non devono prendersi alla lettera, ma nel significato che per causa della controversia sulle immagini, Roma e l'Italia furono perdute per l'Impero d'Oriente. Del resto nel 729 cominciò la indipendenza col rallentarsi dei legami; ma si compì forse solo dopo il 730." L. c. p. 83 nota 1. — Huic sententiae pronius adstipulamur, ea tamen restrictione, quod non nisi *paulatim* subsequentibus annis plenior solutio Italiae ab Imperio Orientis nobis videatur accidisse

Synodus Romana.

39. Habuit S. Gregorius II in causa sacrarum imaginum etiam Romae synodum, cujus acta quidem deperdita sunt. Sed mentionem ejus facit Hadrianus I R. P. in epistola ad Carolum M. scribens: *Pro his firmissimis exemplis* (honorandi sacras magines) *praedecessor noster dominus Gregorius II junior Papa in suo sacro concilio, (quod et in alio concilio praedecessoris nostri Stephani Papae una cum sacerdotibus partium Franciae atque Italiae susceptum et veneratum est), in eo ipso praesidente sanctissimo ac beatissimo quondam domino Gregorio Papa per semetipsum similiter dixit.*[1]) Citat dein fragmentum orationis Gregorii II. Aliud fragmentum actorum hujus synodi publicavit Em. Mai in suo Specilegio Romano. Conveniunt vero haec quam maxime cum iis, quae in epistolis Gregorii II ad Leonem Isaurum habentur. Quo anno autem illud concilium habitum sit, non plane conveniunt eruditi. Cum cl. Hefele admodum probabile esse censemus, synodum hanc celebratam esse versus a. 727, postquam Leo Imperator edictum suum contra sacras imagines emisisset, ibidemque deliberatum esse de praeclara illa epistola prima, qua mox ad Imperatorem directa Pontifex egregie cultum sacrarum imaginum vindicat. Pagius quidem pro sua sententia, anno 730 Gregorii epistolam scriptam esse, eo anno etiam synodum habitam esse existimat. Em. Bartolini vero, etsi epistolam primam Gregorii II scriptam esse teneat anno 727, censet, uti Pagius, synodum habitam esse versus annum 730, ac dein a Gregorio II Italos a subjectione in Leonem esse solutos. Sed, uti jam diximus, synodum illam anno 727 celebratam esse existimamus.

Gregorius III. R. P.

40. Quum S. Gregorius II die 13 Februarii anni 731 ad coelum migrasset, die 18 Martii in ejus locum suffectus fuit *Gregorius III* Syrus, vitae santitate, sapientia et vigilantia clarus. Non minorem is curam in propugnando sacrarum imaginum cultu monstravit. Litteras et legatos iterato ad Leonem Imperatorem destinavit, ut eum ab impia haeresi ad catholicam sententiam revocaret. Itali

[1]) V. Labbé, VII. col. 947.

etiam unanimes supplicationum libellos pro restituendis imaginibus ad Imperatorem direxerunt. Sed tum Pontificis tum Italorum legati in Sicilia retenti, nec ad Imperatorem admissi sunt. Quum vero Leo Isaurus in persequendis imaginibus eorumque defensoribus perstaret, Gregorius III a. 732 Romae nonaginta trium episcoporum synodum habuit, praesentibus etiam reliquo clero et primoribus Urbis ac populo; atque ad confirmandas antiquas Patrum traditiones de cultu sacrarum imaginum decretum constituit (Constitutum), quo diro anathemate feriit omnes qui eidem adversarentur. „Majori fidei ardore permotus Pontifex, ita in Vita Gregorii III apud Anastasium, synodale Decretum cum sacerdotali conventu coram sacrosancta Confessione sanctissimi corporis beati Petri apostoli, residentibus cum eodem summo et venerabili Papa et archiepiscopis, id est Antonio Gradensi archiepiscopo, Joanne archiepiscopo Ravennate, cum caeteris episcopis istius Hesperiae partis, numero nonaginta tribus, seu presbyteris sanctae hujus apostolicae Sedis, adstantibus diaconibus cum cuncto clero, nobilibus etiam consulibus, et reliquis christianis plebibus adstantibus decrevit, ut si quis deinceps antiquae consuetudinis et apostolicae Sedis tenentes fidelem usum contemnens, adversus eamdem venerationem sacrarum imaginum, videlicet Dei et Domini Nostri Jesu Christi, et Genitricis ejus semper Virginis immaculatae atque gloriosae Mariae, beatorum Apostolorum et omnium Sanctorum, depositor atque destructor, atque profanator vel blasphemus exstiterit, sit extorris a corpore et sanguine Domini Nostri Jesu Christi, vel totius Ecclesiae unitate atque compage; quod et subscriptione sua solemniter universi firmarunt."

41. Non obstante Pontificis moderatione, Leo Imperator adeo exarsit, ut classem ingentem adversus R. Pontificem et Italos destinaret, quae tamen, Deo res disponente, in mari Adriatico naufragium fecit[1]. Patrimonia Leonis imp. vexatio.

[1] Censet Damberger (Synchron. Gesch. B. II. S. 257), hanc classem missam esse haud contra R. Pontificem et Italos, sed contra Lon-

Ecclesiae Romanae in Calabria et Sicilia sita Imperator in fiscum redegit. Praeterea tum Siciliam et Calabriam, tum dioeceses Illyricianas Romano patriarchae tunc tyrannice subtraxit, et CPtano attribuit, atque ita futurum schisma praeparavit. Provincias enim illas Illyricianas, quas dudum jam patriarchae CPtani appetebant, hac ratione per Imperatorem haereticum acquisiverunt[1]), nec postea easdem dimittere voluerunt etiam patriarchae orthodoxi. — Continuavit Leo Isaurus bellum contra sacras imagines usque ad mortem quae a. 741 accidit.

Constant. Copronymus. 42. Imperii et impietatis haeredem habuit Leo filium *Constantinum V* (Copronymum). Is non minus quam pater sacras imagines oderat, verum primis Imperii annis occupatus fuit debellando Artabasdo, qui a multis Imperator

---

gobardos, ut Ravenna quam occupaverant liberaretur, scriptores vero aestu quodam abreptos ob Leonis impietatem, pravum illum finem ei adscripsisse. — Sed conjectura haec est nimis arbitraria.

[1]) Quum clerus CPtanus nostro tempore suam jurisdictionem in dioeceses Graeciae urgeret, vel ipsi schismatici Graeci usurpationem illam CPtanis exprobrarunt. „C'est-à-dire, ait Pitzipios, *L'Eglise orient.* P. I. p. 12, comme l'Archimandrite Pharmacides, professeur de théologie á l'Université d'Athènes, dit trés juridiquement dans la réponse qu'il a faite au clergé de Constantinople sur la prétendue juridiction de ce clergé sur les diocèses du royaume de la Grèce, un empereur hérétique retrancha ces diocèses d'un Pape orthodoxe pour les donner à un patriarche hérétique comme lui (Pharmacides, *Antitomos*, Athènes 1850)." Recolendum est, Illyricum fuisse unam e quatuor magnis praefecturis, in quas Constantinus imperium divisit: Oriens, Illyricum, Italia, Gallia. Inde a Theodosio Illyricum Imperio orientali adjectum est. Dioeceses Illyricianae autem ad patriachatum Romanum pertinebant, Vicariusque in ipsis a Romano Pontifice plerumque episcopus Thessalonicensis constituebatur Studium vero patriarcharum CPtanorum jam dudum eo tendebat, ut Illyricum suae jurisdictioni subjicerent. Anomaliam esse putabant, ut illae provinciae ad Imperium orientale pertinentes Romano patriarchatui subessent. — Singulae provinciae recensentur in epistola Nicolai I ad Michaëlem Imperatorem, qua postulat ut eaedem patriarchatui Romano restituantur. „Antiquum morem, scribit, quem nostra ecclesia habuit, vestris temporibus restaurare dignemini, quatenus vicem per *Epirum veterem Epirumque novum, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam Ripensem, Daciamque Mediterraneam, Moesiam, Dardaniam, Praevalim*, B. Petro Apostolorum principi contradicere nullus praesumat." V. Pagi, Critica Baronii ad a. 730 n. 11.

salutatus, per breve spatium temporis etiam Constantinopoli potitus est, et cultum sacrarum imaginum restituit. Sed a. 743 Constantinus eum vicit et ex throno dejecit, quumque etiam Saracenos feliciter repulisset, luctam contra cultum sacrarum imaginum prosecutus est. Ne autem rem ex arbitrio agere videretur, anno 754 Constantinopoli synodum coëgit, cui interfuerunt trecenti triginta et octo episcopi orientales, viri ignavi et Imperatori dediti. Horum episcoporum facile principes erant Theodosius Ephesi, et Pastillas Pergiae in Pamphilia praesules. Hi episcopi, nemine catholicis a sedibus vocato, Romano Pontifice et Patriarchis orientalibus absentibus, neque invitatis aut consultis, a 10ª die Februarii usque ad 2ᵃᵐ Augusti synodum suam celebravere, quam et oecumenicam septimam esse volebant. Praesedit Theodosius, quum defuncto Anastasio sedes CPtana vacaret. Congregati igitur praesules, rem agentes non secundum Ecclesiae traditionem sed juxta mentem Imperatoris, constituerunt, omnes cujuscunque materiae vel coloris imagines esse abjiciendas, eos qui imagines deinceps confecerint, in ecclesia vel in domo posuerint, coluerint vel occultaverint, si clerici essent, esse deponendos, si monachi aut laici, excommunicandos, et insuper poenis ab Imperatore statutis afficiendos. Haec quidem illi constituerunt specioso praetextu, quod imaginum cultus esset idololatricus, doctrinae veteris et novi Testamenti adversaretur, Arii, Nestorii et Eutychetis blasphemiis faveret. Pseudosynodus Cptana.

43. Sophisticae eorum argumentationis indolem licet agnoscere ex his argumentis, quibus probare satagunt, imaginum cultum ad Eutychetis vel Nestorii haereses perducere. *Fecit enim iste talis*, inquiunt, *imaginem, nominans eam Christum, et est nomen quod est Christus Deus et homo. Ergo et imago Dei et hominis. Itaque aut circumscripsit, secundum quod visum est vanitati suae, incircumscriptionem deitatis circumscriptione creatae carnis, aut confudit inconfusibilem unitionem illam confusionis iniquitatem incurrens, duas blasphemias ex hoc deitati applicans per circumscriptionem et confusionem. Eisdem ergo et is qui adorarit blas-* Argumentatio sophistica.

phemiis submittitur, et vae utrisque consimile, quia cum Ario et Dioscoro et Eutyche atque cum Acephalorum haeresi erraverunt. Damnandi autem ab his qui bene sentiunt eo quod incomprehensibilem et incircumscriptam divinam Christi naturam pingere conentur, profecto ad aliam confugient malae machinationis defensionem, quia solius carnis illius quam vidimus et palpavimus et cum qua conversati sumus iconam depingimus. Quod est impium et Nestoriani pessimi sensus inventio. . . Quomodo insensati et cuncta irrationabilitate repleti dividunt carnem, quae cum divinitate connexa et deificata est, et quasi puri hominis imaginem pingere tentant? Nam et in isto in aliud iniquitatis barathrum incidunt, separantes carnem a divinitate et privatae subsistentiae illam asseverantes, et aliam personam carni tribuentes, quam et imaginare fatentur: ex hoc ostendentes quartae personae additamentum in Trinitate: super haec et assumptionem quae divinitus est suscepta atheoton depingentes (τὸ θεόθεν πρόςλημμα ἱστοροῦντες ἀθέωτον). *Colligitur ergo, ab his qui Christi imaginem pingendam existimant, aut divinitatem circumscriptam et carne confusam, aut corpus Christi atheoton et divisum ac personam privatae substantiae super carnem* (ἐπὶ τῆς σαρκὸς) *dari, similes in hoc effecti Nestorianorum impugnationi quae in Deum est. In talem blasphemiam et impietatem incurrentes confundantur et revereantur, et cessent qui patrant, et desiderant, et colunt imaginem quae fallaciter ab eis facta et dicta est Christi. Cesset etiam a nobis ex aequo et Nestorii partitio, atque Arii, Dioscori, et Eutychetis, et Severi confusio, quae sunt immensa mala et impietate comparia*[1]).

Refutatio. 44. Expositio hujus synodi in Concilio Nicaeno II Actione sexta recitata est simul cum refutatione Anonymi, quae responsio quamvis passim nimis diffusa sit, tamen errorem Iconoclastarum bene diluit. Ita convenienter ad ea quae citavimus inter alia haec reponuntur: *Christiani unum Emmanuel scientes Christum Dominum, ipsum depingunt secundum quod Verbum caro factum est; et multiplices gar-*

[1]) Conc. Nicaenum II. Act. VI. Labbé, VII. 435. 439. 442

rulitates a se procul repellunt, simplici corde omnia quae tradita sunt in Ecclesia suscipientes; et intuentes picturas nihil aliud intelligunt, nisi quae signantur in ipsis. Etenim cum viderint in pictura parientem Virginem et Angelos supra stantes cum pastoribus, recogitant, Deum humanatum nasci propter salutem nostram, et confitentur dicentes: Is qui sine carne erat, caro factus est; Verbum incrassatum est, increatus creatus (ὁ ἄκτιστος ἐκτίσθη), *impalpabilis palpatus est; atque unum eumdemque confitentur perfectum in deitate et perfectum in humanitate, Deum veraciter et hominem veraciter*[1]). . . *Nulla autem est procul dubio ratio dissensionis* (διχοστασίας) *vel separationis aut alicujus divisionis, vel rursus essentiae confusionis, quemadmodum crebro falso concionati sunt, pro eo quod pingitur Dominus secundum id quod homo fuit perfectus. Aliud est enim imago, et aliud principale* (τὸ πρωτότυπον) *et proprietates principalis nullatenus quis eorum qui sanum sapiunt, in imagine quaerit. In imagine enim nil aliud vera ratio norit, quam secundum nomen communicare illi* (κατὰ τὸ ὄνομα κοινωνεῖν), *cujus est imago, et non secundum substantiam* (καὶ οὐ κατὰ τὴν οὐσίαν).[2])

45. Conciliabulum illud sub anathemate postremo, uti diximus, sacrarum imaginum usum et cultum proscripsit; simul tamen episcopi suam fidem de veneratione et intercessione Sanctorum professi sunt. Statuerunt videlicet: *Si quis non confitetur sanctam semper Virginem Mariam proprie ac vere Dei genitricem, sublimiorem esse omni visibili et invisibili creatura, et cum sincera fide ipsius non expetit intercessiones tanquam fiduciam habentis ad Deum nostrum qui ex illa genitus est, anathema*[3]). *Si quis non confitetur omnes Sanctos qui a saeculo usque nunc sunt, qui ante legem ac in lege et in gratia Deo placuerunt, honorabiles esse coram ipso anima et corpore, vel horum non postulat orationes, tanquam fiduciam habentium pro mundo intercedere secundum ecclesiasticam traditionem, anathema.* — Ex hisce colligitur, ab Iconoclastis doctrinam de cultu et intercessione Sanc-

[1]) L. c. p. 439. [2]) Ibidem p. 442.
[3]) L. c. p. 523. [4]) Ibidem. p. 527.

torum non fuisse rejectam; quae vero apud quosdam auctores inveniuntur etiam sub hoc respectu Iconoclastis exprobrata, videntur ad Constantinum Imperatorem tantum referenda esse. — In anathemate contra cultores imaginum conciliabulum singillatim perstrinxit Germanum Patriarchum CPtanum, Georgium Cyprium et Joannem Damascenum (Mansur), qui in sacrarum imaginum cultu scriptis et opere defendendo constantiores se fortioresque demonstrarunt. Demum Anastasio pseudopatriarchae CPtano defuncto, ab Imperatore in synodo suffectus est Constantinus monachus et Sylaei in Pamphilia episcopus, homo nequissimus et sacrarum imaginum hostis infensus.

46. Post ejusmodi conciliabuli decreta Constantinus majori etiam violentia in sacras imagines saeviit. Cum tamen non deessent avitae fidei tenaciores qui pro sacrarum Imaginum cultu decertarent, eosdem Imperator variis cruciatibus sustulit; imprimis monachos denuntiatos, quod sanctis coram imaginibus supplicassent, publica ignominia dirisque suppliciis affecit, eorum domos, supellectilem, libros divendidit, monasticum ordinem prorsus exscindere satagens. — Litem Constantinus etiam in ecclesiis extra Imperium suum excitare, easque in partes suas trahere tentavit. Anno 767 misit ad Pipinum regem legatos, sex patritios cum pluribus episcopis, qui filiam ipsius Godegiselam Leoni Augusto Constantini filio collocandam postularent ac Ravennatis exarchatus a Pipino subacti restitutionem loco dotis, quique ne religionis disparitas ineundo foederi obesset, controversiam de imaginibus episcoporum Galliae examini permitterent. Pipinus concilium Gentiliaci celebrari jussit, non absque venia Sedis Apostolicae, uti constat ex epistola Pauli I ad ipsum data. Ea in synodo quaestio duplex ad examen vocata est, prima de imaginibus, altera de processione Spiritus Sancti, circa quam Romanos innovasse Graeci causabantur. Quis fuerit istius concilii exitus, etsi non dicant auctores qui illius meminere, uti Eginhardus et Ado Viennensis in Chronicis, ex eis tamen quae a Gallicanis Praesulibus in aliis synodis gesta sunt, et ex fide ecclesiae Gallicanae illorum temporum

Concil. Gentiliacense.

monumentis probata, colligere est, damnatam fuisse in illo concilio Iconomachorum haeresim, et fidem processionis Spiritus Sancti a Patre Filioque confirmatam.

47. Eodem paene tempore tres patriarchae orientales, Cosmas Alexandrinus, Theodorus Antiochenus et alter Theodorus Hierosolymitanus, eorumque metropolitae praeclaram fidei suae professionem de Sanctorum ac sacrarum imaginum et reliquiarum cultu miserunt ad Romanum Pontificem, uti constat ex epistola synodica a Theodoro Hierosolymitano scripta, et a Cosma Alexandrino, ac Theodoro Antiocheno multisque metropolitis consignata. — Anno 769 Stephanus III Romanus Pontifex concilium habuit Romae in Basilica Lateranensi. In eo primum discussa et rescissa sunt acta Constantini pseudopapae, qui a Desiderio Longobardorum rege intrusus fuerat; dein sacrarum imaginum honos stabilitus est, damnataque CPtana Iconomachorum pseudosynodus. — Hisce vero annis independentia variarum regionum Italiae earumque separatio ab Imperio Orientis magis magisque completa est. Hac de re inferius agemus. In Oriente autem bellum contra imagines ultimis Constantini Copronymi annis efferbuit in persecutionem generalem contra monachos, qui praecipue cultum sacrarum imaginum tuebantur. Eorum institutum penitus eradicare studuit Imperator, monasteria aliaque bona iis eripuit, et in usus alios ac praecipue militares convertit. Dixeris, luctam contra sacras imagines occasionem fuisse factioni schismaticae et iniquae aliquot Praesulum aliorumque hominum profanorum, ut unionem cum Ecclesia Romana penitus rumperent, ordinem monasticum destruerent, et quae ad pietatis fervorem spectant pessumdarent.

Patriarchae orientales.

48. Anno 775 Constantinus V infelici morte exstinctus est, eique successit *Leo IV* ejus filius. Is quidem initio abstinuit a persecutione fidelium, atque etiam favorem ostendit monachis; attamen cultui imaginum oppositus erat eumque restitui noluit. Anno vero 779, cum in Irenes Imperatricis pulvinari imagines inventae essent absconditae, atrociter hac de re poenas exegit. Inquisitione enim

Leo IV. Imp.

facta in eos qui imagines istas intulissent, plures nobiles viros dire persecutus est, Irenem vero durius increpitam et negantem, imagines illas ipsa conscia ibi delituisse, in exilium abjecit. — Quum die 6 Februarii anni 780 Niceta Patriarcha CPtanus obiisset, in ejus successorem selegit Imperator Paulum lectorem; ab eo vero exegit, ut jurejurando promitteret, se cultum imaginum non esse restiturum. Id quidem initio Paulus promittere renuit sedemque CPtanam accipere declinavit; demum tamen cessit Imperatori, et praestito ejusmodi jurejurando currente Quadragesima illius anni in sedem CPtanam evectus est. Utrum tali in re Paulus, qui cultum imaginum licitum et pium esse certe tenebat, ignavia ambitioneve ductus sit, an vero censuerit oeconomia practica ad majora vitanda mala ejusmodi promissionem licere, difficile est dicere. Die 8 mensis Septembris anni 780 mortuus est Leo, eique successit *Constantinus VI* Porphyrogenitus, filius ejus decennis, sub tutela matris *Irenes*. Sub horum principatu usus et cultus sacrarum imaginum restituti sunt.

III.

De Concilio oecumenico septimo.

49. Quum quartum imperii annum agerent Irene et Constantinus (a. 784), Paulus patriarcha CPtanus morbo affectus ex inopinato dimisit munus suum ac dignitatem, et habitum monasticum in S. Flori monasterio sumpsit. Imperatrici nobilibusque viris ad ipsum accedentibus declaravit, se abdicasse episcopatu CPtano, quod angeretur ob promissionem Leoni factam de non restituendo sacrarum imaginum cultu, eosque magno cum dolore hortatus est, ut providerent tristi conditioni ecclesiae illius ab aliis separatae, utque rejecto errore in pristinum statum res restituerent. Paulo post obiit Paulus, et *Tarasius* qui Imperatori a secretioribus mandatis erat, Patriarcha in locum Pauli designatus est. Eum ut dignissimum a populo quo-

Tarasius Cptanus.

que postulatum scriptores referunt, sed diu recusasse, quod laicus esset. Munus tandem suscepit, ea proposita conditione, ut ad orthodoxiae et unionis restitutionem Concilium generale haberetur. Petitionem hanc tum Imperatrix tum alii plurimi viri insignes comprobaverunt, quo facto Tarasius festo Nativitatis Domini anni 784 in episcopum consecratus est. Tarasius forte in toto isto negotio disponendo ex condicto cum Imperatrice egit, ut via sterneretur ad cultum imaginum restituendum.

Legatio ad Hadrianum R. P.

50. Ut primum Tarasius inauguratus est, fidei suae professionem et supplices pro Concilii oecumenici celebratione litteras ad Hadrianum I Pontificem direxit, ab eoque ad communionem est admissus, quamvis ejus promotio ad episcopatum canonibus haud esset conformis, sed ea conditione, ut pro restituendis sacris imaginibus sedulo laboraret. Eodem tempore (mense Septembri a. 785) Constantinus et Irene ad Hadrianum Papam scripserunt rogantes, ut Constantinopolim venire dignaretur Concilio praefuturus, aut mitteret legatos qui vices suas obirent ac locum tenerent. Traditae fuerunt illae litterae Hadriano per Leonem presbyterum a Tarasio missum, simul cum Theodoro Catanae in Sicilia episcopo et Epiphanio legato Archiepiscopi Sardiniae, quibus ab Imperatoribus munus istud commissum est. Iisdem Hadrianus tradidit responsum suum (die 27 Octobris a. 785), videlicet epistolam ad Imperatores aliamque ad Tarasium patriarcham.

Hadriani epistolae.

51. In epistola ad Imperatores Pontifex pluribus vindicat auctoritatem Sedis Apostolicae ut fidei magistrae. Inter alia scribit: *Nam ipse princeps Apostolorum B. Petrus qui Apostolicae Sedi primitus praesedit, Apostolatus principatum et principalis curae successoribus suis, qui in ejus sede perenniter sessuri sunt, dereliquit; quibus et auctoritatis potestatem, quemadmodum a Salvatore nostro Domino Deo ipsi concessa est, et ipse quoque suis contulit ac tradidit divino jussu successoribus Pontificibus, quorum traditione Christi sacram effigiem, sanctaeque ejus Genitricis, Apostolorumque*

et omnium Sanctorum veneramur imagines. — Deinde multa profert ad cultum sacrarum imaginum ex Scriptura et Traditione vindicandum. Porro enixe eos monet, ut cultum sacrarum imaginum restituant Constantinopoli et in Imperio; annuit vero Concilio celebrando, si *propter haereticorum vesaniam* res aliter compleri nequeat. Unde manifeste patet, Hadrianum nullatenus doctrinam considerasse ut dubiam, quae in Concilio oecumenico dirimi debeat, sed ob rationes externas, ut haereticorum artes eliderentur, et majori cum vigore dogma catholicum vindicaretur, celebrationem Concilii forte opportunam fore, agnovisse.

Conditiones Synodi.

52. Varias autem praefinit conditiones, ut Synodus possit cum fructu haberi eique legati ipsius tuto interesse, etiam si pars adversa restitutionem imaginum impediret. *Coram Deo posco et adjuro,* scribit Pontifex, *ut easdem sacratissimas imagines in ipsa a Deo conservata regia urbe et caeteris Graeciae partibus, in pristinum statum restituere et confirmare jubeatis, observantes traditionem hujus sacrosanctae nostrae Romanae ecclesiae, abjicientes et respuentes iniquorum atque haereticorum calliditates, ut in hujus nostrae sanctae catholicae et apostolicae et irreprehensibilis Romanae ecclesiae ulnis suscipiamini. Si vero impossibile est haereticorum vesaniae pro incredulitate ipsorum, ipsas sacras ac venerandas imagines sine Synodi actione in pristino erigere ac confirmare statu, et nostros sacerdotes pro hujusmodi pia operatione vestra cupit serenissima imperialis potentia accersire, sicut in vestris fertur imperialibus jussionibus, in primis pseudosyllogum illud, quod sine apostolica Sede enormiter et irrationabiliter nequiterque contra sanctorum venerabilium patrum traditionem de sacris imaginibus actum est, anathematizetur praesentibus missis nostris; et tunc sicut antiquitus mos exstitit, jurejurando vestra piissima et tranquillissima potestas una cum Domina Augusta piissimi imperii vestri genitrice, seu ejusdem regiae urbis patriarcha, necnon et cuncto senatu, corporale tribuentes sacramentum, verbum commonitorium sicut antiquitus, pia Sacra nobis dirigere dignetur imperialis potestas: quia non est apud vos partis cujuslibet favor aut defensio, sed aequalitatem utrisque partibus*

conservabitis, nullatenus necessitatem facientes in quocumque capitulo eis, qui a nobis diriguntur quoquomodo, sed et omni honore cum munificentia competente eos dignos habebitis. Et si quidem utrique convenerint, ecce bene; si autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad nos dirigere satagatis, quia dudum ibidem pro zelo fidei ac sanctarum imaginum religiosi viri ac Dei famuli directi, in exilio missi sunt, et bonae confessionis hujus mundi finierunt vitam.

53. Hadrianus etiam instanter postulat, ut restituant Imperatores patrimonia S. Petri ab orthodoxis principibus ad concinnationem luminarium et alimoniam pauperum olim collata, necnon consecrationes episcoporum Sedi Romanae ex veteri jure competentes. *Porro et hoc*, scribit, *vestrum a Deo coronatum ac piissimum poscimus imperium, ut si veram et orthodoxam sanctae catholicae ecclesiae Romanae nitimini amplecti fidem, sicut antiquitus ab orthodoxis Imperatoribus, seu a caeteris christianis fidelibus oblata et concessa sunt patrimonia beati Petri Apostolorum principis, fautoris vestri, in integrum restituere dignemini pro luminariorum concinnationibus eidem Dei ecclesiae atque alimoniis pauperum. Imo et consecrationes archiepiscoporum seu episcoporum, sicut olitana constat traditio, nostrae diocesis existentes penitus canonice sanctae Romanae nostrae restituantur ecclesiae, ut nequaquam schisma inter concordiam perseverare valeat sacerdotum.* — Qua occasione et primatum vindicat Romani Pontificis, successoris B. Petri, *cujus sedes in toto orbe primatu fungens, caput omnium Dei ecclesiarum constituta est.* — Indicat autem Hadrianus hoc loco dioeceses Illyrici, Siciliae et Italiae meridionalis, quas Imperatores iconomachi juri patriarchatûs Romani subtraxerant. —

Hadriani postulat:.

54. Pontifex dein conqueritur, quod Tarasio titulus patriarchae *oecumenici* tribuatur. *Mirati sumus*, inquit, *quod in vestris imperialibus jussis pro patriarcha regiae urbis scilicet Tarasio directis, Universalem ibi reperimus exaratum; sed utrum per imperitiam, aut schisma, vel haeresim iniquorum scriptum est, ignoramus. . . . Deinceps suademus vestrae clementissimae imperialique potentiae, ut minime in suarum*

exarationum serie Universalis describatur, quia contra sanctorum canonum instituta, seu sanctorum Patrum traditionum decreta esse videtur. — Sed id factum erat juxta Orientalium consuetudinem, de qua alio loco agemus; Tarasius ipse abfuit a vana tituli illius ambitione, uti sua agendi ratione satis ostendit. — Demum Hadrianus significat Imperatoribus, sibi vehementer displicere, quod Tarasius ex laico ad episcopatum fuerit subito promotus. Unde ejus electionem ut perperam et contra canones factam improbat, eam tamen non rescindit, sed canonum in ea infractorum dat veniam ea conditione, ut pro sacris imaginibus restituendis sedulo laboret. *Et nisi per ejus fidelem concursum,* inquit, *pro sanctarum imaginum erectione, in ejus consecratione assensum omni modo tribuere nequirimus*[1]). — Epistolam valde similem Hadrianus etiam ad Tarasium dedit.

Litterarum indoles.

55. In hisce litteris Hadrianus manifeste auctoritatem supremam Sedis Apostolicae eximie vindicat, nec controversiam de imaginibus sacris Synodo relinquit dirimendam, vel ejus celebrationem ad veritatem statuendam necessariam habet. Fidem Romanae Ecclesiae amplectendam esse diserte dicit; consentit autem Synodi celebrationi, quatenus medium opportunum esse possit, ut majori vigore frangatur obstinatio haereticorum. Mirum est, Gallicanos etiam ad convocationem hujus Synodi confugere, ut suas firment opiniones, ac nuper Illmûm Maret inde studuisse suam comprobare sententiam de auctoritate et magisterio supremo inter Pontificem et episcopos diviso. Scribit inter alia: „Mais, si l'emportement et l'incrédulité des hérétiques ne permettent pas de restaurer les saintes images sans l'autorité d'un concile général, le pape demande qu'on commence par flétrir le faux concile qui les a prohibées,

Gallicani.

[1]) Epistola Hadriani ad Imperatores ex parte inserta est Actioni secundae Concilii Nicaeni II, sed quae respiciebant Tarasii electionem titulumque Universalis ipsi ab Imperatoribus tributum, omissa sunt atque ob reverentiam in Tarasium in Concilio non recitata. Qua in re probabile est adfuisse assensum legatorum Pontificis. Anastasius Bibliothecarius integram epistolam dedit. V. Labbé, VII. 99.

et qu' une complète liberté soit laissée au véritable concile et à ses légats. — Adrien, comme Paul, comme Taraise, reconnaissait donc que le concile général était dans ces malheureuses circonstances le dernier moyen de ramener les hérétiques à la vraie foi et de rendre la paix à l'Eglise." — Sed haec revera ad opinionem auctoris probandam non conferunt. Nullatenus enim ostenditur, auctoritatem summi Pontificis quoad magisterium et jurisdictionem per se non esse plenam et summam, sed accedere debere auctoritatem Concilii. Sequitur tantum, in illis circumstantiis celebrationem Concilii medium opportunum fuisse, ut efficacius et solemnius vera doctrina jam definita vindicaretur et haeretici rejicerentur. Adverte etiam, in textu epistolae verba, quae vertit auctor *sans l'autorité d'un concile général,* esse: *sine synodi actione*, i. e. celebratione.

56. Misit porro Hadrianus ad Concilium legatos qui vice ipsius praesiderent, scilicet Petrum archipresbyterum ecclesiae S[ti] Petri, et Petrum abbatem S[ti] Sabae. Quapropter isti Vicarii Papae quamvis episcopali dignitate carentes, tamen omnibus episcopis praepositi inveniuntur in Actis hujus Concilii, eo quod tenerent locum Apostolicae Sedis. — Tarasius tres alios patriarchas monuit de indictione Synodi generalis per legatos, qui eos hortarentur, ut ad eam venirent. Legati per Aegyptum et Orientem inter mille pericula iter fecere, cumque Hierosolymam pervenissent, Theodorum patriarcham mortuum invenerunt, et Eliam, qui ei successerat, a praefecto Caliphae Aegypti in exilium missum. Diverterunt porro legati vel in Palaestina vel in Aegypto apud monachos, qui eos instantissime rogarunt, ne ulterius procederent, summum enim esse periculum, ne infideles Muhamedani, comperto ipsorum itinere non solum eos interficerent, sed diram persecutionem in omnes illarum regionum Christianos excitarent. Esse vero ob Saracenorum hostilitatem omnino impossibile, ut patriarchae ad Synodum proficiscantur. Ex monachis autem duo inventi sunt, quorum alter, scilicet *Joannes* Antiocheni patriarchae, alter scilicet *Thomas* Alexandrini syncellus fuerat, quos loco Policiani Alexandrini,

Patriarchae orientales.

et Theodoreti Antocheni patriarcharum ad Synodum reliqui monachi delegarunt. Praeterea vero, ut fidem Orientis ostenderent, etiam exemplar synodicae, quam Theodorus quando ordinatus est ad reliquos patriarchas scripserat, legatis tradiderunt, litterasque ad Tarasium de tota re scripserunt. Illi ergo monachi Joannes et Thomas trium sedium patriarchalium nomine in Synodo egerunt, et ecclesiarum Aegypti, Orientis et Palaestinae fidem et antiquam traditionem de sacris imaginibus testati sunt. Quare Synodo in hanc formam subscribunt: *Locum retinens trium Apostolicarum Sedium, Alexandrinae, Antiochenae et Jerosolymitanae*[1]).

Concilii inchoatio.

57. Synodus coepta est in basilica SS. Apostolorum Constantinopoli die 17° mensis Augusti, anno 786. Verum factio iconoclastica sese opposuit, atque scholariorum et excubitorum copiae, a propriis rectoribus Iconomachorum haeresi infectis excitatae, nudatis gladiis impetum in patriarcham aliosque praesules fecere, clamantes *non esse ferendum, infirmare et transgredi ea quae olim visa fuerant Constantino* (Copronymo). *Nam non permittemus, aiebant. illius abrogari dogmata, et praedicari esse statuendas imagines*[2]). Iis se junxerunt plures episcopi. Tarasius quidem hisce in adjunctis magnam animi constantiam prae se tulit; censuerunt tamen Imperatrix et ejus consiliarii, pro tempore Synodum esse solvendam. Sed magna prudentia Irene providit, ut copiae illae militares quibus factio iconoclastica nitebatur, mox in alias transferrentur regiones; et anno sequenti Concilium convocatum fuit Nicaeam Bithyniae, ubi prima Synodus generalis habita fuerat[3]). — Legati Pontificis interea in Siciliam reversi erant, sed ab Imperatoribus denuo accersiti sunt, et cum Tarasio Nicaeam convenerunt fere trecenti quinquaginta praesules. Hi epis-

---

1) Cfr. Hefele C. G. B. III. §. 346.

2) Ignatius in Vita Tarasii, ap. Baronium ad a 786 n. 2.

3) Cfr. Conscriptio brevis indicans quae facta sunt ante Synodum; ap. Labbé. VII 38; et ap. Baronium ad a. 786 ea quae habet Theophanes in Chronographia, et Auctor Vitae Tarasii.

copi paucis exceptis, cultui sacrarum imaginum omnino favebant; supponendum autem videtur, praesules complures, qui praecedente tempore Iconoclastis manus dederant ad Synodum non venisse. Interfuere Synodo etiam plures archimandritae et monachi, qui praesulum consessum sanctitatis et doctrinae splendore magnifice decorabant, inter quos eminebant Plato Hegoumenos monasterii Sacundionis, et Theophanes abbas, auctor Chronographiae. Adfuit demum Nicetas qui Imperatoribus erat a secretis (postea Tarasii successor), cum aliis proceribus ab Imperatore missis, ut ordine omnia in Concilio peragi curarent. Locus Synodi fuit primaria Nicaeae basilica, aeternae Sapientiae sub titulo Sanctae Sophiae sacra.

58. Die 25° mensis Septembris a. 787 Synodus est inchoata. Illam Tarasius patriarcha, penes quem utpote in arduis negotiis valde exercitatum et linguae graecae peritissimum, legati Apostolici Synodi directionem reliquerant, brevi sed eleganti oratione aperuit. Dein lecta est epistola Imperatorum, qua restitutio sacrarum imaginum et unionis cum ecclesia Romana et ecclesiis Orientis ut scopus Synodi proponitur. Porro varii episcopi ex Iconoclastarum factione in sacrum consessum admissi sunt, ejurata haeresi et fide orthodoxa de cultu quoque imaginum exposita. Ex quo patet, jam inde ab initio Concilii, Iconomachorum doctrinam ut manifestam haeresim consideratam fuisse.

Concilium Nicaeae celebratur.

59. Actio secunda celebrata est die 26to Septembris. Recitatae sunt in ea litterae Hadriani ad Imperatores et ad Tarasium patriarcham. Jam diximus, in epistola ad Tarasium similia contineri iis, quae Imperatoribus Hadrianus scripsit de auctoritate Sedis Apostolicae et de sacris imaginibus restituendis. Inter alia Pontifex scribit: *Cujus* (S. Petri) *Sedes in omnem terrarum orbem tenens primatum refulget, et caput omnium ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus Apostolus Domini praecepto pascens Ecclesiam nihil dissolutum dimisit, sed tenuit semper et retinet principatum. Cui si adhaerere cupit vestra sanctitas, et nostrae Apostolicae Sedis, quae est caput omnium ecclesiarum*

Epistolae Hadriani.

Dei, sacram et orthodoxam formam incorrupte et incontaminate ex profundo cordis et sinceritate mentis custodire studeat, ut revera orthodoxa et Dei cultrix consistens, hoc primum omnipotenti Deo offerat sacrificium, ut ex persona nostra Imperatorum sublimia vestigia obsecret, ut sacras et venerabiles imagines in antiquum statum restituere et stabilire jubeant, conservantes traditionem hujus sacrae et sanctissimae Romanae ecclesiae. . . . Si autem sacras ac venerabiles imagines non restituerint, consecrationem vestram recipere non audemus, et maxime si sectatus fueris eos qui non credunt veritati. — Haec igitur praeceptive intimabat Hadrianus patriarchae Tarasio circa fidem ab eo tenendam et promovendam, sub poena separationis a Sede Apostolica et nullitatis ejus promotionis. Recitabantur autem publice coram Patribus Concilii oecumenici absque unius aut alterius reclamatione.

60. Quum ejusmodi doctrina litteris Hadriani proposita esset Tarasio, et quaedam ab ipso postulata, publicam confessionem acceptationis et obsequii petierunt ab eo legati. Quapropter statim post lectionem illius epistolae interrogaverunt dicentes: *Dicat nobis sanctissimus patriarcha Tarasius regiae civitatis, si consentiat litteris sanctissimi Papae senioris Romae Hadriani, annon?* Ex dictis patet hanc interrogationem cum auctoritate factam fuisse, quatenus consensum ut debitum nomine Pontificis legati exigebant.

Tarasii consensus.

61. Consensum suum dein Tarasius declarat hisce verbis: *Sacratissimus Paulus Apostolus, qui illustratus est lumine Christi et genuit nos per Evangelium, cum Romanis scriberet, approbans studium sincerae fidei eorum, quam in Christum verum Deum habebant, sic ait: Fides vestra annuntiatur in universo mundo. Hoc testimonium sequi necessarium est, et inconsulte agit, qui huic conatur resistere. Unde Hadrianus praesul senioris Romae, cum esset particeps eorum qui praedicto testimonio muniri meruerunt, scripsit expresse ac veraciter piis Imperatoribus nostris, atque ad humilitatem nostram, affirmans, bene ac optime se habere antiquam traditionem Ecclesiae catholicae. Nam et ipsi nos scrutando Scripturas et syllogistice approbando rimati sumus; sic quod*

confessi sumus, confitemur et confitebimur, consonamus et confirmamus, atque permanebimus in significatione litterarum quae lectae sunt, imaginales descriptiones suscipientes secundum antiquam patrum nostrorum traditionem, et has affectuoso amore adoramus, (graece καὶ ταύτας σχετικῷ πόθῳ προσκυνοῦμεν, i. e. et has relativo affectu honoramus). *tanquam ad nomen Christi Dei et intemeratae Dominae sanctae Dei Genitricis, sanctorumque Angelorum ac omnium Sanctorum factas, manifestissime in unum solum Deum verum servitutem* (λατρείαν) *et fidem nostram ponentes.* — Simili ratione reliqui consensum suum declararunt. Sequitur videlicet in Actis: *Tota Synodus dixit: Tota sacratissima Synodus ita credit, ita sapit, ita dogmatizat. — Petrus et Petrus Deo amabiles presbyteri et legati apostolicae Cathedrae dixerunt: Dicat nobis sancta Synodus, si admittit litteras sanctissimi Papae senioris Romae, annon. Sancta Synodus dixit: Sequimur et suscipimus et admittimus.* — Dein etiam singuli episcopi suum assensum declararunt, hac vel simili formula: *Theodorus sanctissimus episcopus Seleuciae dixit: Secundum lectas synodicas litteras beatissimi Papae senioris Romae Hadriani confiteor, et suscipio sacras et venerabiles iconas secundum antiquam consuetudinem. Eos vero qui ita non sapiunt anathematizo.*

62. Omnia haec profecto ostendunt plenam auctoritatem Hadriani Pontificis, a quo orthodoxa doctrina ita proponebatur, ut sua epistola regulam Synodo praefigeret et assensum exigeret. Nihilominus Gallicani improbo labore etiam ex hujus Synodi gestis argumenta pro sua opinione colligere conati sunt, et mira arte facta et dicta ita exponere studuerunt, ut suam sententiam inde firmarent. Ex antiquioribus praesertim Bossuet in *Defensione declarationis* P. III. L. VII. c. 30 eo suam operam contulit, quem egregie refutavit Muzzarelli, *De auctoritate RR. Pontificum*, T. II. C. XI. §. III. Ex recentioribus vero Illmus Maret etiam ex celebratione Concilii septimi suam doctrinam comprobari existimavit, et conformi sensu res et dicta exponere nititur. Inter alia scribit: „La liberté des débats conciliaires fut de nouveau consacrée, et dès l'ouverture du Concile le pa-

Gallicanorum opinio.

triarche Taraise déclara que ceux qui résistaient à la vérité pourraient se présenter et dire leurs raisons. — Sed nullatenus, quod quis ex modo loquendi auctoris existimare posset, hic agitur de libertate discussionis ac si quaestio de cultu imaginum in ancipite adhuc versaretur, donec Concilium controversiam diremisset. Agitur eo loco de episcopis qui anno praecedente se junxerant militibus, qui celebrationem Synodi impedierant. Isti ad consessum nondum erant admissi, Tarasiusque in fine allocutionis qua Synodum aperuit, dicit, eos (qui veritati restiterint) accedere posse, si Synodo visum fuerit, atque proferre quae ad defensionem dicere velint[1]). Dein ex sententia Concilii admissi singuli magna cum submissione veniam precati sunt anterioris praevaricationis, fidem catholicam quoad imagines professi, et sub conditione poenitentiae ad communionem admissi.

Ill. Maret. 63. „Pour vaincre les dernières résistances, pergit auctor, le Concile se proposa comme son but principal, de constater juridiquement et solennellement cette foi de l'Eglise qui se manifestait d'une manière déjà si éclatante, et bien suffisante, sans doute, si les circonstances avaient été moins difficiles. La lettre impériale lue dans la première session du Concile ne laisse aucun doute à cet égard. Elle annonce que les lettres du Pape et celles des patriarches seront communiquées au Concile, *afin qu'on connaisse par elles le vrai sentiment de l'Eglise catholique* (Per ipsas cognoscetis, qualis sit Ecclesiae catholicae sensus). Ces lettres cependant ne furent pas reçues par le concile sans un examen juridique. Selon les exemples des conciles antérieurs, il était nécessaire d'établir par cet examen que la foi de l'Eglise était fidèlement exposée dans ces lettres. Le premier, le plus vénérable, le plus autorisé de ces documents était la lettre même du pape Adrien.

---

[1]) „Si certificati fuerimus quod placabile sit in conspectu Dei, conveniant qui praeterito anno restitere veritati. Si quis est in illis sermo vel contradictionis vel etiam ratiocinationis (*ἀντιλογίας ἢ γε ἀπολογίας*), dicant. Ita namque omnis examinatio (*ἐξέτασις*, criminis inquisitio) manifesta fiet.“

Elle fut lue dans la seconde session." — Refert porro auctor, quomodo legati Pontificis quaesierint a Tarasio et a Concilio, an consentirent illi epistolae; et citato Tarasii responso advertit: „Ainsi Taraise tout en proclamant la juste autorité de l'Eglise romaine, centre de l'unité catholique, déclare hautement, qu' il adhère à la lettre d'Adrien parce-qu'il l'a examinée et s'est convaincu que la doctrine qu'elle renferme est conforme à celle de l'Ecriture et de la tradition." — Commemorata dein spontanea adhaesione Synodi, Illmus auctor pergit: „Mais pour faire éclater ce consentement d'une manière plus manifeste encore, les légats interrogèrent le concile en cette forme: *Nous prions le saint concile de dire s'il reçoit ou non les lettres du Pape.* Le concile répondit: *Nous suivons, nous recevons, nous admettons ces lettres.* — Si la lettre d'Adrien avant l'acceptation du concile eût été regardée comme une règle absolue de foi, l'interrogation des légats et l'alternative qu'elle pose, ne pourraient pas s'expliquer raisonnablement"[1].

64. Haec profecto multa continent quae admitti nequeunt, nec rei veritati respondent. Nullatenus eo pertinet recitatio epistolae Hadriani, ut *examen juridicum* instituatur de eadem, et Patres tanquam judices Pontifici superiores vel aequales inquirant, an ipsa rectae fidei consona sit, et si ita inveniatur eam admittant. Pontifices, quum Synodi celebrabantur, suas litteras dabant tanquam regulam fidei tenendae, in eum finem, ut in Concilio legerentur et secundum doctrinam expositam decreta fierent. Imperatores in sua epistola ad Synodum mandaverant, ut legeretur Pontificis epistola secundum jus canonum. Quondam in latrocinio Ephesino Dioscorus recitationem epistolae Leonis ad Flavianum impedierat, ac voluerunt fortasse Imperatores sollicite providere, ne a fautoribus Iconoclastarum recitatio impediretur. Nullatenus igitur agebatur Refutatio.

---

[1]) Du Concile gén. T. I. L. II. Ch. IX. pp. 308 sqq. — Plane similia habet Bossuet: „Quod de re explorata, deque irreformabili judicio quaeri, neque recta ratio neque fides sinit." L. c. — Videtur Illmus Maret secutus fuisse argumentationem Bossueti, accuratius tamen citat textus integros, dum Bossuetus omittit quae sententiae suae vehementius opponuntur. Cf. Muzzarelli l. c.

de examine juridico epistolae, a quo dependeret ejus admissio; caeterum qua ratione passim in Conciliis RR. Pontificum epistolae retractatae fuerint, jam explicavimus[1]).

Examen litterarum.

65. Tarasius porro affert duplicem rationem, ob quam necessarium esse dicit adhaerere litteris Hadriani Papae. Priorem petit ex auctoritate Romanae ecclesiae, cujus fidem commendavit Apostolus Paulus, qua in re evolvenda subtiliori quadam eloquentia graeca usus est. Alteram rationem affert, quod ipse Scripturas et Patres scrutatus sit. Quam posteriorem rationem profert, non quod de auctoritate Pontificis dubitaret, sed ut ostenderet, adhaesionem suam esse simul assensum intelligentiae ac rationabilem, utque omnem auferret Iconoclastis ansam conquerendi, se nullo instituto examine esse damnatos[2]). — Dum vero Illmus Maret argumentatur ex quaestione legatorum Patribus proposita, utrum *admittant* epistolam Hadriani, falsa nititur interpretatione illius admissionis vel acceptationis. Admissio certe alicujus documenti duplicis potest esse generis. Vel talis est, ut quis tanquam judex superior aequalisve ei, qui documentum proponit, habeat jus examinis juridici ita, ut possit illud documentum admittere vel rejicere, prouti invenerit admissione dignum necne. Vel talis est, ut quis teneatur acceptare documentum propositum ab eo, qui auctoritatem superiorem habet. Jam vero talis acceptatio requirebatur a Patribus, quamvis possent examinare epistolam Hadriani, ut assensum intelligentiae episcopis convenientem praestare valerent. Dum igitur legati quaerunt, utrum Patres Concilii admittant epistolam Hadriani, de acceptatione agitur posteriore hoc modo intelligenda. Merito autem declarationem petunt legati, tum ut certitudo adesset de orthodoxia praesulum, tum ut episcopi omnes solemni suo judicio, quamvis Pontificis magisterio obnoxio, confirmarent fidem ab Hadriano expositam, et ita de communi consensu constaret.

---

[1]) Cfr. quae diximus in Dissertationibus de Concilio Chalcedonensi, et de causa Honorii Pontificis.

[2]) Cf. Wouters. Dissert. Vol. III. Dissert. III. De Concilio Nicaeno II. n. VI.

66. In subsequentibus Concilii sessionibus, ut Patres ostenderent fidem catholicam de cultu imaginum conformem esse doctrinae S. Scripturae et Traditionis, multa ex SS. Litteris et Patribus prolata sunt testimonia ad comprobandum imaginum cultum. Anathemate confixi sunt Iconoclastae, et proscripta Acta pseudosynodi anni 754. Actione VII sex praecedentia Concilia oecumenica confirmata sunt, et definitum, sacris imaginibus honorariam venerationem, non tamen veram latriam, esse tribuendam. *His ita se habentibus,* inquit Synodus, *regiaque incedentes via, et sequentes divinitus inspiratum sanctorum patrum nostrorum magisterium ac catholicae traditionem Ecclesiae, definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quae de coloribus et tessellis, quam quae ex alia materia congruenter in sanctis Dei ecclesiis, et sacris vasis et vestibus, et parietibus ac tabulis, domibus et viis: tam videlicet imaginem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quam intemeratae dominae nostrae sanctae Dei Genitricis honorabiliumque angelorum, et omnium sanctorum et almorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto qui has contemplantur alacrius eriguntur ad prototyporum memoriam et desiderium et ad salutationem et honorariam adorationem iis exhibendam* (*καὶ ταύταις ἀσπασμὸν καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν ἀπονέμειν.*) *Non tamen ad veram latriam quae secundum fidem est, quaeque solam divinam naturam decet, impertiendam: ita ut istis, sicut figurae pretiosae ac vivificae crucis et sanctis evangeliis et reliquis sacris monumentis, incensorum et luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum et antiquis piae consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad prototypum transit, et qui adorat* (*προσκύνων*) *imaginem, adorat in ea depicti personam. Sic enim robur obtinet sanctorum patrum nostrorum doctrina; id est traditio sanctae catholicae Ecclesiae, quae a finibus usque ad fines terrae suscepit evangelium.*[1]) Definitio.

[1]) Labbé, VII 555

67. Rebus peractis, Patres Constantinopolim per Imperatores evocati sunt; ex eorum ore enim ipsi quae gesta essent in Synodo audire voluerunt. Quod factum est die 23 Octobris; in solemni consessu habito in palatio Magnaura decreta Concilii recitata sunt, universali acclamatione iterum ab omnibus confirmata, et etiam ab Imperatoribus subscriptione firmata. Haec octava sessio Synodi dici solet, eique adscribunt eruditi canones quoque viginti duos a Synodo editos, qui rem hierarchicam, liturgicam et disciplinarem spectant. Primus canon antiquos canones confirmat, apostolicos imprimis, deinde sex sanctarum et universalium Synodorum, tertio localium synodorum. Sed canon iste non est approbatus ab ecclesia Romana, quae canones tantum quinquaginta recipiebat ex iis qui apostolici nuncupantur, et Constantinopolitanos, Chalcedonenses, ac Trullanos canones non omnes recepit.

Examen Scripturae et Traditionis.

68. Per se satis manifestum est, Gallicanos immerito argumenta pro sua sententia conquisivisse ex eo, quod Synodus Scripturae et Traditionis testimoniis imagines colendas esse sedulo probaverit, et dein ediderit definitionem solemnem. „Rebus summa attentione perpensis, scribit Bossuetus l. c., fit definitio, non unius Romani Pontificis, sed totius Ecclesiae catholicae consensu et auctoritate nixa.“ Et relata definitione concludit: „Ut profecto appareat, summam illam et ineluctabilem certitudinem in Ecclesiae catholicae consensione, imo in Spiritus Sancti universam Ecclesiam docentis magisterio esse positam, quod erat demonstrandum.“ — Similia habet Maret: „Dans la septième session, scribit, le Concile prononça sa sentence souveraine. D'après les faits que nous venons d'exposer il est évident, que la souveraineté conciliaire s'accusa aussi nettement dans le concile septième que dans les six premiers. L'Eglise de Jésus-Christ nous y apparaît comme une monarchie véritablement tempérée d'aristocratie. Si de beaux témoignages sont rendus à la divine autorité du Siége Apostolique, l'examen de la lettre d'Adrien et le renouvellement de la condamnation d'Honorius ne per-

mettent pas de prendre ces témoignages dans le sens absolu que l'école italienne veut leur donner.“ (L. c.)

69. Ad examen Scripturarum et Traditionis quod spectat sufficit advertere, hanc semper fuisse Synodorum consuetudinem, *ut ostendant*, doctrinam catholicam ab ipsis propositam fidei fontibus consonam esse. — Caeterum ad Bossueti argumentum optime sespondet Muzzarelli: „Hoc equidem proprium est omnium definitionum Conciliorum generalium (ut totius Ecclesiae consensu edantur); aliter definitiones Concilii appellari nequirent, neque ex auctoritate Ecclesiae universalis essent, neque episcopi ibi suum officium judicis exercerent.“ — Et relata conclusione Bossueti, qua demonstratum esse contendit quod sibi propositum erat: „Cum bona venia, scribit auctor, aliud insuper erat demonstrandum pro argumento proposito, scilicet definitionem Pontificiam prolatam ex Cathedra ante istam postremam summam et ineluctabilem definitionem Concilii non fuisse ipsam quoque irreformabilem atque ineluctabilem. Etenim cum lux luci supervenit, non ideo quae prius erat lux tenebrae sunt. Ita quum Pontificio decreto conciliaris definitio superadditur, fidei splendor novas vires acquirit; et practice ostenditur, quam verum sit, quod Pontificio solemni decreto nunquam defuit et nunquam deerit universae Ecclesiae consensus; ideoque etiam ante manifestatam solemniter consensionem Ecclesiae, Pontificium decretum est irreformabile.“ L. c.

Quo pertineat.

70. Opportune etiam Muzzarelli animadvertit, insigne argumentum pro infallibilitate Romani Pontificis, inde colligi, quod tamdiu Orientales, et tam multi orientales Praesules, errorem amplexi sint tam absonum. „Et interea, inquit, rursus cognoscitur, quantum necessaria sit ad firmitatem fidei in Ecclesia irreformabilitas definitionis Romanae cathedrae. Etenim anno 754 congregatum fuerat a Constantino Copronymo concilium trecentorum triginta octo episcoporum adversus cultum sacrarum imaginum; et anno 787 in Nicaeno Concilio definita fuit sacrarum imaginum veneratio. Jamvero quam regulam fidei tutam et firmam tenere potuissent fideles per intervallum triginta

et trium annorum adversus synodum trecentorum triginta octo episcoporum, et contra imperialem praepotentem vim, nisi in decretis a Romanis Pontificibus emanatis per hoc tempus, absque haesitatione et formidine ineluctabiliter et irrevocabiliter acquiescere potuissent. Quoscumque detortas evasiones et arcanas distinctiunculas meditentur adversarii, nunquam effugere poterunt a vi harum argumentationum, quas apud orthodoxos et sensatos viros quamdam evidentiae lucem prae se ferre nemo inficiari poterit.“ L. c.

IV.

De eventibus post Concilium oecumenicum septimum.

71. Post Concilium peractum legati Romani Pontificis Acta Concilii ad Hadrianum detulerunt cum litteris Imperatorum. Scripsit etiam Tarasius epistolam ad Pontificem in qua ei narrat, quomodo omnia secundum ea quae Hadrianus in suis litteris praefinierat perfecta sint, et cultus sacrarum imaginum sit restitutus. *Vestra ergo*, scribit, *fraterna et summo pontificio decorata sanctitas . . . spinosas herbas quae nunc germinaverunt, fidelissimorum et pacificorum Imperatorum veritati concordans, evellere machaera spiritus festinavit, mittens secundum scriptam petitionem nostram, ad universalem Synodum faciendam aequivocos viros principis apostolorum Petri. . . Et quum praelatae primitus vestrae fraternae sanctitatis litterae legerentur, praestolabantur omnes spiritualibus eduliis tanquam in regalibus coenis fruentes, quae Christus per litteras tuas epulantibus praeparabat; et sicut oculus totum corpus ad rectitudinis et veritatis semitam ostendebas. Sic ergo dirupta membra in unum conveniebant; sic vera consonantia confirmabatur; sic catholica Ecclesia unitatem recipiebat. . . His itaque gestis praedicabatur a nobis omnibus, qui beneplacito divino congregati eramus, recta et irreprehensibilis confessio*[1]. — Quum igitur

Tarasius ad Hadrianum.

[1]) Cfr. Epist. Tarasii da Hadrian. Coll. Conc. Labbaei Tom. VII. p. 623.

in proponenda doctrina de cultu sacrarum imaginum Patres secuti essent Pontificis sententiam, praesentibus ejus legatis, per se patebat consensus apostolicae Sedis hac in re, ac forte inde est quod in epistola Tarasii expressa petitio confirmationis non continetur. Juxta consuetudinem tamen Pontifex epistola data respondisset et confirmationem Concilii in litteris suis expressisset, nisi quaedam eum a solemni responso retinuissent. Acta videlicet Concilii suscepit et in latinam linguam verti fecit, atque etiam Concilium quoad ea quae de cultu imaginum statuta erant ratum habuit, sed abstinuit a solemni confirmatione.

72. Rem ipse Pontifex exponit in epistola, quam post habitam a Carolo M. (a. 794) synodum Francofurtensem ad Carolum dedit. *Cum praedecessore nostro sancto Gregorio papa*, scribit, *eumdem sensum fidei tenentes, emisimus praedicantes. Illi vero, ut nobis missi nostri . . . viva voce dixerunt, statim nostras apostolicas amplectentes syllabas Concilium fieri jusserunt. . . Et sic Synodum istam secundum nostram ordinationem fecerunt, et in pristino statu sacras et venerandas imagines erexerunt. Et sicut de imaginibus sancti Gregorii sensum et nostrum continebatur* (textus hoc loco corruptus est), *ita et ipsi in eadem Synodo definitionem confessi sunt, his osculum et honorabilem salutationem reddidere, nequaquam secundum fidem nostram veram culturam quae decet soli divinae naturae. . . Et ideo ipsam suscepimus Synodum; nam si eam minime recepissemus et ad suum pristinum vomitum fuissent reversi, quis pro tot millium animarum christianarum interitu habuit reddere rationem ante terribile tremendum divini judicis examen, nisi Nos solummodo. . . Nos vero adhuc pro eadem Synodo nullum responsum hactenus eidem Imperatori reddidimus, metuentes ne ad eorum reverterentur errorem. Dudum quippe quando eos pro sacris imaginibus erectione adhortati sumus, simili modo et de dioecesi tam archiepiscoporum, quam et episcoporum sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae commonentes quaesivimus restituere eidem sanctae et apostolicae Romanae ecclesiae, quae tunc cum patrimoniis nostris abstulerunt, quando sacras imagines deposuerunt, et nec responsum quodlibet ex-*

Confirmatio Hadriani.

inde dederunt; et in hoc ostenditur, quia ex uno capitulo ex errore reversis, ex aliis duobus in eodem permaneant errore[1]). Unde vides, Hadrianum inde ab initio comprobasse Synodum Nicaenum II, sed noluisse solemnem confirmationis epistolam ad Imperatores scribere. Tunc enim ne suae auctoritati deesset, debuisset insistere in repetenda dioecesi Illyrica, et in vindiciandis patrimoniis S. Sedis, quod eo tempore minus opportunum videbatur, ne unio vix resarcita iterum rumperetur.

73. Forte Pontifex etiam abstinuit a solemni approbatione statim impertienda, ne aliqua oppositio in una alterave Occidentis regione orta graviorem molestiam crearet, quodque prudenti oeconomia antea Synodi Acta et

Francorum oppositio.

Decreta vellet Francis communicare. Dixeris, eum praevidisse repugnantiam eorum, ut Synodi Nicaenae gestis subscriberent. — Hadrianus videlicet priusquam Concilium praedictum tanquam oecumenicum Ecclesiae solemniter proponeret atque confirmaret, Acta illius in linguam latinam translata misit in Galliam ad Carolum M., ut praesules et viri eruditi sub ejus regno degentes ea considerarent. Erat autem, quemadmodum Anastasius in sua praefatione ad novam versionem ab ipso concinnatam dicit, illa translatio pessime confecta, *quod interpres paene per singula relicto utriusque linguae idiomate adeo fuerit verbum ex verbo secutus, ut quid in eadem editione intelligatur, aut vix aut nunquam possit advrti, in fastidiumque versa legentium paene ab omnibus hac de causa contemnatur*[2]). Imo quaedam habentur in illa translatione plane perperam versa, ita ut sensum exhibeant haud orthodoxum. — Praeterea animadvertendum est, inter Orientales et Francos tunc non mediocrem simultatem exstitisse. Etenim dum Orientales aegre ferebant, quod Francorum regum potentia adeo cresceret et Italiae provinciae antea Imperio orientali subjectae in arbitrium venissent Pipini et Caroli M.: Francos vehementer pungebat arrogantia illa Orientalium et jactantia, qua alios principes et nationes ut multo ipsis

[1]) Labbé, VII. 962.

[2]) Praefatio Anast. Coll. Conc. Labbaei T VII. p. 29.

inferiores tractabant. Porro ipso anno 787 Irene resiliit a matrimonio conciliando inter filium Constantinum Porphyrogenitum et Rotrudam filiam Caroli M., quod connubium iterato propositum et praeparatum fuerat; et mense Novembri anni 788 Mariam Armeni principis filiam in uxorem dedit filio, quamvis minus grata huic esset istud matrimonium. Atque influxu Adalgis Desiderii regis Longobardorum filii, qui post eversum regnum Constantinopolim confugerat, factum est, ut ibidem factio praevaleret quae bello contra Francos gerendo favebat. — Demum advertere juvabit, in regionibus illis septemtrionalibus haud dudum ad christianismum conversis, cultum et venerationem imaginum nondum ita evoluta et propagata fuisse, quam in Italia, ita ut status rerum quod cultum imaginum spectat, comparari aliquatenus possit ei conditioni, quae primis Ecclesiae saeculis obtinebat. Hinc vehementius praesules Galliae reformidabant, ne quis cultus superstitiosus vel periculosus erga imagines sacras induceretur. Haec aliaque inferius dicenda, prae oculis habenda sunt, ut melius intelligatur illa repugnantia et oppositio contra Concilium Nicaenum II, et (suppositam) ejus de cultu imaginum doctrinam.

74. Ut primum videlicet episcopi virique docti in Gallia Concilii Nicaeni Acta legerunt, non leviter offensi sunt, ac censuerunt, episcopos orientales tradidisse de cultu sacrarum imaginum doctrinam, constanti Ecclesiae traditioni oppositam. Ita videlicet Orientalium doctrinam interpretati sunt, ac si isti docerent, sacris imaginibus cultum latriae uti Smae Trinitati esse tribuendum. Potuerunt sane in talem opinionem induci, quum in versione illa vitiata Actorum legerent, a Constantino episcopo Constantiensi haec esse prolata: *Suscipio et amplector honorabiliter sanctas et venerandas imagines, secundum servitium adorationis, quod consubstantiali et vivificatrici Trinitati emitto.* Revera autem verba Constantini sincere translata haec fuere: *Et ego indignus his consentio et concors efficior, suscipiens et amplectens honorabiliter sanctas et venerabiles imagines; atque adorationem quae per latriam, id est Deo debi-*

Versio falsa.

bitam servitutem, efficitur, soli supersubstantiali et vivificae Trinitati emitto. — Quumque verba graeca *λατρία* et *λατρεύειν*, pariter ac *προσκύνησις* et *προσκυνεῖν*, una voce latina *adoratio* et *adorare* translata essent, hoc verbum ambiguum *adorare,* quod tum supremum latriae cultum tum inferiorem significare potest, episcopi Galli semper priori sensu cultus latriae interpretati sunt. Imo quum quis judicare soleat uti affectus est, Galli vero in Orientales essent male affecti, non pauca in Concilio Nicaeno dicta et gesta ipsi in sensum praeposterum detorserunt. Atque ita universim Patribus Nicaenis eam supposuerunt doctrinam ab his plane alienam, imagines supremo latriae cultu adorandas esse, et ex hoc capite eos vehementissime impugnarunt. Sed varia etiam de cultu sacrarum imaginum episcopi et viri eruditi Galliae asseruerunt, quibus hunc cultum nimium deprimere videntur, partim quod animositate contra Orientales eo deducti sint, partim quod notionem non satis distinctam de usu et cultu sacrarum imaginum haberent. Illud enim animadvertendum est: dum subtilior analysis de cultu imaginum instituitur, fieri facile posse, quemadmodum etiam in aliis rebus quae pietatem christianam spectant accidit, ut aliquod elementum non satis a disputantibus intelligatur, et dissensiones de indole usus et cultus sacrarum imaginum oriantur.

Indoles cultus imaginum.

73. Ut vero judicium de sententia Gallorum efformare possimus, juvabit hoc loco recolere pauca de *indole cultus sacrarum imaginum.* Cultus generatim consistit in agnitione et testificatione excellentiae, quam in aliquo agnoscimus. In ordine ontologico dignitas et praerogativae dantur imprimis *naturales,* e. g. dotes praeclarae animi et corporis, munera in gubernanda republica suscepta, hisque respondet cultus ille, qui honor *civilis* merito appellatur. Datur pariter in ordine ontologico excellentia et dignitas *supernaturalis,* qualis est praecipue ipsa infinita perfectio Dei, dein vero excellentia et dignitas supernaturalis creaturis participata, maxime sanctitas et gloriae dona, quibus Beati Deo intime ut amici ejus conjunguntur. Huic igitur praestantiae in ordine supernaturali etiam respondet

cultus distinctus a cultu seu honore civili, videlicet cultus *religiosus*. — Merito cultum religiosum distinguimus in cultum *supremum* qui soli Deo infinito et omnium rerum Domino tribuitur, et cultum *inferiorem* qui exhibetur sanctis Dei amicis; prior dicitur cultus *latriae*, posterior cultus *duliae*. — Praeterea cultus *absolutus* est, si perfectio supernaturalis, propter quam ens aliquod colitur, ipsi est insita; *relativus* vero, si res quae colitur non habet sibi insitam ejusmodi praestantiam, sed venerationis objectum est unice propter respectum, quem dicit ad personam colendam ob insitam ipsi excellentiam. Cultus Dei manifeste est absolutus, sed etiam cultus Sanctorum sensu exposito absolutus est, quum praestantia et dignitas supernaturalis eis revera insita sit, quamvis participata a Deo[1]). Cultus sacrarum imaginum est omnino *relativus*. Tota videlicet ratio venerationis et cultus sacrarum imaginum est repraesentatio alterius in se colendi, et sic veneratio imaginibus impensa refertur ad objectum repraesentatum.

76. Hisce positis, animadvertendum est, triplici ratione agi posse de licito imaginum cultu. Vel enim 1° imago solum nos monet et in cognitionem ducit archetypi, et ejus occasione ac coram ea veneramur archetypum. Ita proprie nulla veneratio, ne relativa quidem, imagini, sed tantum absoluta archetypo impenditur. Vel 2° mente consideramus directe archetypum in imagine veluti relucentem, et in externis significationibus reverentiae substituimus imaginem repraesentantem ipsi archetypo repraesentato, uti fit in Ecclesia in repraesentatione quorumdam mysteriorum, e. g. in adoratione Crucis die Parasceves. Ita colitur directe et cultu absoluto archetypus, eodemque actu relative, sed per accidens, colitur ipsa imago velut moraliter conjuncta cum archetypo, ut purpura cum rege. — Denique 3° potest directe respici ipsa Triplex ratio cultus.

[1]) Adverte tamen, interdum dici cultum Sanctorum *relativum*, quatenus eos colimus propter dona eis a Deo collata ut servos et amicos Dei, adeoque cultus eorum ultimatim in Deum refertur. Sed sensu stricto eorum cultus est absolutus.

imago, non sane ut aliquid absolutum, lignum, metallum, opus artis, sed formaliter ut imago et repraesentatio personae archetypae, Christi, B. Virginis, Sancti alicujus, atque ideo ut aliquid sacrum et singulariter pertinens ad illam personam. Ita imago est terminus *directus* venerationis propter excellentiam relativam, seu propter relationem quam habet ad excellentiam absolutam archetypi. Hic cultus imaginis est *inferioris rationis,* quam cultus qui directe refertur ipsi archetypo, et huic cultui tantum *analogia* quadam respondet. Est autem hic cultus *relativus,* tum quia tota dignitas imaginis et ratio cultus est ipsa ejus relatio ad archetypum, tum quia non aliud quam personam repraesentatam intendimus honorare in imagine tanquam in re ad ipsam pertinente, quamvis *directe* imaginem, et archetypum *in obliquo* respiciamus. — Haec tertia ratio colendi imagines sacras ea est, quae frequentior et communior occurrit, quamque plerumque intelligere solemus, quando de cultu imaginum loquimur[1]).

Capitulare Gallorum. 77. Galli igitur doctrinam Concilii Nicaeni falso interpretati sunt, nec ipsi notionem satis distinctam de cultu sacrarum imaginum habuere, et quaedam minus accurate ista de questione asseruerunt. — Atque imprimis versus annum 792. quum Acta Synodi VII coram Carolo M. ab episcopis et viris eruditis perlecta fuissent, acerbam criticam et refutationem eorum misit Carolus ad Hadrianum Pontificem per Angilbertum Abbatem[2]), uti tum ex aliis documentis tum ex epistola jam citata eruitur, qua paulo post Pontifex respondit et objectiones Francorum diluit. *Directum*, scribit, *a vestra clementissima praecelsa regali*

---

[1]) Vide Tractatum nostrum *de Verbo incarnato,* P. II. C. II. A. IV. de cultu imaginum; et Franzelin. *de Verbo inc.* Thesis XLV.

[2]) Angilbertus, Francus ex nobilissimo genere oriundus, et litteris humanioribus egregie excultus, in aula degebat Caroli M., qui hoc viro insigni variis in negotiis majoris momenti utebatur. Imo etiam uxorem ille duxit Bertham Caroli filiam. Abbas autem dictus esse videtur, quod ex Caroli largitione abbatiam Centulam in commendam habuit, et ejus proventibus fruitus est. Forte postea in eadem abbatia pietatis sese dedit operibus. Obiit a. 814. et inter Sanctos colitur. Cfr. Freib. Kirchenlexicon, ed. 2. Art. *Angilbert.*

potentia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet Engilbertum Abbatem et ministrum capellae, qui paene ab ipsis infantiae rudimentis in palatio vestro enutritus est et in omnibus consiliis vestris receptus, ut ideo sicut a vobis in omni familiaritate recipitur, ita et a nobis reciperetur et condecenter honoraretur. . . . Edidit nobis C a p i t u l a r e adversus Synodum, quae pro sacrarum imaginum evectione in Nicaea acta est. Unde pro vestra melliflua regali dilectione per unumquodque capitulum responsum reddidimus, non quemlibet, absit, hominem defendentes, sed olitanam traditionem sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae tenentes, priscam praedecessorum nostrorum sanctorum Pontificum sequimur doctrinam, rectae fidei traditionem modis omnibus vindicantes[1]).

78. Anno 794 tempore Paschatis (d. 23 Martii) Carolus magnam habuit Synodum Francofurti, cui permulti adfuerunt episcopi regni ipsius[2]) cum legatis Pontificis Theophylacto et Stephano episcopis Cardinalibus. Hac in synodo de haeresi Adoptianorum actum est eademque damnata; sed etiam Synodum Nicaenam ejusque decreta de imaginibus episcopi rejecerunt, propter rationes quas exposuimus. Canon II videlicet hujus concilii ita se habet: *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt; in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum ita ut deificae Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi patres nostri omnimodis adorationem et servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* — Episcopi Francofurti collecti existimabant, Synodum illam haud oecumenicam, sed nationalem Graecorum fuisse et adorationem supremam et absolutam imaginibus sacris decre-

Synodus Francofurtensis.

---

[1]) V. Labbé, VII. p. 915.

[2]) Baronius ad a. 794 n. 1. scribit: „Ex Italia namque, Gallia atque Germania frequentes, circiter trecenti numero episcopi convenere, quod magni momenti causa (haeresis Adoptianorum) id postularet." Sed haud tantum fuisse episcoporum numerum plerique existimant. Cfr. Hefele C. G. B. III. §. 399.

visse. Idque eo facilius sibi persuaserunt, quod Orientalibus, uti innuimus, eo tempore Franci infensi essent. Videntur legati Pontificis isto de negotio nihil in mandatis habuisse, nec potuisse dissipare confusionem et erroneam opinionem Francorum de doctrina Orientalium. Hadriani autem responsum ad *Capitulare* ipsi missum nondum ad Carolum pervenisse dixeris.

Libri Carolini. 79. Praeter haec ea aetate de quaestione ista in lucem prodiit opus distributum in quatuor libros, qui postea nomen *Librorum Carolinorum* acceperunt, eo quod nomine et forte hortatu Caroli M. editi fuissent. In his libris pariter Concilii Nicaeni Acta, quemadmodum ea in prava versione legebantur, acriter et immoderate perstringuntur. Quoad publicationem illorum librorum advertere juvat, notum quidem fuisse inter eruditos, a Carolo rege vel ejus nomine quaedam scripta fuisse. Hadrianus enim in sua epistola pro Synodo Nicaena, uti vidimus, indicat *Capitulare* a Carolo missum, et objectiones factas citat atque refutat; pariterque a conventu Parisiensi a. 825 sub Ludovico Pio habito, et ab Hincmaro episcopo Rhemensi[1]) illa scripta commemorantur. Textus tamen Librorum Carolinorum ignotus erat, donec a. 1549 iidem Parisiis editi sunt ab Anonymo, qui fuit Joannes du Tillet (Tilius), presbyter eruditus, postea episcopus Sti Brioci (1553) ac dein (1564) Meldensis[2]). Calvinismi hic vir erat suspectus. — Mox Protestantes illis libris abusi sunt contra doctrinam catholicam de cultu sacrarum imaginum; inter catholicos scriptores autem controversia orta est de auctore illorum librorum Carolinorum, quos Tilius ediderat. Etenim Baronius, Bellarminus, Surius aliique contenderunt, praefatos libros neque a Carolo M., neque ejus mandato, sed sub ejus nomine ab aliquo haeretico iconomacho aut illius aut recentioris aetatis (saeculi XVI), fuisse conscriptos. Nec desunt qui nostro tempore ita existimant, ac forte a fratre Joannis Tilii opus suppositum vel corruptum esse

---

[1]) Contra Hincmar. Laudunensem, c. 20.

[2]) Postea Goldast. Constit. imperial. vol. I eos libros publicavit, ac dein a. 1731 A. Heumann.

opinantur[1]). Ludovicus Tilius videlicet frater Joannis, et ipse sacerdos, ad haeresim Calvini defecit. Plerique tamen auctores censent, revera libros Carolinos tempore Caroli ejusque monitu a quibusdam viris eruditis, praecipue forte ab Alcuino, confectos et Caroli nomine editos fuisse.

80. Plura in his libris ad verbum conveniunt cum iis, quae Hadrianus in sua epistola citat; in aliis tamen est diversitas tum quoad ordinem capitulorum, tum quoad verba. Unde colligitur, *Capitulare* illud ab Angilberto traditum Hadriano non plane idem fuisse documentum, ac Libri Carolini uti nunc exstant, attamen valde simile. Probabilissima videtur ea suppositio, scriptum Hadriano missum et Concilio Francofurtensi propositum paulo post amplificatum fuisse. Utrum vero *Capitulare* illud ad Hadrianum missum fuerit tantum brevis catalogus lemmatum vel capitulorum, uti eadem a Pontifice in sua epistola citantur, an vero uberior expositio ex qua lemmata illa ipse Hadrianus collegit, difficulter dirimi potest. Priori sententiae favet Ill. Hefele[2]). — Si Capitulare Hadriano missum fuit illud volumen, quod commemorat Hincmarus, seque in aula legisse asserit, majoris molis illud opus fuisse, et uti *Carolini* pluribus libris constitisse, fatendum esset. Hincmarus videlicet de Synodo septima loquens (l. c.) a Francofurtensi concilio rejecta, haec subjungit: *De cujus destructione non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore* (Carolo) *Romam est per quosdam episcopos missum, in cujus voluminis quarto libro haec de Universalis nomine scripta sunt.* Atque hoc loco Hincmarus vigesimum octavum libri quarti caput describit plane idem cum eo, quod legitur in libris Carolinis a Tilio editis. Sed probabile est, Hincmarum legisse ipsos libros Carolinos jam ampliori recensione completos, qualem nunc

[1]) Cfr. Floss, de suspecta Carolinorum a Joanne Tilio editorum fide Commentatio. Bonn 1860. — P. Alberdingk-Thym, Karel de Groote (1867) p. 350 sqq. — Hergenröther K. G. III. S. 200.

[2]) C. G. B. III. §. 402. — Conferenda sunt quae Ill. Auctor disserit de Libris Carolinis l. c. §. 400 sqq.

habent, et existimasse eosdem Pontifici fuisse transmissos. Id tamen nequit admitti ob diversitatem commemoratam, quae quoad ordinem Capitulorum et verba, in capitulis ab Hadriano citatis et in libris Carolinis uti nunc constant invenitur.

Conventus Parisiensis. 81. Iterum in Gallia de cultu imaginum actum est in *Conventu Parisiensi* sub Ludovico Pio a. 825. Illo tempore videlicet in Oriente denuo Iconoclastae praevalebant, et Michaël Balbus Imperator etiam ad Ludovicum Pium litteras dederat, quibus cultum imaginum ut superstitiosum traducebat. Ea occasione Ludovicus cum licentia Romani Pontificis doctissimorum episcoporum conventum Parisiis convocavit, qui de ista quaestione agerent. In epistola ad Ludovicum et Lotharium datâ eadem fere sensa exprimunt Praesules, quae in Capitulario ad Hadrianum misso, in canone secundo synodi Francofurtensis, et in Libris Carolinis continentur.[1])

82. Omnibus consideratis, Gallorum sententiam ad haec reducere possumus: 1° Repudiarunt sententiam suppositam ab iis Concilio Nicaeno, scilicet sacras imagines esse adorandas cultu latreutico qui Trinitati debetur, vel cultu quodam supremo et absoluto propter illarum sanctitatem aut virtutem internam. — 2° Rejiciunt Iconomachorum errorem, sacras imagines esse frangendas et plane abolendas, sed statuunt, eas *in memoriam et ob amorem Sanctorum* congruenter haberi. Ita in ultimo lemmate Capitularii ad Hadrianum missi statuebatur: *Ut sciat Domnus Apostolicus et pater noster et cuncta simul Romanorum ecclesia, ut secundum quod continetur in epistola beatissimi Gregorii quam ad Serenum Massiliensium episcopum direxit, permittimus imagines Sanctorum quicumque eas formare voluerint, tam in ecclesia quamque extra ecclesiam propter amorem Dei et Sanctorum ejus. Adorare vero eas nequaquam cogimus qui noluerint. Frangere vel destruere eas etiamsi quis voluerit, non permittimus. Et quia sensum sanctissimi Gregorii sequi in hac epistola universalem catholicam*

[1]) V. Labbé, Coll. Conc. T. VII. col. 1542 sqq.

Ecclesiam Deo placitam indubitanter libere profitemur[1]). — Eadem fere ratione in Libris Carolinis L. II. c. 23 dicitur: *Imagines sane... a B. Gregorio Romanae urbis Antistite et adorari prohibentur et frangi. . . Ecce quo magisterio quove documento venerandi Pontificis imbuti, imagines in ecclesiis habere non renuimus, sed earum adorationem prorsus abdicamus*[2]).

83. Galli 3° dum rejiciunt cultum supremum et *absolutum* sacrarum imaginum ut ineptum, dumque statuunt imagines servari ob memoriam et amorem Sanctorum, non advertunt ad cultum illum inferiorem, analogicum et *relativum,* qui licite imaginibus praestatur. Atque quum supponant a Concilio Nicaeno cultum absolutum et superstitiosum imaginibus esse decretum, passim ita loquuntur, ac si alius cultus non haberetur, et proinde cultus imaginum universim non conveniret. Ostendunt tamen satis, venerationem aliquam *relativam* per se haud illicitam esse, sed eam traducunt ut periculosam et multitudinis indoctae intellectui inaccessibilem. Patet res ex iis quae habentur in Carolinis, L. III. c. 16: *Dum nihil nos spernamus in imaginibus praeter adorationem, quippe qui in basilicis Sanctorum imagines non ad adorandum, sed ad memoriam rerum gestarum et venustatem parietum habere permittimus; illi vero paene omnem suae credulitatis spem in imaginibus collocent, restat, ut nos Sanctos in eorum corporibus, vel potius reliquiis seu etiam vestimentis veneremur, illi vero pa-* Errores.

[1]) Labbé VII. col. 960.

[2]) Provocatur in utroque textu ad epistolam S. Gregorii M. ad Severum Massiliae episcopum. Scribit eidem Pontifex: „Indico, dudum ad nos pervenisse, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem ecclesiae imagines confregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari possit, habuisse laudamus, sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus legant quae legere in codicibus non valent. Tua ergo fraternitas et illas servare et ab earum adoratu populum prohibere debuit; quatenus et litterarum nescii haberent, unde scientiam historiae colligerent, et populus in picturae adoratione minime peccaret.“ L. VII. ep. 111. — In ista epistola de *superstitiosa* adoratione imaginum agi-

rietes et tabulas adorantes in ea se arbitrentur magnum habere fidei emolumentum. . . Etsi a doctis quibusque vitari possit hoc quod illi in adorandis imaginibus exercent, qui videlicet non quid sint, sed quid innuunt venerantur, indoctis tamen quibusque scandalum generant, quia nihil aliud in his praeter id quod vident venerantur et adorant. — Vides, hoc loco auctores Librorum Carolinorum ob rei evidentiam coactos fuisse agnoscere, uti reliquiarum, ita et sacrarum imaginum cultum relativum possibilem et licitum esse. Sed Orientalibus adscribunt cultum absolutum; dumque a doctis hunc evitari et *relativam* venerationem ab iis praestari posse admittunt, tamen hanc seponendam esse opinantur ob scandalum multitudinis indoctae, quae talem distinctionem assequi nequeat. Unde apparet, dissensionem Francorum demum non respicere *substantiam* cultus imaginum. Sed ex una parte Orientalibus, quia doctrinam eorum male intellexerant et ex animositate falso interpretabantur, immerito opiniones erroneas attribuunt et cultum superstitiosum. Ex altera parte venerationem relativam et inferiorem imaginum habent uti in se quidem licitam, sed ut practice periculosam et fidelibus indoctis inaccessibilem. Inde est, quod tantum ad instructionem et ob amorem ac memoriam Sanctorum laudabiliter imagines conservari contendunt.

Quaestio practica. 84. Sed ista in re Galli non tantum errarunt quoad doctrinam falso Orientalibus adscriptam, verum etiam in altera quaestione practica. Etenim passim id accidit tam in veritatibus speculativis quam in exercitiis practicis pietatis, ut docti quidem attentione adhibita ac non sine labore

---

tur, quam reprobat Pontifex. Dum vero episcopi laudat zelum, eum reprehendit, quod imagines fregerit, et ad instructionem eas merito adhiberi advertit. Non erat, cur Gregorius hic ulterius de *veneratione* licita imaginum ageret. Etenim ut episcopo ostenderet, inepte imagines confringi, sufficiebat monere, eas media praeclara esse ad populi instructionem, nec de *modo* cultus inferioris, qui imaginibus sacris licite praestatur, erat agendum. Caeterum veneratio ista intime cum usu imaginum sacrarum ad memoriam Sanctorum nexa est, et per se fere eum usum comitatur, nisi quis praejudiciis detineatur.

elementa singula distinguant et scientifica ratione rem perspiciant atque intelligant: dum homines indocti, fide et ipsa ratione sana duce, quod rectum et justum est non difficulter attingunt, quamvis haud distincte, sed tantum confuse quae ad rem pertinent conspiciant. Hoc etiam in cultu sacrarum imaginum usuvenit. Certe dum idololatria adhuc vigebat vel multa saltem ejus vestigia supererant, periculum quoddam erat, ne recenter conversi Christiani, uti antea simulacris numinum, ita jam imaginibus sacris cultum superstitiosum impenderent. Sed idololatria penitus exstincta et christiana religione firmata, tale periculum penitus aberat. Atque fideles etiam rudiores, suis tamen fidei principiis imbuti et sana ratione ducti, sacris imaginibus eam tantum venerationem praestabant inferiorem, analogicam et relativam, quae ipsis convenit, quin iis opus esset distinctionibus doctis, quae merito a theologis adhibentur et adhiberi debent, cum scientifica ratione de istis quaestionibus tractant.

85. Per se vero ista veneratio sponte consequitur, dum imagines ob memoriam et amorem Sanctorum conservantur. Quemadmodum filius qui ob patris memoriam et amorem ejus habet imaginem, hanc honore quodam civili afficiet, ita etiam veneratione *religiosa* sponte afficientur imagines Sanctorum; haec ex indole rei intime nexa est cum usu eorum ob memoriam et amorem Sanctorum. Unde Hadrianus qui comprobabat doctrinam Concilii Nicaeni, quando Capitularii quod Galli opposuerant ultimum citat capitulum, in quo profitentur se sequi sensa Gregorii M. et servare imagines propter amorem Dei et Sanctorum ejus, rem approbat perspiciens, quoad substantiam et quoad praxim fere eamdem esse Gallorum et Orientalium sententiam. *Hoc sacrum et venerandum capitulum*, scribit, *multum distat a totis supradictis capitulis. Et idcirco cum agnovimus vestrae a Deo servatae orthodoxaeque regalis excellentiae esse proprium, in eo ubi rectae fidei plena penitus confessa est sensum sanctissimi Gregorii sequi.* — Ac censemus, revera eo tempore, ut postea, fideles Galliae sacram venerationem imaginibus quibus utebantur exhibuisse,

quamvis consuetudines Orientalium, qui osculis, genuflexionibus, incenso et luminaribus imagines sacras colebant, minus in usu essent in Gallia[1]). Sed talis differentia caeremoniarum externarum magna ex parte provenit ex diversitate indolis et characteris inter Orientales et nationes Occidentis septentrioni propiores. Minus videlicet homines harum nationum commoventur, ac tardiores sunt ad signa ejusmodi exteriora, quae apud gentes Orientem versus et Meridiem habitantes plurimum adhibentur. — Negari tamen non potest, verbotenus identidem Praesules Galliae omnem cultum imaginibus denegasse. Romani autem Pontifices hac in quaestione prudenti oeconomia usi sunt, ita ut non urgerent agnitionem Synodi septimae ut oecumenicae, nec cogerent episcopos Galliae, ut aliter quoad venerationem imaginum statuerent et agerent. Sperabant videlicet fore, ut sponte oppositio illa evanesceret, quae maxima parte confusione quadam rerum et animositate nitebatur, utque Galliae ecclesiae penitus sese reliquis ecclesiis conformarent. Idque revera versus saeculi noni finem accidit.

Eventus in Oriente.

86. Sed restat, ut enarremus, quae in controversia de cultu sacrarum imaginum ineunte saeculo nono acciderunt. Postremis saeculi octavi annis discordia inter Constantinum Imperatorem et Irenem ejus matrem magnum paci et prosperitati publicae detrimentum intulit. Anno 790 Constantinus matrem imperio privavit, sed post annum, ro-

---

[1]) Antiquam tamen fuisse consuetudinem accendendi luminaria coram imaginibus, colliges ex istis versibus Fortunati in Carmine de S. Martino: „Hic paries retinet sancti sub imagine formam, — Amplectenda ipso dulci pictura colore. — Sub pedibus justi paries habet arte fenestram, — Lychnus adest, cujus vitrea natat ignis in urna.“ L. IV in fine. — Venantius Fortunatus ibi describit sacellum S. Martini quod Ravennae exstabat in ecclesia SS. Joannis et Pauli, ubi et ipse oculorum morbo sanatus erat, quum oleo ex illa urna desumpto frontem unxisset. Agitur quidem de honore a Ravennatibus S. Martino praestito, sed morem istum honorandi imaginem S. Martini accenso lumine Fortunatus cum laude ita describit, ut communem fuisse et Gallis consuetudinem dixeris istam. vel saltem iis omnino acceptam.

gantibus proceribus, restituit. Anno 795, non obstantibus S. Tarasii patriarchae monitis et minis, Mariam legitimam conjugem suam repudiavit et coram Josepho presbytero et ecclesiae CPtanae oeconomo, qui hac in re Constantino vile obsequium praestitit, illegitimas nuptias cum Theodota cubicularia contraxit. Tantum facinus, quod in publicum vergebat scandalum, ita commovit S. Platonem et S. Theodorum abbates, ut non tantum Imperatoris nuptias palam reprehenderent, eumque ceu excommunicatum vitarent, sed etiam recederent a communione Tarasii, quod adulterum Imperatorem et Josephum persbyterum non excommunicaret. Ita in ecclesia CPtana concordia satis turbata est. Anno 797 dejectus est Constantinus et crudeliter excaecatus, ac brevi post obiisse dicitur. Quod supplicium alii ab Irene mandatum fuisse referunt; alii censent, mulierem a procerum quorumdam arbitrio dependentem, tum quoad Constantini ejectionem ex imperio, tum quoad supplicium, quo matre nescia affectus fuerit, merito excusari[1]). Irene dein sola regnavit usque ad annum 802, quo anno ipsa a Nicephoro patricio e throno dejecta et in insulam Lesbos relegata est. Ibidem obiit anno 803 Irene, quae a Graecis colitur inter Sanctos.

87. *Nicephorus* princeps saevus et avarus, modo tyrannorum etiam ecclesiasticis negotiis se miscuit, multumque patriarchas S. Tarasium et ejus successorem (a. 806) Nicephorum vexavit; attamen bellum contra sacras imagines non instauravit. Anno 811 in bello contra Bulgaros cum permagna militum suorum multitudine occisus est, eique successit *Michaël I. Rhangabes,* qui Imperium bene visus est administrare, ac de religionis et ecclesiae bono sollicitus erat. At cum in Iconoclastas animadverteret, invidiam exercitus, in quo multi ea haeresi infecti erant, subiit; unde factum est, ut anno 813 commissa cum Bulgaris adversa pugna, milites ab eo deficerent et Imperatorem salutarent *Leonem Armenum.* Michaël imperii

---

[1]) Cfr. Hergenröther Photius I. p. 257; Damberger Ges., B. II. S. 537 sqq.

signa sponte deposuit, et cum Procopia conjuge liberisque monasticum habitum induit.

Bellum instauratur.

88. *Leo V Armenus* iterum bellum atrox contra sacras imagines suscepit, atque ipso imperante fideles catholici ea fere omnia tolerarunt, quae sub Leone Isauro et Constantino Copronymo quondam passi sunt. Leoni Armeno anno 820 interfecto successit *Michaël II Balbus,* qui initio, quum Thomas militum dux contra eum rebellionem suscitasset, se benevolum in catholicos simulavit; sed rebellione sedata infensum sese ostendit sacrarum imaginum adversarium, et exilio, spoliatione bonorum, imo et ultimo supplicio in fideles animadvertit.

89. Conatus autem est callide Ludovicum Pium Imperatorem, et Eugenium II Pontificem Romanum qui tunc Ecclesiae praeerat, decipere. Etenim cum optaret sibi praesidium Ludovici Pii et Romani Pontificis Eugenii comparare, opportunum existimavit legationem ad eos destinare, vota sua iis significandi gratia, ut inter utrumque imperium concordia restauraretur, atque omnis prorsus de religione controversia exstingueretur. Itaque litteras ad Ludovicum Imperatorem atque ad Eugenium Papam per legatos suos transmisit, quibus quoad reliqua orthodoxam edit professionem, errorem vero suum iconoclasticum caute tegit, et nonnisi abusus quosdam ab ipso rejectos commemorat. *Sed et hoc*, scribit ad Ludovicum, *vestrae Christo amabili dilectioni manifestamus, quia multi de ecclesiasticis seu et laicis viris alieni de apostolicis traditionibus facti, et neque paternos terminos custodientes, facti sunt inventores malarum rerum. Primum quidem honorificas et vivificas cruces de sacris templis expellebant, et ad eadem loca imagines statuebant, ponebantque lucernas coram eis, simul et incensum adolebant, atque eas in tali honore habebant, sicut honorificum et vivificum lignum, in quo Christus verus Deus noster crucifigi dignatus est propter nostram salutem. Psallebant et adorabant, atque ab iisdem imaginibus auxilium petebant; plerique autem linteaminibus easdem imagines circumdabant, et filiorum suorum de baptismatis fonte susceptrices faciebant. Alii vero religiosum habitum monasticum*

Legatio ad Ludovicum Pium.

sumere volentes, religiosiores personas postponebant, qui prius comam capitis eorum suscipere solebant, adhibitis imaginibus quasi in sinum earum decidere capillos eorum sinebant. Quidam vero sacerdotum et clericorum colores de imaginibus radentes immiscuerunt oblationibus et vino, et ex hac oblatione post missarum celebrationem dabant communicare volentibus. Alii autem corpus Domini in manus imaginum ponebant, unde communicare volentes accipere fecerunt. Nonnulli vero spreta ecclesia in communibus domibus tabulis imaginum pro altaribus utebantur, et super eas sacrum mysterium celebrabant. Et alia multa similia his illicita et nostrae religioni contraria in ecclesiis fiebant, quae doctioribus et sapientioribus viris satis indigna esse videbantur. Propterea statuerunt orthodoxi Imperatores et doctissimi sacerdotes locale adunare concilium ad inquisitionem super his habendam; qui in id ipsum convenerunt, Sancto Spiritu inspirante. Talia ubique communi consilio fieri prohibuerunt, et imagines de humilioribus locis efferri fecerunt, et eas quae in sublimioribus locis positae erant, ut ipsa pictura pro scriptura haberetur, in suis locis consistere permiserunt; ne ab indoctioribus et infirmioribus adorarentur, neque eis lucernas accenderent, neque incensum adolerent, prohibuerunt. Quemadmodum et nos nunc sentimus et tenemus abjicientes de Ecclesia Christi eos, qui hujusmodi malignis inventionibus student[1]. Emissa dein professione orthodoxae fidei, Michaël Ludovicum deprecabatur, ut legatos suos securos Romam deduceret, et apud R. Pontificem in demandato eis negotio adjuvaret, quo discordiae finis constitueretur.

90. Ludovicus Pius fucatis Imperatoris graeci expostulationibus et callidis argumentis aures facilius praebens, cum Graecorum legatis direxit Freculfum episcopum Lexoviensem et Adagarium pariter episcopum, petiitque ab Eugenio, ut concederet conventum haberi episcoporum doctiorum, qui veterum Patrum testimonia de imaginibus Sanctorum colligerent, ac dein pro componenda ecclesiarum discordia Romam transmitterent. Huic Ludovici petitioni quum Eu- Eugenius II.

[1]) Vide ap. Baronium ad a. 824 nn. 26. 27.

genius II assensum praestitisset, Imperator anno 825 aliquot episcopos et viros doctos Parisiis congregavit. Hi Praesules, ducti veteri errore de Concilio Nicaeno II, ac si in eo sacris imaginibus idem ac deificae Trinitatis cultus isque absolutus fuisset decretus, fidemque habentes litteris Michaëlis Balbi de abusibus in imaginum cultum invectis, non tantum errorem Iconomachorum qui imagines despiciebant et confringebant, sed etiam Concilium Nicaenum et Hadriani Papae litteras, ac si in iis indebitus sacrarum imaginum cultus fuisset approbatus, reprehenderunt; statueruntque, *quod imagines Sanctorum stulta praesumptione non sunt confringendae, nec assertione superstitiosa colendae, aut adorandae, sed potius hujusmodi superstitione remota juxta veram religionem memoriae et amoris causa, ob recordationem eorum quorum sunt imagines habendae, sicut a B. Gregorio satis catholice perspicueque dictum declaratur*[1]).

Praesulum sententia. 91. Plura Patrum testimonia collegerunt tum contra eos qui imagines Sanctorum confringendas et abolendas esse dicerent, tum contra eos qui illas adorarent aut superstitiose colerent. Quam collectionem cum epistola ad Ludovicum Imperatorem direxerunt. Addiderunt praeterea exemplar epistolae a Ludovico ad Pontificem scribendae[2]), cum exemplo alterius epistolae, quam a Pontifice ad Grae-

---

[1]) V. Mansi Coll. Conc. T. XIV. 421—460. — Opportune hic ea notare juvabit, quae de actis conventus Parisiensis scribit Pagius ad a. 825 n. 2. „Anno 1606 prodiit Francofurti libellus cum hoc titulo: *Synodus Parisiensis de imaginibus anno Christi DCCCXXIV, ex vetustissimo Codice descripta et nunc primum in lucem edita.* Sed cum careret auctoris nomine, qui invenit et edendam curavit, vel ex qua fuerit accepta bibliotheca, et manifesto pateret, opus illud in odium Romanae Ecclesiae divulgatum esse, Bellarminus statim libellum illum confutavit tanquam falso Synodum Parisiensem inscriptum. Petrus quidem Delalande thesaurarius ecclesiae S. Frambaldi Silvanectensis eamdem Synodum postea publicavit ex Codice Bibliothecae Thuanae num. 270, sed nec Labbeus in Collectione Conciliorum generalium, nec Sirmondus in Conciliis Gallicanis illam Synodum retulere, quod Gallorum illius temporis ab imaginum adoratione abhorrentium haeresim redoleat " — Agnoverunt tamen posteriores, acta synodi esse genuina; quid vero de Gallorum opinione censendum sit, ex dictis colligitur.

[2]) Mansi l. c. p. 461.

eorum Imperatorem scribi cupiebant, in qua hanc restituendae in ecclesiis Orientis pacis viam proposuerunt, *ut qui volunt, pro pia memoria vel sana doctrina in locis competentibus, absque ullo illicito cultu, pictas vel fictas habeant imagines, qui autem nolunt, absque ullo illicito contemptu, taliter habentes vel habitas imagines nullatenus spernant*[1]). — In variis hujus conventûs (non fuit synodus) actis, Praesules et viri eruditi nimia quadam sui fiducia res tractant, et quamvis magnificis verbis auctoritatem Sedis Apostolicae commendent, passim minus reverenter loquuntur, dum v. g. dicunt, Hadrianum scripsisse *quae voluit, haud vero quae decuit*[2]).

92. Ludovicus Imperator ea quae censuit opportune ex Actis illis excerpi posse ad quaestionem elucidandam, per Jeremiam Senonensem et Jonam Aurelianensem episcopos Romam misit, ut Romanus Pontifex judicium ferret. Atque in epistola a Ludovico et Lothario ejus filio ad Eugenium missa, diserte auctoritas S. Sedis quoad magisterium doctrinae agnoscebatur, et eum tantum asserebatur finem esse eorum quae acta fuerant, ut auxilium quoddam praestaretur Pontifici. *Quibus* (actis) *perlectis*, scribunt, *ea vestrae Sanctitati legenda atque examinanda per legatos nostros Jeremiam et Jonam episcopos mittere curavimus. Quos non ob hoc ad vestrae Almitatis praesentiam misimus, ut aliquo velut magisterii officio fungerentur, aut docendi gratia directi putarentur, quia sicut jam commemorati sumus nos debitores existere, ut huic S. Sedi in quibuscumque negotiis auxilium ferre debeamus*[3]). — Quaenam Romae in isto negotio gesta sint, ignoratur. Id tamen ex Legatio Romam missa.

---

[1]) Mansi l. c. p. 463.

[2]) Dixeris, Praesules Gallicanos illius aetatis, quum per Pipinum et Carolum M. ad tantam gloriam illud regnum pervenisset, aliquid humani passos esse, quatenus aliquantisper animo efferrentur et existimarent, etiam in rebus theologicis se admodum excellere, ita ut vel ipsum Romanum Pontificem ejusque theologos instruere possent. Pontifices autem Romani prudenti moderatione erga bonos viros usi sunt. Similia acciderunt saeculo XVII, quum sub Ludovico XIV Gallia ad magnam potestatis gloriam et auctoritatem evecta esset.

[3]) V. Baron. ad a. 825 n. 48.

eventibus claret, Eugenium II, quamvis magna cum arte tum ab Orientalibus tum ab Occidentalibus sollicitaretur, tamen insigni sapientia in praedecessorum suorum et Concilii Nicaeni II doctrina de sacris imaginibus perstitisse, in Francos autem, qui in sua permanebant opinione, oeconomia prudenti usum esse.

Claudius Taurinensis.

93. Inter Gallos eo tempore iconoclastas imitatus est *Claudius Taurinensis episcopus*, qui auctoritate, qua apud Ludovicum Imperatorem pollebat, elatus, imagines et cruces ex ecclesiis suae dioecesis abegit et fregit. Sed ei fideles restiterunt, variique viri docti Galliae ejus errores confutarunt, quamvis et ipsi nondum ex integro veram de sacris imaginibus sententiam assequerentur. Claudium missa epistola admonuit ejus amicus Theodomirus abbas, sed frustra; dein vero eum refutarunt Dungalus monachus S. Dionysii, Jonas episcopus Aurelianensis, Walafridus Strabo, et praeter alios etiam deperdito opere Hincmarus Rhemensis. Istis discussionibus controversia de sacris imaginibus in Gallia non parum eliquata fuit, et versus finem saeculi noni, rebus melius perspectis, Galli errorem facti de Concilio Nicaeno deponere et cum Romanis ac Graecis illud suscipere et in ratione colendi sacras imagines consentire coeperunt[1]).

Eventus in Oriente.

94. In Oriente Michaëli Balbo anno 829 exstincto, successit filius ejus *Theophilus*, qui in persequendis sacris imaginibus earumque cultoribus patris odium et impietatem etiam superavit. Diram igitur eo regnante persecutionem fideles perpessi sunt. Sed anno 842, quum magna clade Saraceni ejus copias affecissent, moerore confectus obiit. — Theophilo in imperio successit *Michaël III* filius, adhuc puer quadriennis. *Theodora* vero ejus mater Augusta declarata est, et ipsa adjuta a Theoctisto et Manuele Imperatoris tutoribus, ecclesiis pacem reddidit. Joannes pseudo-patriarcha haereticus CPtanus depositus, et in ejus locum ordinatus fuit S. Methodius, qui pro defensione sacrarum imaginum sub Imperatoribus iconomachis multa

[1]) Cfr. de rebus in Gallia quoad sacras imagines gestis Baronium et Pagium ad a. 825.

perpessus fuerat. Is eodem anno 842 Constantinopoli celebravit synodum, in qua imaginum cultus restitutus et Concilium Nicaenum II confirmatum est. Dein episcopi, monachi aliique fideles ex exilio revocati, et solemni pompa sacrae imagines in suis locis repositae sunt. In memoriam vero hujus eventus Orientales festum instituerunt quotannis prima Quadragesimae dominica celebrandum, quod festum *Orthodoxiae* appellant. Cujus festi significatio postea ita extensa est, ut victoria de omnibus haeresibus reportata eodem celebretur.

94. Sic igitur haeresis ista quae Constantinopoli ante centum viginti annos, auctore Imperatore potens ac furens in Ecclesiae damnum erupit, et repressa saepius, rursus audacius erat debacchata, tandem anno 842 exstincta est. Quanta eadem invexerit secum mala, quot quibusque cladibus saepius pessumdederit varias ecclesias Orientis, longum esset minutim describere. Inde pietas vehementer concussa, Imperatorum in res sacras violenta immixtio, quasi ex jure iis competeret, in usum magis magisque transiit, Praesulum ambitiosorum ignaviâ, vel perversorum audaciâ res ecclesiasticae maxime turbatae, divisiones et schismata in ipsis dioecesibus Orientis provocata sunt, et aversio ac separatio ab ecclesia Romana vehementius promota est. Illius porro occasione haeresis orientale Imperium dispendium passum est Imperii occidentalis, quum ab Imperatoribus Iconoclastis primum diremptum, ac postea ne Ecclesiae protector deesset collatum sit Carolo M. regi Francorum. Fuit tamen etiam in Oriente Ecclesia ea aetate illustrata sanctitate multorum virorum, qui in fide orthodoxa fortiter persistiterunt, ac martyrum plurimorum triumphis; atque enituit auctoritas et sapientia Romanorum Pontificum, qui catholicam doctrinam continuo custodierunt et intrepide vindicaverunt. Conclusio.

Dissertatio decima quarta.

De civili Romani Pontificis Principatu.

Dissertationis indoles.

1. *Civilem sanctae Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus, nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri. Oportebat sane totius Ecclesiae Caput, Romanum Pontificem, nulli principi esse subjectum, imo nullius hospitem; sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet juris esse, et immobili, tranquilla et alma libertate catholicam fidem tueri ac propugnare, totamque regere ac gubernare christianam Rempublicam.* His aliisque solemnibus verbis episcopi plurimi a. 1862, quum Romae in canonizatione SS. Martyrum Japonensium congregati essent, suam de principatu civili Romani Pontificis sententiam expresserunt. Ac sancte se amplecti, iidem Praesules testati sunt, doctrinam ab ipso Pontifice iterato proclamatam, *quod singulari prorsus divinae providentiae consilio factum sit, ut Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum*[1]).

2. Hunc quidem principatum civilem Romani Pontificis nostris diebus a profanis hominibus conspicimus destructum atque sublatum; at quemadmodum speramus fore, ut divina disponente providentia dominium illud tempo-

---

[1]) Cfr. Acta Consistorii habiti die 9. Junii a. 1862. Civiltà Catt. 1862. P. II. p. 718 sqq.

rale restituatur, ita maxime convenit contra Ecclesiae adversarios ex historia quoque ostendere, quanto jure quantaque necessitatis vi iste principatus conditus sit, et quam multa et maxima bona inde Ecclesiae et societati civili provenerint. Quum ad eam igitur in nostra tractatione pervenerimus aetatem, qua principatus civilis Romani Pontificis suum habuit ortum, de ejusmodi origine hac Dissertatione aliquanto accuratius agemus. Auctores protestantes varii, et alii scriptores qui nostro tempore eversionem principatus illius praepararunt et vindicarunt, artibus et ambitioni Romanorum Pontificum adscribunt, quod a Francorum regibus adjuti varias regiones Italiae Imperatorum orientalium dominationi subtraxerint, atque ita principatum civilem formaverint. Sed videbimus, summa cum justitia, ac necessitate cogente, a Romanis Pontificibus hunc principatum civilem acceptum potius esse quam quaesitum, nec jura Imperatorum orientalium hac in re laesa fuisse. Agemus primum *de causis atque eventibus, quibus praeparatus est principatus civilis Romani Pontificis;* deinde *de formatione hujus principatus.* Quum vero hac in re maximi momenti fuerit protectio quam Francorum reges Sedi Apostolicae praestiterunt, hoc loco etiam de illis tractabimus *relationibus, quae saeculo octavo inter Pontifices illosque reges ortae sunt.*

3. Consuli possunt hisce de quaestionibus: Cenni, *Monumenta dominationis Pontificiae seu Codex Carolinus,* Romae 1760. — Theiner, *Codex diplomaticus dominii temp. S. Sedis,* Romae 1861. — Orsi, *dell' origine del dominio temporale etc.* Roma 1754. — Muzzarelli, *Dominio temporale del Papa,* Roma 1789. — Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge.* — Peraldi, *Analisi critica sul origine della temporale dominazione dei Papi e sulle apologie dello stato presente di questa sovranità,* Bastia 1860. — Brunengo, *Origine del dominio temporale etc.* Roma 1864. — Mathieu Card., *Le pouvoir temporel des Papes, justifié par l'histoire,* Paris 1863. — Scharpff, *Die Entstehung des Kirchenstaates,* Freiburg 1860. — Phillips, *Kirchenrecht, B. III. 1.* — Rohrbacher, *Universalgeschichte etc., B. XI. in deutscher Be-* Auctores.

arbeitung von Kellner, Münster 1880. — Möhler (Gams) *Histoire de l'Eglise Tom. II. Ch. II. §. 2. p. 127.* — Hergenröther, *K. G. B. I. 493 ff; B. III. 188.* Alios scriptores in ipsa dissertatione citabimus.

I.

De causis atque eventibus, quibus praeparatus est Principatus civilis Romani Pontificis.

Praeparatur paulatim.

4. Haud inopinate et ex improviso dominium temporale a Romanis Pontificibus acquisitum esse, sed diuturno tempore per saeculorum decursum hunc principatum civilem disponente providentia divina praeparatum fuisse, rerum historiâ luculenter ostenditur. Fundamentum hujus principatus veluti praebuerunt patrimonia illa ecclesiae Romanae, seu latifundia amplissima, quibus paulatim per principum ac fidelium pietatem Sedes S. Petri ditata erat; et influxus in res civiles quem Romani Pontifices, tum ex Imperatorum ac regum concessione, tum propter excelsam suam dignitatem et adjuncta externa exercebant. Atque ad adjuncta externa quod attinet, fieri non potuit, quin maxime cresceret ille influxus Pontificum, postquam Longobardi magnam partem Italiae occupaverunt, et reliquas quoque provincias sibi subjugare studuerunt. Etenim contra aggressionem invisae illius barbarorum gentis, Orientis Imperatores frequenter Italos haud satis defenderunt, ita quidem ut in RR. Pontificum auxiliis, consiliis et interventione mox unica spes et salus Italiae posita videretur. Hinc influxus eorum politicus summopere crevit. Demum ut Longobardos repellere seseque tueri possent, recurrerunt RR. Pontifices ad Francorum reges, quos etiam beneficiis sibi devinxerunt. Unde factum est, ut exstincta Imperatorum orientalium in Italiam dominatione, et repressa etiam potestate Longobardorum regnoque eorum everso, tandem a Francorum principibus dominium tem-

porale et principatus civilis RR. Pontificibus firmaretur. Sed per singula aliquanto accuratius haec exponere convenit.

Patrimonia ecclesiae R.

5. Jam primis saeculis ecclesias, et maxime Romanam, ex fidelium oblationibus fundos et agros seu multiplicis generis bona immobilia possedisse, proventusque habuisse amplissimos, passim observavimus. Atque inde a temporibus Constantini ejusmodi ecclesiarum bona ac patrimonia admodum aucta sunt. Ut enim taceamus de largitate ac donis ipsorum Imperatorum christianorum, „nemo, ait Thomassinus, tam peregrinus est in annalibus Ecclesiae, cui non sit compertum, ea aetate innumerabiles paene primae nobilitatis viros, ex quo primum vel christianam fidem baptismo professi sunt, vel clericatum ordinatione, vel denique monasticum institutum, ingentia patrimonia abdicasse, pauperibus distribuisse, et tum sibi se vere divites visos esse, has divitias fucatas et umbraticas postquam abjecissent. Atqui unum idemque tunc erat pauperibus dare, vel Ecclesiae omnium pauperum altrici. Ut enim tota Ecclesiae substantia patrimonium erat pauperum, ita et quae in pauperes eroganda legabantur, ea solebant Ecclesiae committi“ [1]). Hac igitur ratione Romana ecclesia amplissimum patrimonium assecuta est.

Gregorii M. aetate.

6. Nusquam mirabiliora opulentiae hujus ecclesiae documenta, sed et nusquam illustriora sanctissimae administrationis insignia inveniuntur, quam in epistolis Gregorii M. Pontificis. Patrimonia Ecclesiae Romanae eo tempore sita erant in Africa, Gallia, Sicilia, Corsica, Dalmatia et praesertim in Italia, videlicet tum in Italiae meridionalis provinciis Campania, Calabria et Lucaonia, tum in Italia septemtrionali, ubi Alpes Cottiae ad patrimonium Ecclesiae Romanae pertinebant. Latifundiis igitur amplissimis cum oppidis, pagis, aedificiis, agris, pascuis, et gregibus ista patrimonia constituebantur. Sed et coloni ipsi sub ecclesiae ditione erant. Nemo nescit agricolas, vinitores, conductores agrorum, rusticos tum paene universos, servilis

[1]) Vetus et nova Eccl. disciplina, P. III. L. I c. 16. n 5.

fuisse conditionis, et agris colendis ipsa nascendi sorte fuisse mancipatos. Eos agros suscepit ecclesia ea conditione qua legabantur, cum colonis et cultoribus suis; sed in iis mox regendis etiam ipsa ex ingenio suo explicuit caritatem, libertatem, suavitatemque quae servile jugum mirum in modum leniret et allevaret, quamvis plerumque nexu servitutis retinerentur territoriis illis devincti[1]).

Potestas civilis episcoporum.

7. Non mediocris ex talibus possessionibus sane auctoritas dimanabat; sed praeterea jam ex saeculo quarto episcopi et imprimis Pontifex Romanus permagna in res civiles potestate aucti erant ab ipsis Imperatoribus. „Ea est, ait Thomassinus, temporalium spiritualiumque rerum conjunctio, ea populorum in pastores suos propensio et reverentia ex religione efflorescens, ea erat qua episcopos Constantinus Imperator cumulaverat auctoritas, ut publicorum judicum judicia retractarent, suorumque judiciorum illos executores haberent; denique ea erat quarumdam ecclesiarum opulentia, tanta clericorum, pauperum, virginum, viduarum copia qui Ecclesiae sumptu alebantur, ejusmodi, inquam, erant haec omnia, ut non fere potuerint episcopi non magna saltem ex parte, civili civitatum et provinciarum administrationi implicari"[2]). — Animadvertimus,

Patriarchae Alexandrini.

in Oriente patriarcham Alexandrinum jam S. Athanasii tempore eximia quadam et late fusa potestate in totam Aegyptum praeditum fuisse. Hinc intelliguntur illae adversariorum Athanasii criminationes, etsi falsae, quod praecepisset Aegyptiis, ut vestium linearum tributum ecclesiae Alexandrinae solverent, quod intervertere voluisset frumenta, quae quotannis ex Aegypto Constantinopolim advehebantur[3]). Sub Theophilo ac S. Cyrillo ea potestas etiam aucta est. Unde illae querelae Socratis, viri rigidioris et de rebus ecclesiasticis minus bene judicantis: *Cyrillus in sede episcopali collocatus, majorem principatum quam unquam*

---

[1]) L. c. c. 19. — De patrimoniis ecclesiae Romanae tempore S. Gregorii M. vide Grisar: *Ein Rundgang durch die Patrimonien des hl. Stuhles um das Jahr 600.* Innsbr. Zeitschrift 1877, S. 321.

[2]) L. c. c. 26.

[3]) Cfr. Socrat. H. E. L. I. c. 20—23.

Theophilus habuisset pariter sibi assumpsit. . . . Etenim ex illo tempore episcopus Alexandrinus praeter sacri cleri dominatum, rerum praeterea saecularium dominatum acquisivit[1]). Ejus civilis potestatis specimen edidit Cyrillus, quando omnes Novatianorum ecclesias Alexandriae conclusit, thesauros eorum asportavit, Theopemptum eorum episcopum bonis omnibus exuit, si qua Socrati haec narranti fides habenda sit. Dioscorus autem Cyrilli successor, tyrannico modo abusus est hac potestate in res civiles contra Cyrilli familiam, uti comperitur ex accusationibus contra eum latis in Actione tertia Concilii Chalcedonensis ab Athanasio presbytero, Cyrilli nepote, et ab Ischyrione diacono. *Aliquorum*, ait hic, *vastata sunt praedia excisione arborum perpetrata, aliorum vero domus destructae sunt, alii in exilium pulsi sunt, alii mulctatione vexati sunt, quidam vero et ab Alexandrina civitate, sicut de propria ejus possessione exclusi sunt.* Ipse abusus hic est tristissimum sed certissimum illius auctoritatis civilis documentum.

8. Sed similem plane fuisse jam ea aetate Romanis Pontificibus potestatem ex eo colliges, quod eodem quo Cyrillus tempore Romae Coelestinus Papa Novatianis suas ecclesias abstulit omnes, compulitque ut nonnisi clandestinos agerent coetus. Hinc Socratis querelae et lamenta, quod et Romani et Alexandrini Antistites spiritualis imperii metas praetervecti, temporalem exercerent dominationem. *Episcopatus Romanus*, inquit, *non aliter atque Alexandrinus, ad saecularem principatum erat jam ante delapsus.* Affectibus suis indulgebat Socrates, cum in has querelas effundebatur. Merito Thomassinus: „Si potestatem civilem non explicarunt Coelestinus et Cyrillus, nisi ad obruendam haeresim et Ecclesiae catholicae nova munimenta adstruenda, nec illis magnopere nec nobis laborandum est de haereticorum criminationibus, quibus catholicae fidei zelus et constantia commendatur"[2]). — Coelestini potestatis vero etiam illud est documentum, quod

Romani Pontifices.

---

[1]) Socrates, L. VII. cc. 7. 13.

[2]) L. c. c. 26.

efflictim et enixissime eum interpellabat S. Augustinus (ep. 209), ne Antonium Fussalensem episcopum ecclesiae et sedi suae restitui juberet ea vi et armatorum militum caterva, qua restitutum illum iri fama vulgaverat, late sparso eo jam terrore. *Judicia illis, et publicas potestates, et militares impetus, tanquam executuros Apostolicae Sedis sententiam comminatur.* Augustini precibus et aequitate causae facile credideris emollitum fuisse Coelestinum, et fragorem illorum armorum dissipatum.

9. Quum mediante saeculo quinto occidentalis Imperii robur decresceret, et barbarorum agmina regnum invaderent, ipsique urbi Romanae imminerent, in summis illis periculis praesertim Romani Pontifices suo subsidio adfuerunt Romanis. Id maxime patuit tempore S. Leonis. Quanta in urbe ejus fuerit auctoritas, et praesentiae ejus necessitas simul atque solamen, colliges ex iis, quae scribit ad Theodosium II, significans non posse se proficisci et praeesse Synodo oecumenicae tunc Ephesi convocatae (quae in latrocinium degeneravit), quod abesse Roma ipsum non pateretur Urbis salus. *Quod pietas ejus*, scribit, *etiam me credidit interesse debere Concilio, etiamsi secundum aliquod exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quia rerum praesentium nimis incerta conditio, a tantae urbis populis me abesse non sineret, et in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causae ecclesiasticae viderer patriam et Apostolicam Sedem velle deserere*[1]). Et in alia epistola pariter scribit: *Cum temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem*[2]). Nemo porro est qui nesciat, per S. Leonem factum esse (a. 452), ut Attila Hunnorum rex Urbi parceret, et cum copiis suis recederet. Romani Pontificem periculosissima ad regem honestaverunt legatione, cum duobus aliis amplissimis et ornatissimis viris. Ad truculentissimum videlicet regem ut pacem peterent, cum viro consulari Avieno et viro praefectorio Trigetio profectus est beatissimus Papa Leo auxilio Dei fretus, quem sciret nunquam piorum

Leonis M. auctoritas.

---

[1]) Epist. 13. [2]) Epist. 17.

laboribus defuisse. Nec aliud secutum, quam praesumpserat fides. Nam tota legatione dignanter accepta, ita summi Sacerdotis praesentia rex gavisus est, ut et bello abstineri praeciperet et ultra Danubium recederet. Et quamvis aliquot annis post (a. 455) a Geiserico Vandalorum rege idem non obtineret, effecit tamen S. Pontifex, ut Urbs servaretur et vita habitatorum incolumis esset.

10. Brevi post destructum Imperium occidentale Gothi sub Theodorico (a. 488) Italiam subegerunt, sed etiam sub hoc rege, quamvis Arianus esset, Romani Pontificis influxus in res quoque civiles maximus erat. Id vel patet ex iis, quae Cassiodorus Theodorici minister scribit ad Joannem II Pontificem. *Vos*, ait, *speculatores christiano populo praesidetis, vos patris nomine omnia dirigitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, vos omnia. Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem, tamen nec ista potestis negligere quae corporis videntur substantiam continere, nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est utraque refovere*[1]). Justinianus Imperator destruxit quidem Gothorum in Italia regnum (a. 554), atque Italiae provincias iterum Imperio junxit. Sed brevi post (a. 568) Alboinus Longobardorum rex magnam partem Italiae sibi subjecit, regnumque Longobardorum fundavit; plures tamen provinciae inter quas ducatus Romanus, sub Imperatoris dominio remanserunt. Ex eo vero tempore influxus et auctoritas Pontificis in res civiles adhuc magnopere auctus est. Quum robur Imperii tum externis bellis tum intestinis discordiis magis magisque decresceret, illae provinciae frequenter auxilium sufficiens ab Imperatoribus eorumque exarchis contra Longobardos non obtinuerunt, nec semper potestas Imperatoris par erat, ut eas in obedientia retineret. Hinc necessario auctoritas et influxus Pontificis in res civiles admodum crevit. In eo enim jam unicum refugium tutum Italis videbatur inesse, et vel ipsis exarchis ejus auxilio et sub-

Gothi et Longobardi.

[1]) Opp. T. I. Ep. IX. 2.

sidio opus erat. Opibus suis Romanaeque ecclesiae frequenter Pontifices expensis multiplicibus subvenire debebant: passim monitis suis rebellionem oppositionemve Italorum contra Orientales sedare; modo curam suam impendere, ut munirentur arces et civitates contra barbaros, vel ut barbarorum agressio repelleretur; modo etiam pacem et pacta conciliare inter Italos et Longobardos, qui Pontificum dignitatem multo plus reverebantur quam exarcharum potestatem.

Gregorii M. auctoritas.

11. Tanti fuerunt in ejusmodi gestis Gregorii M. labores, tantaque auctoritate et sollicitudine in reipublicae negotia sese miscere coactus est, ut jam inde principatui cuidam civili influxus ille Pontificis similis esset. Plurima hujus laboris in Gregorii epistolis sunt testimonia. Jam in sua ad Joannem CPtanum synodica: *Hoc in loco* (Romae) *quisquis pastor dicitur, curis exterioribus graviter occupatur, ita ut saepe incertum fiat, utrum Pastoris officium, an terreni proceris agat*[1]). Maxime ex Longobardorum periculis ista negotia provenire significat, scribens Joanni exconsuli: *Sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Longobardorum episcopus factus sum, quorum sinthiciae spathae sunt, et gratia poena. . . Gemo quotidie occupationibus pressus, et respirare non valeo*[2]). Ac juste quum Constantinae Imperatrici scriberet petens, ut retunderet superbiam Joannis CPtani titulum patriarchae oecumenici sibi arrogantis, sua et ecclesiae Romanae in tuenda dominatione Imperatorum commemorat merita scribens: *Viginti autem jam et septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Longobardorum gladios vivimus. Quibus quam multa hac ab ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennae partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiae sacellarium* (i. e. sacellarii seu aerarii dispensatorem) *habet, qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita et in hac urbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamen haec ecclesia, quae uno eo-*

[1]) Epp. L. I. Ep. 24. [2]) Ib. Ep. 30.

demque tempore clericis, monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, ecce adhuc ex omnium ecclesiarum premitur afflictione, quae de hac unius hominis superbia multum gemunt, etsi nihil dicere praesumunt[1]). Eodem tempore scribebat Sebastiano episcopo Rhiziniensi: *Uno tempore curam episcoporum atque clericorum, monasteriorum quoque et populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cujus laboris, cujus doloris sit, vestra fraternitas tanto verius penset, quanto me qui haec patior purius amat*[2]).

12. Quum deesset passim exarcharum sollicitudo, ipse Gregorius curabat cum auctoritate, ut civitates contra Longobardos defenderentur. Scripsit enim clero, ordini et plebi Nepiensi, Leontium a se ad eos mitti, qui eorum civitatem curaret regeretque; si quid in eum contumacia vel contemptu peccaretur, id in se et in Apostolicam Sedem redundaturum. *Leontio huic viro clarissimo praesentium portitori, curam sollicitudinemque civitatis injunximus, ut in cunctis invigilans quae ad utilitatem vestram vel reipublicae pertinere dignoscet, ipse disponat. . . Ideoque dilectionem vestram scriptis praesentibus admonemus, quatenus ei exhibere obedientiam in omnibus debeatis. . . Quisquis congruae ejus ordinationi restiterit, nostrae resultare dispositioni cognoscetur*[3]). — Constantium tribunum misit qui regeret et defenderet Neapolim, nec multo post militibus gratulatus est litteris, quod tam expediti et alacres tribuno obtemperassent. *Sicut et nunc devotionem vestram fecisse didicimus, quae epistolis nostris, quibus magnificum virum Constantium tribunum custodiae civitatis deputavimus praeesse, paruit, et congruam militaris devotionis obedientiam demonstravit*[4]). — Quod ad murorum vero custodiam spectat dum bellum et necessitas urgerent, eam episcopis diligentissime commendavit Gregorius, noluitque, ut aliquis immunitates et privilegia ecclesiae praetexeret. *Quia vero comperimus,*

---

[1]) L. III. ep. 34. [2]) Ibid. ep. 35.
[3]) Epp. L. II. ep. 8. [4]) L. XII. ep. 24.

scribit, *multos se a murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra sollicita, ut nullum neque per nostrum neque per ecclesiae nomen, aut quolibet alio modo defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur*[1]). Id ipsum commendat episcopo Calaritano. *Murorum vigilias*, scribit, *et sollicitudinem in locis facite omnibus adhiberi. Et confidimus in redemptoris nostri potentia, quia adversariorum nobis incursus vel insidiae denuo non nocebunt*[2]). Jussit et communiri urbes, et in eas invehi copias abundantes. *Longobardorum rex*, scribit eidem, *pacem non faciet. Ideo necesse est, ut fraternitas vestra, dum licet, civitatem suam vel alia loca muniri provideat, atque immineat ut abundanter in eis condita procurentur, quatenus hostis non inveniat quod laedat, sed confusus abscedat*[3]).

13. Sed haec sufficiunt ut pateat, maximum fuisse ea aetate Romani Pontificis in res civiles Italiae influxum atque auctoritatem, meritoque reponi in hoc influxu principatus ejus civilis principium quoddam et fundamentum. Saeculo enim septimo, octavoque ineunte res in eodem statu permanserunt. Imo magis quoque Itali Romanum Pontificem considerarunt ut protectorem praecipuum, qui consiliis, opibus, auxiliis quantum poterat praesto erat, quum ab Imperatoribus frequenter derelinquerentur. Jam vidimus, ita ei addictos fuisse cives Italiae et milites, ut contra impios etiam quorumdam Imperatorum conatus eum defenderent. Nec necessarium est iterum commemorare ea, quae sub Gregorio II acciderunt. Sed qualis fuerit post irruptionem Longobardorum status politicus Italiae, breviter hic exponere convenit.

Longobardorum dominatio.

14. *Regnum Longobardorum* in Italia vastissimum erat, quum praeter Italiam septemtrionalem etiam in media ac meridionali Italia varias regiones occupassent. Totum regnum quidem sub rege erat constitutum, qui sedem habebat Ticini (Papiae), at duces triginta sex varios ducatus suos gubernabant instar feudorum independanti fere auc-

---

[1]) L. VII. Ind. I. ep. 20. [2]) L. VII. Ind. II. ep. 2.

[3]) Ibid ep. 5. Cfr. haec citata ap. Thomassin. P. III. L. I. c. 27.

toritate, et jure haereditario pro familiis suis. Inter istos ducatus majores erant Forum Julii, Spoletum et Beneventum, et praecipue duces Spoletanus ac Beneventanus passim regibus resistebant et autonomiam sibi vindicabant. Frequenter etiam inter varios duces dissensiones erant et bella, suasque possessiones singuli quantum poterant dilatare studebant, Italis seu Imperio Orientis oppida ac territoria eripientes. Maxima quidem parte a Longobardis Italia expugnata fuit, attamen ab eorum jugo liberi permanserunt Imperioque addicti exarchatus Ravennatensis cum Pentapoli, ducatus Romanus, Venetiarum territoria, et Italiae meridionalis plures provinciae.

15. Longobardi, qui quum in Italiam irrumperent gens erant admodum barbara, per plures annos caedibus atque rapinis quas expugnabant regiones vastaverunt. Paulatim quidem aliquantisper coeperunt mansuescere, moribus tamen ab Italis semper alieni remanserunt, nec unquam Itali et Longobardi victores ita commixti sunt, ut unam veluti nationem formarent. Italorum animi a Longobardis penitus alieni erant, et nonnisi invite dominationem et jugum eorum ferebant. Per aliquot decennia religione quoque Longobardi, quum Ariani essent, ab Italis discriminabantur, sed etiam postquam opera praesertim Theodolindae reginae ineunte saeculo septimo maxima pars catholicam fidem suscepit, separatio ab indigenis Italiae incolis perduravit. Id praecipue inde provenit, quod sub respectu civili atque politico Longobardorum natio sibi soli dominium et gubernationem retinuit, Italosque ut subjectos habuit. Initio invasionis barbarorum, uti diximus, ingens strages et oppressio Italorum accidit[1], dein vero Italis exosa.

[1]) Paulus diaconus postquam enarravit mortem Alboini et Clephi qui paucis annis regnarunt, refert dein interregnum decem annorum fuisse sub solis ducibus, ac de isto tempore scribit: „His diebus multi nobilium Romanorum ob cupiditatem ducum interfecti sunt, reliqui vero per hospites divisi, ut tertiam partem suarum frugum Longobardis persolverent, tributarii efficiuntur. Per hos Longobardorum duces septimo anno ab adventu Albuin et totius gentis, spoliatis ecclesiis, sacerdotibus interfectis, civitatibus subrutis, populis qui more segetum excreverant

quum jam debuissent tanquam aequales Italos, ut sibi eos devincirent, tractare, eos in servitutem quamdam tributariam redegere.

Dominatio dura.

16. Latinis victis Longobardi nullam gubernii participationem concessere; atque ex omnibus muneribus publicis tum militaribus tum civilibus hi exclusi erant. Legis Romanae usus abolitus fuit, et leges Longobardorum, Latinis non consultis, constitutae sunt. Quoad ferendas leges enim tota auctoritas erat apud regem ducesque, cum assensu *gentis nostrae Longobardorum et felicissimi nostri exercitus*, uti in prooemio legum illarum dicitur. Etiam militiam exercere Latinis interdictum erat, ita ut ipsis tantum relinqueretur colere terras, atque artes mechanicas vel opera servilia exercere. Imo vel inter ipsos servos, gradu inferiori per leges reputabantur Latini; sic e. g. lege 194[a] Rotharis regis imponitur mulcta viginti solidorum ei qui violarit alterius servam, si fuerit ipsa ex Longobardorum gente, mulcta vero solidorum duodecim tantum, si fuerit ipsa Romana. Quamvis vero decursu temporis in ejusmodi subjectione quaedam temperamenta obvenirent, et clerici liberis Longobardis aequiparentur, tamen universim illud systema politicum toto tempore dominationis suae Longobardi secuti sunt, et Italos subjectos in servitute tributaria retinuerunt. Hinc quamvis duobus saeculis nationes istae viverent junctae, tamen nulla amicitiae et affectionis connexio inter eas oborta est, eaque fere relatio inter ipsas erat, qualis nostra aetate est inter Turcas dominantes et Christianos ipsis subjectos.

17. Quae quum ita sese haberent, facile intelligitur, provincias illas Italiae, quae Longobardis non erant subjectae, horum jugum et dominationem vehementer reformidasse. Eo major autem aversio erat a gente *barbara, nefanda, putida* Longobardorum, quod hi satis aperte ostenderent, id ipsis propositum esse, ut totam Italiam sibi subjicerent. Passim etiam Longobardi in istas provincias,

---

exstinctis, exceptis his regionibus quas Albuin ceperat, Italia ex maxima parte capta et subjugata est." Hist. Long. II. c. 32.

vel ut eas submitterent vel ut vindictam sumerent, irruperunt, stragibusque barbaris agros et civitates replevere[1]). Unde hostili quadam separatione duae nationes divisae remanserunt; Latinorum vero ex parte majorem fuisse aversionem tum ex documentis historicis colligitur, tum ex rerum natura, eo quod hi Longobardos ut invasores duros et abhorrendos haberent. Et quemadmodum summa erat Romanorum anxietas et sollicitudo, ne ipsi etiam sub dominationem illius gentis ferocis redigerentur, ita negari nequit jus ipsis fuisse, ut suae incolumitati et independentiae providerent, et quando Imperatores Graeci suo officio deerant, alio Romani se verterent.

18. Imperatores orientales gubernabant provincias Italiae sibi subjectas per *exarchas* qui Ravennae residebant. Primus exarcharum fuit Longinus, quem anno 568 Justinus II misit, ut contra Longobardos Italia defenderetur. Illis exarchis pro Italiae provincia summa erat auctoritas, tum quoad res civiles tum quoad rem militarem. Ipsi in Pentapoli, Romae, Neapoli aliisque in civitatibus Imperatori subjectis magistratum supremum sub titulo *ducis* constituebant, et provinciam contra hostes Longobardos custodire ac defendere eis commissum erat. Poterant ab Imperatore revocari, eique quotannis determinatam pecuniae summam ex Italiae tributis mittebant; caeterum absolutam fere habebant in Italia auctoritatem[2]).

Exarchae Italiae.

---

[1]) Ita Paulus Diaconus de Grimoaldo rege, qui ut vindictam sumeret de Romanis in ducatum istum irrupit, et sabbato sancto civitatem Forlimpopoli destruxit: „Super civitatem . . . inopinate irruit, tantamque occisorum stragem fecit, ut etiam diaconos ipsos qui infantulos baptizabant in ipso sacro fonte perimeret. Sicque eamdem urbem dejecit, ut usque hodie paucissimi in ea commaneant habitatores.“ Lib. V. c. 27.

[2]) Utile erit haec advertere ex Gosselin, Souveraineté des Papes L. I. ch. 1 (Edit. Louv. t. 1. p. 201 note): Pour ce qui regarde la dénomination et la position géographique des provinces soumises à la juridiction de l'exarque d'Italie, il est important à remarquer, que le mot *exarchat*, depuis l'établissement du royaume des Lombards, et pendant toute sa durée se prend en deux sens différents dans les anciens auteurs. Dans le sens le plus étendu, il désigne toutes les provinces d'Italie alors soumises à la domination impériale, c'est à dire principalement la Vénétie, une partie des côtes de la Ligurie, la partie

Romani infensi.

19. Sed exarchae illi frequenter non sufficiebant tuendae Italiae contra Longobardos, et jam vidimus Romanos Pontifices consilio, auxilio, opibus permagnam partem ista in re habuisse, indeque etiam auctoritatem acquisivisse maximam et saluberrimam in res civiles. Praeterea vero exarchae non raro Romanos ac Pontificem varie vexabant, vel ut sibi congererent thesauros, vel ut Imperatoribus obsequerentur. Imperatores enim inde a temporibus Monotheletismi saepe se Romanis ac Pontificibus ostenderunt infensos, et vexationes quae postea versus finem saeculi septimi, ac dein ab Imperatoribus Iconoclastis saeculo octavo peractae sunt, jam commemoravimus. Inde factum est, ut Italorum animi ab Orientalibus magis magisque abalienarentur; Romanum autem Pontificem Itali venerabantur ut eum qui de eorum salute maxime sollicitus erat, atque etiam contra injustos Imperatorum et exarcharum ausus eum tuiti sunt. Quum Leo Isaurus bellum contra sacras imagines suscepisset, vehementior in Italia perturbatio orta est. Variae civitates Italiae impiis Leonis mandatis resi-

---

orientale de l'ancienne Emilie, la Flaminie, la partie occidentale de l'ancien Picénum, et le duché de Rome; dans un sens moins étendu le mot *d'exarchat* désigne seulement la partie orientale de l'ancienne Emilie et la Flaminie; ce qui répond à peu près à la Romagne actuelle. Dans ce dernier sens *l'exarchat* est distingué de la *Pentapole* et du *Duché de Rome*. La *Pentapole* répond à peu près à la partie occidentale de l'ancien Picénum; c'est ce qu' on apelle aujourd' hui le duché d'Urbin et partie de la Marche d'Ancône. Le *Duché de Rome* renferme une partie de l'Etrurie ou de la Toscane, avec la Sabine, une partie de l'Ombrie, et la Campanie, ce qui répond à peu près à ce qu'on appelle aujourd'hui le patrimoine de St. Pierre, avec partie de l'Ombrie et la Compagne de Rome." — Ad Pentapolim quod spectat, dicit P. Balan, Storia d'Italia Vol. II. p. 75 nota 2: „Le Pentapoli erano due che unite chiamavansi le Decapoli. Una Pentapoli, la marittima, conquistata da Luitprando, conteneva Pesaro, Fano, Sinigaglia, Ancona, Umana, forse Rimini, perché il numero variò: la mediterranea, forse oltre Osimo avuto da Luitprando, conteneva Jesi, Cagli, Gubbio, Fossombrone, Urbino." — Ad Venetiam quod attinet, ea territorii pars quae in terra continenti sita erat, a Longobardis occupata fuit: pars vero insulis constans vel mari adjacens propriis legibus regebatur modo fere independenti, etsi nominetenus ab Imperatore Cptano dependeret. V. Brunengo, Le origini etc. p. 219, nota 1.

stentes, exinde jam non ab exarcha suos duces receperunt, sed ipsi elegerunt, quamvis adhuc sub dominatione Imperii remanerent. Ita etiam Romae, quum exarcha Paulus et dux imperialis Basilius insidias struxissent vitae Gregorii II, factum est, ut Basilio rejecto et in monasterium detruso, jam Romani sibi ducem ex eo tempore ipsi eligerent. Brevi post vero, quum Petrus dux a Romanis electus accusaretur quod contra Pontificem Imperatori scripsisset, Romani etiam hunc ducem exturbarunt e munere suo[1]).

20. Luitprandus, inde ab a. 712 Longobardorum rex, qui consilium ceperat totam Italiam sibi subjiciendi, illis motibus, uti jam praecedente Dissertatione diximus, usus est, ut exarchatum aggrederetur, atque a. 727 Ravennam aliaque oppida expugnavit. Brevi post tamen, quum Veneti Gregorii II hortatu imperialibus auxilio venissent, rex Ravenna ejectus est. At quum Leo Isaurus bellum contra sacras imagines continuaret, perturbatio in Italia non cessavit, sed etiam aucta est. *Igitur dissensione facta in partibus Ravennae,* ita in Vita Gregorii II, *alii consentientes impietati Imperatoris, alii cum Pontifice et fidelibus se tenentes, intra eos contentione mota, Paulum patricium occiderunt*[2]). Longobardi quoque continuaverunt infestare varias Italiae regiones, et jam vidimus, eo tempore etiam Sutrium ab eis captum, sed post aliquot menses Romano Pontifici ab ipsis concessum fuisse[3]). Post mortem Pauli

Luitprandus rex.

---

[1]) V. Anastasii Vitam Gregorii II.

[2]) Auctores aliqui uti Kellner, (Rohrbacher K. G. B. XI. S. 141), censent, post mortem Pauli exarchi Ravennam a Luitprando captam esse, sed plerique auctores tradunt, civitatem hanc captam a Longobardis, hosque mox ejectos esse, Paulo adhuc exarcho. V. Balan, Storia d'Italia Tom. II. L. XIII. n. X.

[3]) Haud a Luitprando rege ac Longobardis Italiae superioris, sed a Longobardis Spoletanis (mediae Italiae) Sutrium captum et postea Gregorio II concessum esse, animadvertit Kellner l. c. Sed Luitprando id adscribunt gravissimi auctores, uti Balan (l. c. n. VII) et Brunengo (Origini p. 50), atque in *Vita Gregorii II* dicitur: „Eodem tempore per XI Indictionem (inde a Septembre a. 727 ad Septembrem a. 728) dolo a Longobardis pervasum est Sutriense castellum, quod per 140 (al. 40) dies ab eisdem Longobardis possessum est. Sed Pontificis mul-

exarchae munus illud obtinuit Eutychius, qui jam antea eodem functus erat. Quamvis vero Pontifex operam dedisset, ut Imperatoris auctoritatem tueretur et ei contra Longobardos subveniret, tamen etiam Eutychius, vir callidus, ei insidiari non destitit. Artibus suis eo pervenit, ut ad debellandum Gregorium II ipsos Longobardos sibi sociaret. In animo habuisse videtur exarcha, ut Imperatoris auctoritatem plenius in Urbe restitueret, et Pontificem Romanosque cogeret ad mandata Imperatoris contra sacras imagines exequenda.

Eutychius exarcha. 21. Qua de re auctor Vitae Gregorii II apud Anastasium: *Eo vero tempore* (a. 729) *Eutychius Patricius et Luitprandus rex inierunt consilium nefarium, ut congregatis exercitibus rex subjiceret duces Spoletanum et Beneventanum*[1]*), et exarchus Romam, et quae pridem de Pontificis persona jussus fuerat impleret. Qui rex Spoletum veniens, susceptis ab utrisque ducibus sacramentis atque obsidibus, cum tota sua cohorte in Neronis campum secessit. Ad quem egressus Pontifex eique praesentatus studuit, ut potuit, regis mollire animum commonitione pia, ita ut se prosterneret ejus pedibus et promitteret se nulli inferre laesionem; atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut quae fuerat indutus arma exueret, et ante corpus Apostoli poneret, mantum, armillausiam, balteum, spatham, atque ensem deauratum, necnon coronam auream, et crucem argenteam. Post orationem factam obsecravit Pontificem, ut memoratum exarchum ad pacis concordiam suscipere dignaretur, quod et factum est.* — Exinde per aliquot annos tum a Longobardorum infestatione Romani liberati sunt, tum ab Eutychii vexatione. Sed Leo Isaurus continuavit bellum contra sacras imagines, et brevi post etiam Romanae ecclesiae amplissima patrimonia in Italia meridionali ac Sicilia eri-

---

tis continuis scriptis atque commonitionibus ad regem missis, quamvis multis datis muneribus saltem omnibus suis nudatum opibus castrum, donationem beatissimis Apostolis Petro et Paulo antefatam emittens, *Longobardorum rex* restituit atque donavit." Rem in ancipiti relinquimus.

[1]) Isti duces se fere independentes a rege reddiderant.

puit[1]), ac dioeceses harum regionum atque Illyrici juribus patriarchalibus Pontificis subtraxit.

Discrimina sub Gregorio III

22. Post decennium porro Luitprandus Longobardorum rex iterum summa discrimina Romanis ac Gregorio III Pontifici paravit. Versus annum 738 videlicet ipse denuo animum suum eo vertit, ut Graecorum provincias ac ditionem Romanam suo jungeret regno. Ravennatum regionem devastatus est, atque a ducibus feudatariis Trasimundo Spoletano et Godescalco Beneventano postulavit, ut ipsi ducatum Romanum invaderent. Iniverant autem duces illi foedera amica cum Pontifice atque Romanis. Quamvis enim feudatarii essent regis, territoria tamen sua haereditario jure possidebant, et independentiam magnam temporum decursu acquisierant; eoque dixeris spectasse illa cum Romanis foedera, ut se mutuo contra Luitprandi dominandi cupidinem tuerentur. Declinarunt igitur duces Spoletanus et Beneventanus obsequi regis mandato injusto. Is propterea rebellionis eos accusavit, et sequenti anno 739 non solum incursiones in territorium Ravennatum prosecutus est, ibique praecipue patrimonia ecclesiae Romanae devastavit, sed et ducatum Spoletanum valido cum exercitu adortus est[2]). Trasimundus dux, quum persentiret se regi resistere non posse, fuga arrepta Romam se contulit. Luitprandus vero mense Junio anni 739 Spoletum occupavit, ac deposito Trasimundo constituit ducem Hildericum. Paucis post diebus exercitum duxit versus

---

[1]) Proventus horum patrimoniorum erant auri talentorum trium cum dimidio (fere 500,000 francorum). Retinuerunt ista patrimonia Graeci, etiam post exstinctam Iconoclastarum haeresim, etsi Hadrianus I ac dein Nicolaus I restitutionem enixe postularent. Nonnisi post ejectos ex istis regionibus Graecos et Saracenos, sub Normannis, patrimonia haec aetate Nicolai II (a. 1059) Sedes Romana recuperavit. Cfr. Brunengo, Origini p. 61.

[2]) Hanc fuisse belli origenem, colligitur ex epistola secunda Gregorii III ad Carolum Martellum, in qua Pontifex inter alia scribit: „Non credas, fili, falsidicis suggestionibus ac suasionibus eorumdem regum. (Luitprandi et Hildebrandi ejus nepotis, quem Luitprandus sibi in regno sociaverat.) Omnia enim false tibi suggerunt, scribentes circumventiones: quod quasi aliquam culpam commissam habeant eis eorum duces, id est

7*

ducatum Romanum, atque a Romanis postulavit, ut Trasimundus dux ipsi traderetur. Quod quum illi facere recusassent, Luitprandus bellum contra Romanos prosecutus, quatuor castella ducatus Romani, Ameriam, Hortas, Polimartium et Bleram occupavit Romamque obsedit[1]).

Auxilium petitur a Carolo Martello.

23. Istis igitur in adjunctis Gregorius III, quum repellendis hostibus Longobardis se imparem persentiret et omni spe accipiendi auxilii ab Imperatore Orientis destitutus esset, e votis procerum Romanorum esse ad Francos vertit eorumque opem imploravit. Jam inde ab initio motuum illorum Anastasium episcopum et Sergium presbyterum solemni legatione misit ad Carolum Martellum, qui tunc qua praefectus palatii seu Majordomus Francorum res moderabatur, et ob devictos maxime Saracenos (a. 732) ad culmen gloriae ac potestatis pervenerat. Eum obtestafus est etiam litteris adjunctis, ut Ecclesiae et Urbi opem terret. Carolus quidem legationem magno cum honore

---

Spolentinus et Beneventanus. Sed omnia mendacia sunt. Non enim pro alio, — satisfaciat te veritas, fili, — eosdem duces persequitur capitulo, nisi pro eo, quod noluerunt praeterito anno de suis partibus super nos inruere et, sicut illi fecerunt, res sanctorum apostolorum destruere et peculiarem populum depraedare; ita dicentes ipsi duces: *Quia contra ecclesiam sanctam Dei ejusque populum peculiarem non exercitamus; quoniam et pactum cum eis habemus, et ex ipsa ecclesia fidem accepimus.* Ideoque mucro eorum desaevit contra eos. Nam ipsi praedicti duces parati fuerunt et sunt, secundum antiquam consuetudinem eis obedire. Sed illi, retinentes iram pro eo quod superius diximus, per exquisitam occasionem volentes illos et nos destruere et invadere, ideo utrosque persequentes, vestrae bonitati suggerunt falsa: ut et duces illos nobilissimos degradent, et suos ibidem pravos ordinent duces, et multo amplius quotidie ex omni parte Dei ecclesiam expugnent, et res beati Petri principis apostolorum dissipent atque populum peculiarem captivent.“ V. Codex Carolinus ep. 2. Edit. Jaffé. p. 15. — Cfr. Brunengo Le Origini etc. pp. 67 sqq.; Balan Storia d'Italia, Vol II. L. XIII. n. XIV; Rohrbacher-Keller, B. XI. S. 176 ff.

[1]) V. Anast. in Vita Zachariae R. P. „Dum a praedecessore ejus beatae memoriae Gregorio Papa, atque ab Stephano quondam patricio et duce, vel omni exercitu Romano praedictus Trasimundus redditus non fuisset, obsessione facta pro eo ab eodem rege ablatae sunt a Romano ducatu civitates quatuor, id est Ameria, Hortas, Polimartium et Blera.“

recepit, atque Grimonem Abbatem Corbeiensem et Sigebertum monachum S. Dionysii aliosque cum magnificis muneribus votivis Romam misit. Attamen auxilia Pontifici non praestitit. Hinc brevi post, mense Majo anni 729, hic novam epistolam[1]) scripsit ad Carolum, qua enixius ejus auxilium contra Longobardos efflagitat, *confidentes*, inquit, *te esse amatorem filium beati Petri principis Apostolorum, et quod pro ejus reverentia nostris obedias mandatis ad defendendam ecclesiam Dei et peculiarem populum. Quia jam persecutionem et oppressionem gentis Longobardorum sufferre non possumus.* Nec multo post, quum ad extrema a Longobardis Romam obsidentibus redigeretur, Gregorius denuo Carolum Martellum data epistola[2]) redarguit monuitque, ne tardaret auxilium Romanis praestare. *Conjuro* te, scribit, *in Deum vivum et verum et ipsas sacratissimas claves confessionis beati Petri quas vobis ad rogum direximus, ut non proponas amicitiam regum Longobardorum amori principis Apostolorum, sed velocius et sub nimia festinatione sentiamus post Deum tuam consolationem et nostram defensionem*[3]).

24. Sed Carolus Martellus eo tempore amicitia junctus erat Luitprando, indeque factum esse videtur, ut armis Pontifici non subveniret. Attamen dixeris, amica interventione eum obtinuisse, ut ab obsidenda Roma Lon- Caroli interventio.

---

[1]) Haec in Codice Carolino prima est. Sed jam praecessisse aliam, quam cum legatis missam supponimus, colligitur ex istis epistolae verbis: „Ob nimium dolorem cordis et lacrimas *iterata vice* tuae excellentiae necessarium duximus scribendum."

[2]) Cod. Carol. ep. 2. ed. Jaffé, p. 15.

[3]) L. c. p. 17. — *Ad rogum*, i. e. ad petitionem miserat Gregorius Carolo claves arte factas de confessione B. Petri, in pignus protectionis principis Apostolorum. Iste usus jam antiquus erat, uti ex epistolis Gregorii M. colligitur. Ita e. g. in epistola ad Recaredum regem Visigothorum (L. VII. ep. 128) Gregorius M. scribit: „Clavem vero parvulam a sacratissimo B. Petri Apostoli corpore vobis pro ejus benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat."

gobardorum rex desisteret Solvit enim obsessionem rex[1]), et ad sua reversus est, atque auctumno anni 739 Carolo Martello auxilio venit contra Saracenos, qui denuo Galliam invadebant. — Carolus M. sane in suo testamento seu in *Charta de divisione regnorum* avum suum Carolum Martellum asserit curam suscepisse Ecclesiae, dicens: *Super omnia autem jubemus atque praecipimus, ut ipsi tres fratres* (Carolus, Pipinus, Ludovicus) *curam et defensionem Ecclesiae sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo et beatae memoriae genitore nostro Pipino rege, et a nobis postea suscepta est, ut eam cum Dei adjutorio ab hostibus defendere nitantur, et justitiam suam, quantum ad ipsos pertinet et ratio postulaverit, habere faciant*[2]).

25. Plures auctores cum Pagio[3]) ex aliquot verbis obscuris Continuatoris Fredegarii deducunt, a Gregorio III Carolo Martello etiam patriciatum seu consulatum Romanum oblatum fuisse; sed falso id videtur supponi. Continuator Fredegarii videlicet cap. 110, commemorata legatione Gregorii ad Carolum Martellum, subdit: *Eo pacto patrato, ut a partibus Imperatoris recederet, et Romanum consulatum praefato principi Carolo* (Papa Gregorius) *sanciret.* — Sed varii Codices loco *consulatum* habent *consultum,* atque Aimonus frequenter ad verbum exscribens Fredegarii Chronicum pariter dicit: *Ac Romanum consultum praefatus princeps Carolus sanciret.* — Parallelum vero textum invenimus in *Annalibus Metensibus*[4]) et in *Annalibus veteribus Francorum,* seu *Chronico Moissiacensi.* In hoc habetur: *Epistolam quoque et decreta Romanorum principum praedictus Papa Gregorius cum legatione, etiam munera misit. Quo pacto patrato sese populus Romanus, relicto Imperatore Graecorum et dominatione, ad praedicti*

[1]) Anastasius in Vita Zachariae: „Isdem rex, scribit, ad palatium suum (Ticini) est reversus per mensem Augustum indictione septima (a. 739).“

[2]) Charta de divisione regnorum art. 15. V. Pertz, Monum. G. h. Legg. I. 141.

[3]) V. Baronii Annales a. 741. n. 18 et Pagii Criticam ad a. 741 nn. 4 sqq.

[4]) Annales Metenses ad a. 741. Pertz. Mon. G. I. 326

principis defensionem et invictam ejus clementiam convertere cum voluisset, ipse vero his omnibus cum gaudio et gratiarum actione Domino repensis, ipsam legationem cum magnis muneribus Romam remisit[1]). Romani scilicet senatus consulto, juxta hos auctores, obtulerunt, ut sub certis conditionibus, dimissa dominatione Graecorum, a quibus nulla spes auxilii effulgebat, Carolum ut defensorem suum agnoscerent. Sed ista pro tempore effectum non habuerunt, et subsequentibus annis Romani adhuc supremam dominationem Imperatoris orientalis agnoverunt. Potestas tamen immediata jam tunc erat penes rempublicam Romanam summumque Pontificem, qui praecipue auctoritate sua Romae atque in ducatu Romano res moderabatur.

26. *S. Zacharias* anno 741 Gregorii III in pontificatu successor, cum Luitprando ipso tractavit; jam diximus, forte ex quadam pacifica interventione Caroli apud Luitprandum res facilius compositas fuisse. Luitprandus occupatas in ducatu Romano civitates Ameriam, Ortas, Polimartium et Bleram cum earum incolis, necnon patrimonia. scilicet Sabinense, Narniense, Auximanum, Anconitanum, Numatense et Sutrinum Pontifici reddidit. Hac de re Anastasius in Vita S. Zachariae: *Cujus* (Zachariae) *piis eloquiis flexus, et constantiam et admonitionem sancti viri admiratus* (rex), *omnia quaecumque petiit per gratiam sancti Spiritus obtinuit, et praedictas quatuor civitates, quas ipse ante biennium per obsessionem factam pro praedicto Trasimundo duce Spoletino abstulerat, eidem sancto cum eorum habitatoribus redonavit. Quas et per donationem firmavit... Nam et Sabinense patrimonium, quod per annos prope triginta fuerat ablatum, atque Narniense etiam et Auximanum atque Anconitanum, necnon et Numatense, et vallem quae vocatur magna sitam in territorio Sutrino, per donationis titulum ipsi B. Petro Apostolorum principi reconcessit, et pacem cum ducatu Romano ipse rex in viginti confirmavit annos.* — Patrimonia illa maxima parte extra ducatum Romanum sita ipsi ecclesiae Romanae seu Pontifici ut pos-

S. Zacharias. R. P.

[1]) Chronic. Moissiac. ad a. 734. Pertz M. G. I. 292.

sessionis ipsius restituuntur; quatuor autem civitates redduntur ducatui Romano seu reipublicae Romanae, in qua jam Pontifex de facto praecipuum influxum et auctoritatem habebat, quamvis magistratus essent ab ipsis Romanis electi et nominetenus ducatus adhuc ad provinciam Imperii pertineret.

27. Sed brevi post iterum Zacharias influxum suum in regem Luitprandum debuit exercere, ut Eutychium exarcham juvaret. Videlicet anno 743, *dum nimium opprimeret,* scribit Anastasius, *praedictus rex provinciam Ravennatium, fuissetque praeparatus ad motionem faciendam et obsidendam Ravennatium urbem, cognita motione ejusdem regis, Eutychius excellentissimus patricius et exarchus una cum Joanne archiepiscopo ecclesiae Ravennatis atque universo populo praedictae civitatis ac civitatum Pentepolios et Aemiliae, facta in scriptis obsecratione praedicto sancto miserunt viro petentes, ut pro eorum curreret liberatione. Qui sanctus vir missa legatione et muneribus ad obsecrandum eumdem regem per Benedictum episcopum et Vicedominum atque Ambrosium Primicerium notariorum petiit, ut a motione cessaret et Caesenatense Ravennatibus redderet castrum; sed passus non est. Cujus dum duram perseverantiam conspiceret, jam nominatus sanctissimus trophaeo fidei munitus, relicta Romana urbe. . . Stephano Patricio et Duci ad gubernandum, non sicut mercenarius sed sicut vere pastor relictis ovibus ad eas quae periturae erant redimendas occurrit.* — Colligitur ex modo loquendi Anastasii, ducem quidem Romae fuisse, sed ut superiorem habitam auctoritatem Pontificis etiam in rebus civilibus. Ticinum dein ad Luitprandum Zacharias profectus est, et monitis suis iterum regem ad pacem faciendam adduxit. *Qui praedictus rex post multam duritiem inclinatus est fines Ravennatium urbis dilatare, sicut primitus detinebantur. Et duas partes territorii Caesenae castri ad partem reipublicae restituit. Tertiam vero partem de eodem castro sub obtentu retinuit, inito constituto, ut usque ad calendas Junii, dum ejus missi a regia* (Constantinopoli) *reverterentur urbe, idem castrum et tertiam partem quam pignoris causa detinebat parti reipublicae resti-*

tueret. Post haec autem is ipse rex egressus de loco in locum, usque ad Padum eidem sancto viro conviatus eumdem deduxit. In quo loco ei valefaciens cum digna ordinatione eum repedandum absolvit, dans in obsequium ejus duces et primates suos, sed et alios viros, qui saepe dicta Ravennatium territoria et Caesenate castrum redderent; et ita factum est. — Vides ex his, quantopere Pontifex laboraverit, ut Imperatoris dominium subsisteret, et quantum alienus fuerit a dominandi ambitione.

28. Luitprando anno 744 mortuo successit *Hildebrandus,* cui post aliquot menses a proceribus deposito suffectus est *Rachis.* Initio quidem cum hoc rege pax, in viginti annos conclusa, renovata est, sed ruptis pactis anno 749 Rachis Pentapolim maritimam praedabundus invasit. et Perusiam in obsidione tenuit. *Hoc audiens sanctissimus Papa,* scribit Anastasius, *continuo spe divina fretus, assumptis aliquantis ex suo clero cum optimatibus quanto opus, ad eamdem pervenit civitatem, impensisque eidem regi plurimis muneribus atque oppido eum deprecans, opitulante Domino ab obsessione ipsius civitatis eum amovit. Cui et salutifera praedicans, Deo auctore valuit ejus animam in speciali studio inclinare. Et post aliquantos dies isdem Rachis rex relinquens regalem dignitatem, decore cum uxore et filiis ad beati Petri principis Apostolorum conjunxit limina, acceptaque a praefato sanctissimo Papa oratione, clericusque effectus monachico indutus est habitu cum uxore et filiis.* Ita jam quater influxu suo morali Romanus Pontifex Italos Longobardis nondum subjectos ab horum dominatione servaverat, atque non decepti sunt qui in ipso unicam constituerant spem. Auctoritas Sedis Apostolicae ad summum pervenerat fastigium, imperialis vero auctoritatis umbra tantum supererat. quodque nondum penitus periisset. unice Romano Pontifici debebatur.

Rachis rex Longobard.

29. In regno Longobardorum successit Rachisio a. 750 *Aistulphus,* qui mox armata manu exarchatum Ravennatensem invasit. Eutychius, qui fuit exarcharum Ravennae ultimus, regi resistere non valens confugit Neapolim. Aistulphus tum exarchatum tum alia territoria mediae Italiae

Aistulphus.

Imperio subjecta annis 751 et 752 occupavit, atque dominationem Imperatoris Graeci in illis partibus penitus exstinxit. Inde ab anno 752 igitur *de facto* omnimoda independentia Romani Pontificis ac Romanorum ab Imperatore Orientis exstitit. Unde etiam principatus civilis Romanorum Pontificum ab hoc anno omnino perfectus reputari potest: brevi post firmatus et ampliatus est. — Arma sua dein Aistulphus vertit ad expugnandum quoque ducatum Romanum. Stephanus II Pontifex, S. Zachariae successor, legatione ac muneribus regem placare tentavit, atque etiam obtinuit, ut pax in quadraginta annos concluderetur. Sed mox foedera rupta sunt. *Protervus Longobardorum rex,* scribit Anastasius[1]), *antiqui hostis invasus versutia, ipsa foedera pacis post paene quatuor menses in perjurii incidens reatum disrupit. Multas jam fato sanctissimo viro vel cuncto populo Romano ingerens contumelias, varias illi minas dirigebat. Cupiens quippe, Deo sibi contrario, cunctam hanc provinciam invadere, onerosum tributum hujus Romanae urbis inhabitantibus adhibere nitebatur. Per unumquodque scilicet caput singulos auri solidos annue inferre inhiabat. Et suae jurisdictioni civitatem hanc Romanam vel subjacentia ei contra subdere indignanter asserebat.* Variis legationibus Stephanus Aistulphum demulcire studuit, sed cum contemptu ac minis rex legatos dimisit.

Stephanus II. R. P.

30. Pontifex igitur in his angustiis positus, ab Imperatore instanter auxilium postulavit. *Tunc praefatus sanctissimus vir,* ait Anastasius, *agnito maligni regis consilio, misit in regiam urbem Constantinopolim suos missos et apostolicos effatus, ... deprecans Imperialem clementiam, ut juxta quod ei saepius scripserat, cum exercitu ad tuendas has Italiae partes modis omnibus adveniret, et de iniquitatis filii morsibus Romanam hanc urbem vel cunctam Italiae provinciam liberaret.* Nullatenus proinde Stephanus nisus est eo deducere res, ut Imperator dominium suum in Italiam penitus perderet, imo ut illud tueretur atque firmaret ab eo petiit. Sed Constantinus Copronymus, bello contra sa-

[1]) Vita Pontif. sub Stephano II.

eras imagines gerendo eo tempore maxime intentus, nihil fecit, ut Longobardos reprimeret. Haud aliud igitur reliquum erat Pontifici atque Romanis, nisi ut vel invisae illius gentis jugum durum subirent, vel se verterent alio ut auxilium invenirent. Jam vero nemo sanae mentis contenderit, haud potuisse Pontificem in illa necessitate ad Francos confugere, imo sapientissimum fuisse consilium inde opem subsidiumque petendi, facile quisque admittet[1]). *Itaque dum isdem sanctissimus vir,* ita Anastasius, *jam fatum pestiferum Longobardorum regem immensis vicibus innumerabilia tribuens munera deprecaretur pro gregibus sibi a Deo commissis et perditis ovibus, scilicet pro universo exercitu Ravennae atque cuncto istius Italiae provinciae populo, quos diabolica fraude ipse impius deceperat rex et possidebat; et dum ab eo hac de re nihil obtineret, cernens praesertim et ab Imperiali potentia nullum esse subveniendi auxilium, tunc quemadmodum praedecessores ejus beatae memoriae, Domnus Gregorius et Gregorius alius, et Domnus Zacharias, beatissimi Pontifices, Carolo excellentissimae memoriae regi Francorum direxerunt, petentes sibi subveniri propter oppressiones ac invasiones, quas et ipsi in hac Romanorum provincia a nefanda Longobardorum gente perpessi sunt: ita modo et ipse venerabilis Pater, divina gratia inspirante, clam per quemdam peregrinum suas misit litteras Pipino regi Francorum, nimio dolore huic provinciae inhaerente conscriptas.* Pipini petit anxilium.

31. Pipinus Pontifici auxilium promisit eumque ut in Galliam veniret invitavit. Stephanus igitur, quamvis infirmis esset viribus et jam ad finem vergeret annus, mediante Octobri anni 753 ad iter sese adcinxit, et comiti-

---

[1]) Jam tempore Benedicti I Pontificis (568) Justinus II Imperator Romanos monuit, ut propriis se defenderent viribus, aliquos duces Longobardorum sibi conciliarent, vel Francos eo adducerent, ut Italiam aggredientes ipsis auxilium praestarent. V. Menandri excerpta p 327 ed. Bonn. — Pelagius II (577) vero in epistola ad Gregorium diaconum, Constantinopoli apocrisiarium, instanter petit, ut subsidia Imperator mittat. „In omni sumus, scribit, angustia destituti, quia maxime partes Romanae omni praesidio vacuatae videntur. Et exarchus scribit, nullum posse remedium facere, quippe qui nec ad illas partes custodiendas se testatur posse sufficere." Labbé, V. 938.

bus pluribus episcopis, clericis, proceribus, Româ profectus est. Priusquam tamen ad Galliae fines progrederetur, Papiam conversus intrepide adivit regem Aistulphum. *Conjungente vero eo Papiam in civitatem,* scribit Anastasius, *et praedicto nefando regi praesentato, plura illi tribuit munera, et nimis eum obsecratus est, ut dominicas quas abstulerat redderet oves, et propria propriis restitueret. Sed nullo modo haec apud eum impetrare valuit. Nam et Imperialis missus simili modo petiit, et Imperiales litteras ei tribuit, et nil obtinere potuit.* — Aegerrime autem rex tulit, quod Stephanus in Galliam proficisci vellet, eumque ab hoc proposito frustra removere conatus est. Sed quamquam *ut Leo dentibus fremebat,* tamen ausus non est Pontificem retinere, eumque iter suum prosequi passus est. Sic *quintadecima die mense Novembris praedictae septimae Indictionis* (a. 753) *a civitate Papia movens suum in Franciam profectus est iter.*[1]) — Hujus itineris felicissimi fuerunt fructus. Nam auxiliis Pipini ac dein Caroli M. Longobardorum potestas repressa, demumque contrita est; principatus vero civilis Romani Pontificis firmiter constitutus. Isti vero principes grato animo Romanis Pontificibus devincti erant, eo quod in acquirenda et firmanda regia dignitate hisce

Iter in Galliam.

[1]) Quum *Indictionum* appellatio et usus frequenter in historia occurrat, abs re non erit aliqua hic de iisdem notare. Indictionis nomine per se *tributi* genus venit, quod extra ordinem solvendum imponitur agris seu possessionibus. — Indictio dein significat *spatium 15 annorum* in orbem circumactorum, h. e. quindecim annorum in se revolutorum iterationem, cujusmodi partitione tempora enumerari computarique Constantinus instituisse dicitur anno 313, ita ut iste annus esset Indictio prima, annus 328 Indictio decima quinta, et subsequens annus 329 iterum Indictio prima. — Sed cur quindecim annorum spatio Indictiones finiri placuerit, multae multorum conjecturae sunt. — Solet id ex eo repeti, quod Constantinus militaria stipendia ad 15 annos redegerit, quae 16 antea taxata fuerant; inde totidem annos in periodum esse conjectos. — Triplicem Indictionis usum observare est apud scriptores; alia enim a kal. Septembris proficiscitur et *CPtana* dicitur; eaque utebantur Imperatores CPtani et Scriptores historiae Byzantinae, imo et Anastasius Bibliothecarius. — Altera Indictio incipit ab VIII kal. Octobris, quo die a. 307 regnum Constantini dicitur incepisse: unde etiam *Constantiniana* appellatur. Atque hujus usum Gallis et Britannis familiarem fuisse constat. In Germania perinde eadem semper obtinuit Indictio, unde

multum deberent. Atque opportunum erit hoc loco paucis agere de isto in regno Francorum eventu, qui cum constitutione principatus civilis Romanorum Pontificum intimiorem habuit connexionem.

II.

De elevatione Pipini in Francorum regem.

32. Mediante saeculo octavo ille accidit summi momenti in regno Francorum eventus, ut abdicata antiqua Merovingorum stirpe in regni solium elevaretur *Pipinus*, qui eousque Majordomus, seu dux et princeps Francorum nomine regis Childerici III fuerat. Romani Pontifices sua auctoritate atque interventione Pipini regnum firmiter stabilierunt, atque inde grati animi debitum Pipino ejusque successoribus imposuerunt, ita ut jure subsidium in temporum istorum angustiis ab iis petere possent. Ejusmodi vero auxilia hi reapse praestiterunt, suamque operam contulerunt, ut Pontificum principatus civilis firmaretur. Paucis ea quae ista in re Zacharias et Stephanus fecerunt perstringemus, simulque eas tangemus controversias, quae quoad operam a Romanis Pontificibus in elevatione Pipini praestitam exortae sunt.

---

et *Caesaream* appellant — Tertia Indictio, quae *Pontificia* seu *Romana* dicitur, a kal. Januarii consurgit. Eadem utuntur Pontifices in suis Diplomatibus, antiquitus tamen usque ad Gregorium VI frequenter utebantur Indictione CPtana quae kal. Sept. incipit. — Si per istam 15 annorum periodum retrogrediamur ad primum aerae christianae annum, congruit ille *cum quarto anno Indictionis Pontificiae*. Unde hanc habemus rationem Indictionis inveniendae: cujusvis annorum Christi numero adduntur 3, dividaturque summa per 15; si praeter quotientem nihil est reliqui, annus Indictionis est 15; si reliquus sit numerus, is annum Indictionis indicabit. — Sic superius agebatur de anno 753; si addas 3 habebis 756, summa collecta dividatur per 15, prodibunt ultra quotientem 50 adhuc 6, quae proinde designant illum annum esse sextum cycli Indictionis Romanae. Sed Anastasius utitur Indictione CPtana, ac nova Indictio septima inceperat kal. Sept. anni 753. Hinc quum loquatur de mense Novembre, recte dicit, Stephanum Indictione septima profectum esse in Galliam. — Cfr. Nilles, De Computo ecclesiast.; De Indictione

Stirps Merovingorum.

33. Reges Francorum ex Merovingorum stirpe jam ex diuturno tempore intestinis familiae discordiis ac bellis ferocibus, polygamia et luxuria, genus suum magis magisque debilitabant et futuri interitus causas parabant. Praesertim inde a temporibus Dagoberti, anno 638 defuncti, regum auctoritas declinavit. Successerunt enim longa serie omnes fere reges pueri, qui vixdum ad adolescentiam pervenerant, interierunt, sive morte violenta in bellis, seu maxima parte morbis, eo quod forte ex stirpe viribus exhausta et ex connubiis prima adolescentia contractis filii robusti haud jam nascerentur[1]. Dixeris etiam justa Dei dispositione mortes illas immaturas accidisse. Sub istis regibus summa rerum regnique potentia pervenerunt in manus Praefectorum palatii, qui Majoresdomus, imo saeculo octavo jam principes et duces Francorum nominabantur. Regibus Francorum tandem vix aliud remansit quam vacuum regis nomen cum externo quodam apparatu honorum, cuncta vero quae vastissimi regni administrationem quoad rem civilem et militarem spectabant, in arbitrio Majorumdomus erant. Variis ex causis ejusmodi rerum conditio paulatim exorta est.

Majoresdomus.

34. Sane, quum omnes fere isti reges pueri essent vel adolescentuli, aut in rebus publicis administrandis minus experti, ex indole rei factum est, ut Majoresdomus praecipuam acquirerent auctoritatem. Hi vero potestatem suam magis magisque firmare nisi sunt, ac haereditariam reddere, ne ab aliis proceribus ex eadem dejici possent. Sunt qui existimant, Majoresdomus ex stirpe Pipinorum etiam ex professo studuisse, ut potentiam regiam diminuerent ac speciem externam honorum iis tantum relinquerent, atque ita voluisse paulatim familiae suae regiam dignitatem vindicare. Vix tamen admitterem, perspicua hujus conatus documenta exstare. Certum profecto est, in summis periculis regni quae imminebant tum ab hostibus externis, e. g. a Saracenis, tum a Germanorum variis gentibus quae Francis tributariae erant et suprematiae eorum subjectae, tum ex intestinis

---

[1]) Cfr. Damberger, Synchr. Gesch. B. II, variis locis.

barbarae nationis dissidiis, Majoresdomus indiguisse magna potestate. Ex ipsis rerum circumstantiis igitur evenit ut eam acquirerent; simulque etiam summam gloriam et multiplicia merita in patriam atque etiam in Ecclesiam sibi compararunt. Erant enim viri illi ex stirpe Pipinorum, uti Pipinus Landensis, Pipinus ab Heristallo, Carolus Martellus, et Pipinus Brevis qui in regem elevatus est, viri insignes ac strenui, qui Francorum regnum sollicite administrarunt, hostes ad interneciorum vicerunt, atque etiam propagationem religionis christianae non modicum promoverunt. Haud tamen inficiamur, plures ex iis non in omnibus esse laudandos, nec defuisse iis ambitionem et regnandi cupidinem. — Ex altera vero parte, quum valor exiguus ultimorum regum Merovingorum praecipue ex eorum adolescentia proveniret, negari non potest, stirpem istam degenerasse, ac regulos istos inertia et ignavia affectos fuisse, et in villis suis voluptatibus inhiasse. Neque jam primis decenniis saeculi octavi directa linea Merovingi sibi succedebant, sed stirpe fere exstincta, qui ex familia supererant ad regnum pervenerunt.

35. Iste rerum status abnormis utriusque reipublicae, ecclesiasticae atque civilis, bono et prosperitati admodum nocivus erat. Anno 742 aut sequente Francorum rex opera Pipini electus et constitutus est Childericus III puer decem annorum; a variis auctoribus etiam dicitur ineptus et regiminis incapax[1]). Majoratus domus seu potius summa regiminis erat apud Carolomannum et Pipinum, filios Caroli Martelli, quorum prior anno 747 rebus saecularibus nuntium remisit et vitam monasticam professus est. Pipinus autem res Francorum pro virili parte gessit, rebelles in ordinem redegit, hostes repressit domuitque. Childericus III.

36. Cum vero vastissimum illud Francorum regnum jam a temporibus praecedentibus discordiis et seditionibus, necnon Maurorum aliorumque hostium incursionibus esset

[1]) Quoad ejusmodi assertiones advertendum quidem est, scriptores ex tempore Carolingorum qui his addicti erant, forte exaggerare ultimorum Merovingorum ignaviam et inertiam. Sed ex historia satis colligitur, in ea familia ingenii acumen vigoremque cordis deperdita fuisse.

obnoxium, anno 750 vel 751 Francorum proceres ecclesiastici atque civiles pro utriusque reipublicae bono et securitate consilium inierunt abdicandi Childericum III, et regem creandi Pipinum Majoremdomus, apud quem reapse summa potestas jam erat. Attamen quum antiquae familiae Merovingorum veneratio in cordibus Francorum altius resideret[1]), nec satis clareret, utrum jura illius in coronam regiam seponi possent, in tanto negotio adeundum prius censuerunt Romanum Pontificem, utpote praecipuum in

Legatio ad Zachariam P.

majoribus disciplinae causis directorem et doctorem. In hunc finem legati sunt Burchardus episcopus Wirceburgensis ac Fulradus abbas S. Dionysii et Capellanus regius, qui tum Pipini, tum Francorum nomine Zachariam papam interrogarent, *utrum is qui merum regis nomen, an is qui regiam potestatem haberet, rex esset vocandus*[2]). Respondit Pontifex, melius atque utilius esse, ut ille qui potestatem in regno habebat rex nominaretur et esset, quam is qui vacuum regis nomen gerebat. Quapropter Franci abdicato Childerico III Pipinum in regem elegerunt. Is anno 752 in civitate Suessionensi ab episcopis Galliae unctus est, (varii auctores a S. Bonifacio id factum referunt), et secundum priscum morem in solium regium elevatus. Childericus vero in quo series regum Merovingicae stirpis desiit, juxta morem illius aetatis tonsus et in monasterio S. Bertini (ad S[ti] Audomari) custoditus fuit. Uxor Childerici pariter et filius ejus in monasteria missi sunt, ut vitam agerent monacalem. — Anno 754 iterum Pipinus a Stephano Papa solemniter in regem unctus est.

37. Hac ratione apud Annalistas veteres et scriptores rerum Francicarum passim narratur, quomodo Pipinus in regem Erancorum constitutus sit, in quibusdam circum-

---

[1]) Cfr. Gfrörer, Allgem. Kirchengesch. III. S. 544.

[2]) Varii auctores, uti Bartolini, existimant, jam paulo ante Lullum a S. Bonifatio Romam ob negotia tractanda missum, de illa quaestione cum Zacharia Pontifice egisse, eoque referunt verba epistolae S. Bonifatii: „Habet enim secreta quaedam mea, quae soli pietati vestrae profiteri debet, quaedam viva voce vobis dicere, quaedam per litteras notata ostendere.“ Ep. 79. — Valde probabile quidem est, rem ita habere; haud tamen certum. Cfr. Buss-Scherer, Winfried-Bonifacius, S. 358, Graz 1880.

stantiis minoris momenti tantum, uti assolet, aliquantisper differunt. Atque nullus ante finem saeculi XVII hanc relationem electionis Pipini in dubium aut in quaestionem vocavit. Saeculo vero XVII de hac historia ab omnibus generatim admissa disceptari coeptum est, maxime occasione quaestionis de indirecta potestate Romani Pontificis in principes. Varii auctores illius aetatis, uti Le Cointe *Annales Eccl. Francorum ad a. 752*, Fr. Feu *Tractat. de legibus*, Natalis Alexander *Dissert. II in saec. VIII*, historiam de consultatione et responsione Zachariae fabulis adnumerarunt; quibus accesserunt, praeter alios, Berault-Bercastel in sua *historia Ecclesiae*, Eckhart in suo *Commentario de rebus Franciae orientalis et episcopatus Wirceburgensis*[1]), ac nostro tempore Damberger[2]), et Uhrich[3]). Plerique tamen auctores tum consultationis tum responsi Zachariae Papae authentiam admittunt, et varii scriptores, uti Pagi, Sandini, Wouters, Em. Bartolini[4]), data opera eam vindicarunt. Sed etiam de indole ac natura interventionis quam Zacharias hac in re exercuit disputatur. Alii, uti Centuriatores Magdeburgenses et multi scriptores protestantes, crimini vertunt Pontifici, quod auctoritate sua Childericum e throno dejecerit et Pipinum elevaverit[5]); alii merito ea auctoritate usum esse Zachariam ostendunt; alii haud actum auctoritatis, sed tantum decisionem in re

---

[1]) Wirceburgi 1729, 2 Vol. Tom. I. p. 511.

[2]) Synchr. Gesch. B. II. S. 338.

[3]) Bedenken gegen die Aechtheit der mittelalterlichen Sage von der Entthronung des Merowingischen Königshauses durch den Papst Zacharias. Leipzig 1875.

[4]) S. Zaccaria Papa, Commentario XI. et XII.

[5]) Ex catholicis etiam scriptoribus rationem agendi Zachariae Pontificis reprehendit W. Martens, recenti opere scribens: „Zwar erscheint es übertrieben, wenn man behauptet, dass der Papst durch sein Responsum den Anstoss zu einer „Revolution“ gegeben habe: gleichwohl ist nicht zu läugnen, dass das Legitimitätsprincip von Zacharias nicht vertreten wurde, und dass es sich für den obersten Hirten der Kirche geziemt hätte, sich jeder Mitwirkung bei der Verstossung des unglücklichen Königs Childerich III zu enthalten.“ Die römische Frage unter Pippin und Karl dem Grossen, von W. Martens, Dr. der Theologie u. der Rechte, Regens a. D., S. 14. — Stuttgart, Cotta 1881.

morali in ista responsione agnoscunt; sunt demum qui censent, Zachariam, responsione generali data, solutionem practicam pro casu peculiari declinasse, et ipsis Francis reliquisse, qui perpendere debebant, utrum jura Merovingorum mutationi obstarent. Jam quid hac in re dicendum videatur exponamus.

Probatur veritas.

38. Historiam illam admittendam omnino esse statuimus, eo quod in antiquissimis Annalibus fide dignis continetur. In *Annalibus Eginhardi* res ita narratur ad a. 749: *Burchardus Wirciburgensis episcopus et Folradus presbyter capellanus missi sunt Romam ad Zachariam papam, ut consulerent Pontificem de causa regum qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam habuerunt, per quos praedictus Pontifex mandavit, melius esse illum vocari regem, apud quem summa potestas consisteret, dataque auctoritate sua jussit Pipinum regem constitui.* — Ad a. 754: *Stephanus papa, postquam a rege Pipino ecclesiae Romanae defensionis firmitatem accepit, ipsum sacra unctione ad regiae dignitatis honorem consecravit, et cum eo duos filios ejus Carolum et Carlomanum, mansitque hiberno tempore in Francia.* — In Annalibus Laurissensibus ita habetur ad a. 749: *Burchardus Wircebargensis episcopus et Folradus capellanus missi fuerunt ad Zachariam Papam, interrogando de regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regiam potestatem, si bene fuisset, annon. Et Zacharias Papa mandavit Pipino, ut melius esset illum regem vocari qui potestatem haberet, quam illum qui sine regali potestate manebat, ut non conturbaretur ordo; per auctoritatem ergo Apostolicam jussit Pipinum regem fieri, et sanctae unctionis oleo inungi.* — Et ad a. 750: *Pipinus secundum morem Francorum electus est ad regem et unctus per manus sanctae memoriae Bonifacii episcopi, et elevatus a Francis in regno suo in Suessionis civitate.* — Quoad utrosque Annales, Laurissenses et Eginhardi, ita ait Pertz: „Ut igitur paucis sententiam meam de utroque opere absolvam, annales Laurissenses usque ad annum 788 in monasterio Nazarii compositos ultimo saeculi octavi decennio ad manus Einhardi, magni Laureshamensium amici

devenisse, et ab eo continuatione annorum 788—829, qualem annalium Laurissensium codices exhibent donatos, opere vero ad finem deducto, priorem etiam partem monachis debitam, quam opera sua plurimum indigere intellexisset, ab Einhardo recognitam, atque una cum continuatione paucis verbis immutata sub suo nomine (annales Eginhardi) editam esse censeo. Quae si cui minus placuerint, alia nos docere non supersedeat." [1]) Habemus hic proinde fontem vetustissimum, cui fidem denegare prorsus arbitrarium est. Cum hisce vero plurimi alii Annales et Scriptores conveniunt. [2])

39. Exstat praeterea testimonium etiam vetustius, quod continetur celebri *Clausula* adjecta antiquo manuscripto codici, in quo habentur libri S. Gregorii Turonensis *de vitis patrum*, et *de gloria confessorum*. Codex inventus est in Abbatia S. Dionysii prope Parisios, et Clausula edita in *Actis Bollandianis Tom. III Martii* (Exegesis praeliminaris p. XXII), a Papenbrochio et Henschenio viris eruditissimis, necnon a Mabillonio, *De re diplomat. L. V.* p. 354, qui et genuinitatem ejus se agnovisse testatur. Invenitur videlicet, scripta eodem atramento et charactere, quo caetera quae in codice continentur scripta sunt, haec Clausula addita: *Si nosse vis, lector, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus ad sacrorum martyrum pretiosam editus laudem, invenies, anno ab incarnatione Domini*

Confirmatur ex Clausula.

---

[1]) Monumenta Germ. Tom. I. p. 127. — Citavimus prae aliis Annales Laurissenses ob illa verba, *ut non conturbaretur ordo*. Ex iis enim colligitur, quale *motivum* in decisione Pontificis aetas ista agnoverit.

[2]) Vide textus citatos ap. Bartolini, l. c. p. 508 sqq. — Difficultas vero non potest inde peti, quod Eginhardus in *Vita Caroli M.* Stephano depositionem Childerici adscribat. Quum Zacharias brevi post mortuus sit, et Stephanus dein venerit in Franciam, ac coronatione Pipini opus solemniter compleverit partesque habuerit praecipuas in isto negotio, facile fieri potuit, ut Eginhardus in vita Caroli, quum non per singulos annos describeret eventus, Stephano jam tribueret quod fecit Zacharias. Ad summum ex tali differentia narrationis suspicio oboriri posset, non Eginhardum sed alium vetustum scriptorem ea fecisse et scripsisse, quae superius ex Pertzio citavimus.

septingentesimo sexagesimo septimo, temporibus felicissimi atque tranquillissimi et catholici Pippini regis Francorum et patricii Romanorum, filii beatae memoriae quondam Caroli principis, anno felicissimi regni ejus in Dei nomine sexto decimo, indictione quinta, et filiorum ejus, eorundemque regum Francorum, Caroli et Carlomanni . . . anno tertio decimo.— Nam ipse praedictus Domnus florentissimus Pippinus, rex pius, per auctoritatem et imperium sanctae recordationis Domni Zachariae papae et unctionem sancti chrismatis per manus beatorum sacerdotum Galliarum et electionem omnium Francorum tribus annis antea in regni solio sublimatus est. Postea Pippinus per manus ejusdem Stephani Pontificis, die uno, in beatorum praedictorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii ecclesia, ubi et venerabilis vir Folradus archipresbyter et abbas esse cognoscitur, in regem et patricium una cum praedictis filiis Carolo et Carlomanno unctus et benedictus est. — Ipsa epitheta *felicissimi*, *florentissimi, tranquillissimi* indicium internum praebent, scriptorem Pipino esse coaetaneum, nec minus ex eo quod Zacharias Pontifex jam defunctus adhuc *Domnus* appelletur, brevi ante eum obiisse colligitur.[1])

Vindicatur. 40. Nimis arbitrarium est, hujusmodi Clausulam, quae ad marginem libri citati invenitur atque a viris eruditissimis agnoscitur ut genuina, supponere posteriori tempore additam in favorem Carolingorum. Nec minus inconvenienter ea suspicio suscipitur, a Fulrado Abbate rumorem et fabulam de consultatione et responsis Zachariae sparsa esse aliquot annis post elevationem Pipini, ut regnum Carolingorum sacro quodam robore magis firmaretur.[2]) Neque obstat, quod haud commemorato Zacharia plures an-

[1]) Cfr. Bartolini l. c. p. 506. — Emin. Bartolini ibidem ex Codice inedito Vaticano (Reginae Sueciae Nr. 213) etiam duo alia documenta coaeva citat, in quibus idem factum solemne refertur.

[2]) Uhrich, l. c. pp 49 sqq., Clausulae auctoritatem argumentis haud solidis enervare nititur. Simul vero posita Clausulae genuinitate, suspicionem illam movet. Sed gratis talia supponuntur, et Fulrado viro dignissimo attribuuntur; imo cum documentis fide dignis haec pugnant.

nalistae scriptoresve soli Stephano cooperationem ad elevationem Pipini per ejus coronationem adscribunt, vel etiam addunt, a Stephano *absolutum* fuisse Pipinum ob violatam erga Childericum fidelitatem. Stephanus unctione et coronatione solemni ac publica elevationem Pipini ad regnum complevit; haec omnibus magis nota erant, atque ut actus publici et solemnes majoris momenti habebantur, quam consultatio Zachariae facta. Pontificis porro unctio sacra ut *sanctio* regni acquisiti considerabatur; unde illi quibus dubia quaedam inhaerebant de legitimitate depositionis Childerici per proceres Francorum, facile in actibus Stephani vel implicitam vel explicitam absolutionem violatae fidelitatis concipiebant.

41. Modo jam examinemus *indolem* responsionis S. Zachariae. Haec indoles non a priori determinanda est, neque ex solo sensu grammaticali verborum, sed maxime advertendum, qualem sensum tum coaevi tum subsequentes scriptores Pontificis responso tribuerint. Jam vero, si haec prae oculis habentur, colligitur, Pontificem nec declinasse solutionem negotii propositi, nec meram sententiam theoreticam proposuisse, dum diceret, melius esse ut ille rex vocaretur qui potestatem, quam qui merum nomen haberet. Sed responso suo, *auctoritate suprema* Pontificem intervenisse, tum coaevi existimarunt, tum posteriorum fuit sententia. Quum vero simul ex documentis pateat, Francos post receptum Pontificis responsum *electionem* Pipini in regem peregisse, utrumque momentum hac in re jungendum est. Ac ne diffusi nimium simus, rem acu tangere videtur Illmus Mansi in nota ad Dissertationem Natalis Alexandri de elevatione Pipini. Rem ita fere exponit. Responsionis indoles.

42. Ex una parte Franci religioni ducebant Childericum a regni solio exturbare, cum illi subditorum fidelitate obstringerentur; ex altera vero parte considerabant, ob regni pericula et salutem ac totius christianae reipublicae bonum, necessarium vel saltem summae utilitatis esse, ut Pipinus non ut commodatam sed ut propriam haberet regiam potestatem. Ita procul dubio multo melius com- Mansii expositio.

muni bono providebatur. Cum vero in hisce circumstantiis poscerent a Zacharia papa, quid sibi agendum esset, vel potius an liceret in regem elevare Pipinum seposito Childerico, Pontifex cum auctoritate respondit, statum illum abnormem in Francorum regno bono ordini oppositum esse, periculorum plenum et perniciosum, atque ob regni et rei publicae christianae necessitates merito illam mutationem introduci. Francos solvi in his circumstantiis ab obligatione fidelitatis. (vel auctoritate suprema Zachariae, ut nos censemus, vel ex rei natura), adeoque eos licite posse Pipinum in regnum elevare abdicato Childerico. Responso accepto Franci Pipinum elegerunt. Ita igitur ad elevationem Pipini tum Zachariae auctoritas tum electio Francorum concurrit.[1])

Valor juridicus.

43. Animadvertendum vero est, in Zachariae decisione illud momentum situm fuisse, quod elevationi Pipini conferebat *suum valorem juridicum et sanctionem moralem.* Atque hac ratione Zachariae *auctoritate* dici potuit Pipinus regni solium conscendisse, quia Pontifex sententiam tulit de liceitate depositionis Childerici, Francisque libertatem sua sententia fecit Pipinum eligendi. Quia vero tum coaevi tum posteriores persentiebant, in Zachariae sententia et in Stephani unctione illud momentum positum esse, quo Carolingorum regnum esset validum ac legitimum et Childerici quoque depositio extra contestationem posita, propterea frequenter *auctoritati et jussis* Romanorum Pontificum haec attribuunt. Ita etiam S. Gregorius VII in epistola ad Hermannum Metensem episcopum (L. IV. ep. 2): *Considerent,* scribit, *cur Zacharias Papa regem Francorum deposuerit, et omnes Francigenas a vinculo juramenti quod sibi fecerant absolverit.* — Et in altera ad eumdem epistola (L. VIII. ep. 21): *Alius item Romanus Pontifex, Zacharias videlicet, regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam eo quod tantae potestati non erat utilis, a regno deposuit, et Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis*

---

[1]) Vide Natal. Alex. In Saeculum VIII. Dissert. II. Nota I.

quod illi fecerant absolvit. — Aequivalenter videlicet haec et implicite in Zachariae sententia contineri, hujusmodi effatis significatur. Praeterea vero merito dixeris, ea responsione Zachariae quae communiter ab auctoribus affertur, tantum *compendium* contineri eorum quae gesta sunt, quatenus brevi interrogatione et brevi responso negotium gravissimum coaevi comprehenderunt. Caeterum plura ista in re deliberata et constituta fuisse, quum viri tam insignes uti Burchardus et Fulradus, cooperante forte S. Bonifatio, Romam missi sint, dubitari non potest.

44. Modus quo Pontifex suum munus in hoc negotio exercuit, varie concipitur. Quid egerit Pontifex. Sunt qui existimant, ex ipso jure nationali Francis licuisse, ut loco regis inepti alium eligerent, et Zachariam id agnovisse eosque consilio suo direxisse.[1]) Sed suas habet haec sententia difficultates, ac nescio, an quaestionem penitus solvat. Etenim Childericus III legitima ratione Francorum regnum acceperat; proinde Franci fidei juramento huic principi obstricti, non poterant eum regno privare illudque Pipino conferre, nisi Childericus commisisset crimen, ob quod jure suo excidisset. Ejusmodi autem crimen Childericus nusquam legitur admisisse. Forte in prima regis institutione etiam tunc apud Francos consensus procerum requirebatur, (etsi regnum haereditarium evasisset in familia Clodovaei), non potest tamen inde erui, jus regem minus aptum etiam deponendi penes proceres fuisse. Nam quum principi electo potestas a Deo conferatur, haud apparet, proceres principi subditos eam conservare auctoritatem, ut regem imperio privent, dum minus aptum inveniunt, nisi ipsis legibus tale quid constitutum sit. Sed ejusmodi lex Francorum non commemoratur.[2])

---

[1]) Cfr. Rohrbacher-Kellner, Univ. Geschichte der Kirche B. XI. S. 286 ff.

[2]) Prae oculis habenda sunt quae in sua Encyclica *Diuturnum* d. 29. Junii a. 1881 de civili potestate Leo XIII habet. „Catholici homines, inquit, jus imperandi a Deo repetunt, velut a naturali necessarioque principio. — Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in quibusdam casibus voluntate judicioque deligi

Qua potestate usus. 45. Alii auctores tenent, *ex jure naturae* in illis circumstantiis juramentum fidelitatis caducum factum fuisse, potuisseque ab eo Francos recedere ob bonum publicum, idque Zachariam declarasse. Fortasse, si simul consideratur bonum religionis christianae, et pericula religioni ac saluti Francorum imminentia, talis explicatio acceptari potest, dum additur, Zachariae ut supremo fidelium magistro et capiti convenisse, ut *cum auctoritate* id declararet. — Caeterum alii ut plene hunc eventum et similes explicent, recurrunt ad doctrinam *de potestate indirecta* Romani Pontificis in temporalia, quam doctrinam etiam nos habemus ut solidam et veram. De ea alibi accuratius agemus, modo sufficiet pauca ex Bellarmino citare, ut perspiciatur, qua ratione ejusmodi eventus, qui passim in Ecclesiae historia occurrunt, intelligi possint. „Pontifex videlicet ut Ponti-
Bellarminus. fex, ita Bellarminus, etsi non habeat ullam mere temporalem potestatem, tamen habet *in ordine ad bonum spirituale summam potestatem disponendi* de temporalibus rebus omnium Christianorum. Ut se habent in homine spiritus et caro, ita se habent in Ecclesia duae illae potestates. Nam caro et spiritus sunt quasi duae respublicae, quae et separatae et conjunctae inveniri possunt. . . . Invenitur caro adjuncta spiritui in homine, ubi quia unam personam efficiunt, necessario habent subordinationem et connexionem. Caro enim subest, spiritus praeest, et licet spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones, ut in brutis exercet, tamen quando eae officiunt fini ipsius spiritus, spiritus carni imperat eam-

multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur jura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur, a quo sit gerendum. . . . Potestas rectorum civitatis, si quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam causam continuo adipiscitur dignitatem humana majorem: non illam quidem impiam et perabsurdam imperatoribus ethnicis divinos honores affectantibus aliquando expetitam, sed veram et solidam eamque dono quodam acceptam beneficioque divino. . . . Una illa hominibus causa est non parendi, si quid ab iis postuletur, quod cum naturali aut divino jure aperte repugnet.“

que castigat, et si opus est indicit jejunia aliasque afflictiones etc. Ita prorsus politica potestas habet suos principes, leges, judicia, et similiter ecclesiastica suos episcopos, canones, judicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem aeternam. Inveniuntur quandoque separatae, ut olim tempore Apostolorum, quandoque conjunctae, ut nunc. Quando autem sunt conjunctae unum corpus efficiunt, ideoque debent esse connexae et inferior superiori subjecta et subordinata. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotiis, sed sinit omnia procedere, sicut antequam essent conjunctae, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest et debet coërcere temporalem omni ratione ac via, quae ad id necessaria esse videbitur. . . Quantum ad personas non potest Papa, ut Papa, ordinarie temporales principes deponere, etiam justa de causa, eo modo quo deponit episcopos, id est tanquam ordinarius judex: tamen potest mutare regna et uni auferre atque alteri conferre, tanquam summus princeps spiritualis, si id necessarium sit ad animarum salutem." [1])

46. Adducit dein ipse Bellarminus factum Zachariae, „qui rogatus a primoribus Francorum, Childericum deposuit, et in ejus locum Pipinum Caroli Magni patrem, regem creari jussit. Cujus causa fuit, quia propter socordiam Childerici et religioni et regno in Gallia extrema ruina imminere videbatur." [2]) Et alibi: „Cum Zacharias intelligeret, jam per multos annos reges Francorum solo titulo fuisse reges, et Childericum qui tunc regnabat non solum more majorum nihil curare, sed etiam omni prorsus ingenio vacare, . . . et simul videret regnum et religionem in Galliis ruere, et omnes proceres regni Pipinum regem optare, tandem ut is, ad quem spectabat providere omnium suorum saluti, judicavit, licere Francis regnum Childerici in Pipinum transferre, atque ipse eos juramento quo se Childerico obstrinxerant solvit. Quod sane justum

---

[1]) De Rom. Pont. L. V. c. 6. [2]) Ibid. c. 8.

fuisse, nemo sanae mentis negabit."[1]) Ita ex potestate indirecta Pontificis in temporalia hoc factum bene explicatur. Quumque existimemus, revera talem potestatem ea ratione qua a Bellarmino exponitur R. Pontifici convenire, pronius ad eam recurrimus, ut de iis quae fecerunt Zacharias et Stephanus RR. Pontifices in causa Childerici et Pipini judicium feramus.[2])

Childerici conditio. 47. Convenit dein advertere, quod Childerico adimebatur umbram potius fuisse regiae dignitatis, quam potestatem et auctoritatem. Ipse autem erat ex linea quadam collaterali Merovingorum; directa successio enim jam saepius interrupta fuerat. Restituere ei plenam auctoritatem regiam, spectatis adjunctis et ipsius Childerici indole atque ingenio, nec apte fieri nec per Pontificem obtineri poterat; hinc unicum medium providendi bono Francorum et religionis erat revera elevatio Pipini ad regnum. Pontifex porro statum rerum considerabat uti *objective* se habebat, nec erat ipsius examinare, an forte humana ambitione Majoresdomus ex stirpe Pipini paulatim summam dignitatem assequi studuerint. Neque Pontifici adscribendum est, quod Childericus ejusque filius tonsi et in monasterium missi sint. Tribuendum id est temporum moribus, quos sane nec laudare nec commendare necesse est. Caeterum multi viri insignes ea aetate post varias vitae vicissitudines vitam monasticam amplectebantur, uti e. g. Rachis et Carolomannus, idque habebatur ut valde decorum. Mortuus est Childericus in monasterio S. Bertini ad S. Audo-

[1]) Ibid. L. II. c. 17.

[2]) Haud tamen hisce eventibus utemur ad hanc potestatem indirectam demonstrandam. Plura enim quoad hos eventus obscuriora manent, ac si in se tantum spectatur illa regni translatio, etiam alio modo fortasse explicari potest. Sed quemadmodum Gregorius VII et Innocentius III potestatem illam indirectam diserte RR. Pontificibus adscribunt, ita censemus etiam anterioribus Pontificibus persuasum fuisse. se ejusmodi potestatem habere. Variis autem in eventibus auctoritatem suam plenam et totam in concreto adhibuerunt, ac minus congrue inquiritur et aegre determinatur, utrum tantum auctoritate magisterii (declarandi), an vero etiam auctoritate juridica (disponendi) uti voluerint.

marum paucis post annis[1]; ejus autem filius Theodoricus oblivioni datus pariter annos vitae suae in monasterio Fontanellensi transegit.[2]

48. Modo paucis ea commemoremus, quae a Stephano II ad Pipinum in Galliam profecto peracta sunt. — Papia movens et celerrime ob metum Aistulphi suum in Franciam prosequens iter, pervenit ad Agaunense seu S. Mauritii monasterium in Burgundia situm, ibique aliquot diebus versatus est. Ad illud monasterium appulerunt a Pipino directi Fulradus presbyter, archicapellanus Palatii, et Rothardus Dux, petentes *eumdem Pontificem ad suum progredi regem. Quem in magno honore cum omnibus qui cum eo erant, ad eum deduxerunt.* (Anast. Bibl.) Prope Parisios ad regiam villam Pontigonem (Ponthion) rex Pontificem summis cum honoribus recepit festo Epiphaniae anni 754. *Mox idem beatissimus Papa,* scribit auctor *Vitae Stephani* apud Anastasium Bibl., *praedictum christianissimum regem lacrymabiliter deprecatus est, ut per pacis foedera causam B. Petri et reipublicae Romanorum disponeret. Qui depraesenti jurejurando eidem beatissimo Papae satisfecit, omnibus mandatis ejus et admonitionibus sese totis nisibus obedire, et ut illi placitum fuerit, exarchatum Ravennae, et reipublicae jura seu loca reddere modis omnibus.*[3]) *Sed quia tempus imminebat hiemale, eumdem sanctissimum Papam cum suis omnibus Parisios apud venerabile monasterium B. Dionysii ad habitandum pergere curavit* (al. *rogavit*).

Stephani gesta.

---

[1]) „Secundae coronationis Pippini tempore rex Hildericus monachus hujus ecclesiae obiit.“ Chron. Iperii fragm. Labbeus „Miscellanea curiosa“. ap. Bouquet V. 187. — V. Alberdingk Thym, Karel de Groote, p. 144 n. 1.

[2]) „Et Hildericus rex, Merovingorum ex genere ortus, depositus tonsusque ac in monasterio sancti Audomari quod dicitur Sithin trusus est. Cujus filius, nomine Theodericus, in hoc monasterio anno sequenti clericus factus collocatus est.“ Gesta Abbat. Fontanel. ap. Pertz, Mon. Germ. II. 289

[3]) Passim expressiones illae: *respublica, respublica Romanorum, reipublicae jura vel loca,* occurrunt in documentis quae spectant res et tempora de quibus agimus. Designari censemus *reipublicae* voce *totam provinciam Italiae,* quae sub Imperio orientali fuerat. Quum ab Impera-

Bellum praeparatur.

49. Rex interea cum Aistulpho egit quidem de rebus componendis; praevidens autem, ipsum nisi coactum a conatibus suis subigendi totam Italiam non esse recessurum, bellum praeparavit. Tum apud Brennacum villam publicam prope Suessiones mense Martio, tum apud Carisiacum (Quiersy) tempore Paschatis (14. Aprilis) conventus procerum habuit, atque ut expeditio bellica contra Longobardos haberetur, cum ipsis disposuit. Colligitur autem ex documentis et ex eventibus, in illis comitiis statutum fuisse, re cum Pontifice quoque maturius deliberata, ut non Graecis (iconoclastis), quorum dominatio exstincta erat, provinciae a Francis liberandae redderentur, sed ut traderentur Romano Pontifici. Haud aliter enim ex expeditione molesta in Italiam fructus solidus exspectari poterat, nec proceres adduci potuissent, ut contra Longobardos eousque ipsis amicos bellum susciperent. Ut Graecis provincias deperditas et derelictas recuperarent, profecto Franci se pugnarum discrimini ac labori non exposuissent; at pro Ecclesia, B. Petro ac summo Pontifice ad bellum se accinxerunt. Caeterum Pipino, uti quidam censent, etiam motiva quaedam politica fuisse, ut Longobardorum potestatem coërcere vellet, non est cur penitus negemus. Periculum enim forte imminebat, ne Longobardorum potentia juvarentur gentes in Italiae finibus sitae,

toribus iconoclastis magis magisque derelinquerentur Itali, civitates sibi quantum poterant providerunt, et secundum antiquam consuetudinem complexus earum voce *reipublicae* designatur. Roma urbs primaria erat hujus reipublicae, ejusque caput morale et protector jam habebatur Romanus Pontifex, qui etiam apud Pipinum eam repraesentabat. Cfr. Niehues, Die Schenkungen der Carolinger an die Päpste I. Histor. Jahrbuch 1881, II. B. I. Heft. S. 82. Balan, Storia d'Italia, Vol. II. L. XIII. n. XII sqq. — Huic porro reipublicae dicuntur passim *reddi, restitui*, civitates et jura, quae a Longobardis erepta erant Imperio seu provinciae imperiali Italiae, quia in locum Imperii ista respublica succedebat. Eo vero tendebant conatus Stephani et Pipini, idque inter eos initio convenisse videtur, ut omnes istae regiones, si vindicatae essent a tyrannide Longobardorum, subderentur Romano Pontifici, partim subjectione immediata, partim feudorum submissione mediata ita ut dominium altum penes Pontificem esset. Sic antiquum regnum Longobardorum in Italia superiori servatum substitisset, media Italia vero in ditionem Pontificis cessisset. Cfr. Balan. l. c. n. XXVI.

Burgundi et Bavari, qui non nisi cum magna difficultate in sua a Francorum regibus dependentia tenebantur.

50. Stephanus Pontifex laboribus et aerumnis fractus in Abbatia S. Dionysii periculosa infirmitate affectus aliquanto tempore decubuit. Sed divina ope convaluit, ac demum die Dominica octava post Pentecostem (28 Julii) Pipinum regem ejusque filios Carolum et Carolomannum cum uxore Bertrada unxit, atque ita solemniter eorum regnum sancivit et firmavit, simulque Francos jussit nunquam ex alia stirpe reges sibi assumere. Ea ratione in variis Annalibus Francorum ejusmodi unctio et coronatio refertur. Ita in Codicibus ecclesiae Senonensis et S. Germani Pratensis legitur: *Regem Pippinum et duos filios ejus Carolum et Carolomannum, sed et Bertradam conjugem ipsius inclyti regis Pippini indutam cycladibus regiis gratia septiformis Spiritus Sancti, in Dei nomine* (Stephanus P.) *consignavit, atque Francorum proceres apostolica benedictione sanctificans, auctoritate B. Petri sibi a Domino Jesu Christo tradita obligavit et obtestatus est, ut nunquam de altera stirpe per succedentium temporum curricula ipsi vel quique ex eorum progenie orti regem super se praesumant aliquomodo constituere, nisi de eorum propagine, quos et divina providentia ad sanctissimam apostolicam Sedem tuendam eligere et per eum, videlicet vicarium S. Petri, imo Domini nostri Jesu Christi, in potestatem regiam dignata est sublimare et unctione sanctissima consecrare.*[1]) Unctio Pipini.

51. Ea occasione Stephanus Pipino et etiam ejus filiis dignitatem patricii Romanorum contulit. Sunt qui existimant id factum esse a Pontifice nomine Constantini Copronymi vel nomine reipublicae Romanae, summamque Patricii titulus.

---

[1]) Mansi XII. 557; ap. Uhrich l. c. p. 73 — Martens in opere recenti citato ostendere nititur, jam mense Februario Pipinum a Stephano Pontifice in regem unctum fuisse. Porro tantum Brennaci, non vero Carisiaci, conventum habitum esse admittit, atque in variis aliis a sententia communi discedit. (V. l. c. p. 21 sqq.) Argumenta vero ejus vim non habere censemus; hujus tamen loci non est, eadem singillatim refutare.

dignitatem civis Romani Pipino ea ratione esse collatam.[1]) Sed censendum est atque ex documentis colligitur, a Pontifice, qui certe ex voto Romanorum agebat, hanc dignitatem patricii *institutam* fuisse ad analogiam similis dignitatis, quae ab Imperatoribus iis conferebatur, quos summo honore afficere volebant. Patriciatus enim omnium dignitatum suprema erat, eaque insigniti ut consiliarii intimi (patres) Imperatorum habebantur. Quum his patriciis porro etiam munera summi momenti, ut praefectorum civitatis CPtanae, exarcharum, strategarum, conferri solerent, inde evenit, ut nomen patricii passim etiam adhiberetur, omisso alio muneris titulo, ad designandos viros ipso officio insignitos, utque identidem sermo sit de patricio Italiae, Siciliae, Africae, etc.; atque sic factum est, ut mox, quum de talibus sermo esset, *officium protectionis et defensionis* illarum provinciarum titulo patricii implicitum haberetur.[2]) Ita igitur quum Stephanus Pipino ejusque filiis contulit titulum patricii Romanorum illique hunc acceptarunt, eo ipso rex constitutus est in peculiarem protectorem Romanorum, summi Pontificis, et ecclesiae Romanae, idque munus honorificum Pipinus suscepit.[3])

Carolomanni adventus.

52. Ab Aistulpho interea conatus quidam adhibiti esse

---

[1]) Damberger, B. II. S. 351.

[2]) Inde vides, non omnino accurate a Gosselin dici: „Il faut donc distinguer deux sortes de *patrices*: les uns purement honoraires, jouissaient des honneurs et des prérogatives du patriciat, sans exercer aucune autorité particulière en vertu de ce titre . . . Une autre sorte de patriciat donnait à celui qui en était revêtu le gouvernement ou la défense de quelque province, au nom de l'empereur, qui en conservait la souveraineté proprement dite. Tels étaient les patrices de Sicile, d'Afrique, de Rome." Pouvoir du Pape etc Prem. partie, ch. I. n. 36 note (Edit. de Louvain, tom. I. p. 237.)

[3]) Cfr. Il Patriziato Romano di Carlomagno Civiltà cattol. a. 1864 Ser. V vol. IX. p. 22. 293 534. — Etiam Reumont apprime ad rem: „Der Papst verlieh dem Könige den Titel eines römischen Patricius, ein Titel, den Pipin lediglich seiner wahren Bedeutung nach im Sinne des Schutzes der Kirche auffasste. wie er selber sich denn nur Defensor oder Protector ecclesiae nannte." Gesch. d. Stadt Rom II. S. 115.

videntur, ut Pipinum ab expeditione in Italiam facienda averteret. Pipino videlicet Carisiaci degente, eo venit ex Italia Carolomannus ejus frater tunc monachus Cassinensis, qui rem Aistulphi gerens, nisus est Pipinum adducere, ut Longobardis bellum haud inferret. In *Vita Stephani II* apud Anastasium Bibl. hoc factum hisce refertur: *Interea nefandissimus Aistulfus Carolomannum fratrem benignissimi Pipini regis a monasterio beati Benedicti, in quo devote per revolutum temporis spatium monachice degebat, diabolicis ei suasionibus suadens in Franciam provinciam ad objiciendum, atque adversandum causae redemptionis sanctae Dei ecclesiae reipublicae Romanorum direxit. Cumque illuc conjunxisset, nitebatur omnino et vehementius decertabat sanctae Dei Ecclesiae causam subvertere, juxta quod a praefato nec dicendo Aistulfo tyranno fuerat directus. Sed propitiante Domino minime valuit sui germani christianissimi Pipini regis Francorum in hoc firmissimum cor inclinare. Potius autem comperta nequissimi Aistulfi versutia, tota se virtute idem excellentissimus Pipinus Francorum rex professus est decertare pro causa sanctae Dei ecclesiae, sicut pridem jam fato beatissimo spoponderat Pontifici. — Tunc pari consilio isdem sanctissimus Papa cum denominato Francorum rege, juxta id quod praefatus Carolomannus Deo se devoverat monachicam degere vitam, in monasterio eum Viennae in Francia collocaverunt. Ubi et post aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit anno Domini 755.*[1]) — Istud Carolomanni iter ac totus eventus obscuritate quadam suffusa sunt. Eginhardus et alii Annalistae scribunt, ab Abbate suo Optato, volente Aistulpho rege, Carolomannum missum esse, et quamvis invitum iter suscepisse, *quia nec ille Abbatis sui jussa con-*

---

[1]) Videtur tamen Carolomannus jam a. 754 mortuus esse. In Annal. Sangallensibus enim habetur ad a. 754: „Hoc anno Pippinus rex cum Francis in Italiam perrexit, Longobardos superavit in gladio. Hoc anno Carlomannus moritur.“ Atque etiam in Annal. Einhardi, quamvis referatur mors Carolomanni ad a. 755, dicitur mortuus esse, *priusquam rex de Italia reverteretur*, adeoque a. 754, quum Pipinus jam ex Italia reversus sit auctumno hujus anni.

temnere, nec Abbas illius praeceptis regis Longobardorum qui ei hoc imperavit audebat resistere. (Eginhardus ad a. 753). Videtur tamen Pipinus quaedam obstacula timuisse, ac propterea eum retinuisse in monasterio Franciae. — Sed jam agamus de ipsa constitutione principatus civilis Romani Pontificis.

III.

De constitutione principatus civilis Romani Pontificis.

Longobardi victi.

53. Quum Pipinus per legatos ad Aistulphum missos ab eo quod petierat non impetrasset, in eum cum exercitu movit mense Septembri anni 754, uti ex Anastasio variisque Chronistis colligitur. Cum copiis suis Alpes transgressus, in ipsis montium faucibus Longobardorum regem praelio vicit, fugatumque insequens Papiam obsedit. Tunc Pontifex regem secutus, timens christiani sanguinis novam effusionem, cum Pipino egit, ut acceptis ab Aistulpho juramento obsidibusque pro restituenda Ravenna aliisque civitatibus, pax concluderetur. In *Vita Stephani II* c. 37 dicitur: „Ad haec christianissimus Pipinus Francorum rex ejusdem beatissimi patris et boni pastoris audiens adimplensque admonitionem, eosque Deo dilectam pacem inhiantes, atque in scripto foedera partium adfirmantes, dixit summo Pontifici: *Fiat secundum praeceptum tuum, benignissime pater;* et obsides Longobardorum isdem Francorum rex abstollens, spopondit ipse Aistulphus cum universis suis judicibus sub terribili et fortissimo sacramento, atque in eodem pacti foedere per scriptam paginam adfirmavit, se illico redditurum civitatem Ravennatium cum aliis diversis civitatibus.“ His igitur felicissime gestis Pipinus rex victor cum suis in Galliam, Stephanus autem Papa Romam rediit, ubi summo gaudio a suis exceptus, dignas Deo laudes pro tot tantisque beneficiis publice apud basilicam Sancti Petri ex more persolvit. Stephanum Romam comitatus est Hieronymus,

frater Pipini regis, ut habet Annalista Fuldensis; alii Annalistae Fulradum Hieronymo adjungunt.

54. Sed Aistulphus rex Longobardorum promissis nullatenus stetit, et versus finem anni 754 Hieronymus ac Fulradus in Franciam rediere cum litteris, per quas apud Pipinum ejusque filios reges Francorum et patricios Romanorum amare questus est Stephanus, quod Aistulphus pacta haud servaret, nihilque reipublicae et ecclesiae Romanae reddidisset. In iis enim litteris ait Pontifex de Aistulpho: *Nec unius palmi terrae spatium beato Petro, sanctaeque Dei ecclesiae vel reipublicae Romanorum reddere passus est*, etsi illi, nempe Pipinus et filii, *propria voluntate per donationis paginam B. Petro sanctaeque Dei Ecclesiae et reipublicae civitates et loca restituenda confirmassent.*[1]) Variis praeterea molestiis Aistulphus Pontificem affecit; qua de re alia epistola Stephanus apud Pipinum conqueritur.[2]) Quum vero ineunte anno 756 Aistulphus ipsam urbem Romanam ingenti comparato exercitu obsidione cingeret, Pontifex vehementius per legatos et litteras Pipinum obtestatus est, ut quae promiserat expleret ecclesiamque ac civitatem Romam nova expeditione facta protegeret et defenderet[3]). Aistulphi inconstantia.

55. Atque hoc loco ex illa epistola referre juvabit ea, quibus Longobardorum mores immanes Pontifex describit. Inde magis patebit, merito Italos hujus gentis dominationem abhorruisse, ac jure eos potuisse contra illos summo se vigore defendere, aliorumque auxilia petere: scriptores vero qui Longobardorum magnanimitatem animorumque robur evehunt, a vero aberrare. „Omnia extra urbem praedia, scribit Pontifex, longe lateque ferro et igne consumserunt; domos omnes comburentes paene ad fundamenta destruxerunt. Ecclesias Dei incenderunt; et sacratissimas sanctorum imagines in ignem projicientes, suis gladiis consumserunt; et munera sancta, id est corpus Domini nostri Jesu Christi, in suis contaminatis vasibus. Mores Longobardorum.

---

1) Cod. Car. ep. 6, edit Jaffé, p. 35. 36.
2) Cod. Car. ep. 7. l. c. p. 37.
3) Cod. Car. epp. 8. 9.

quos folles vocant, miserunt, et, cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera; velamina altarium ecclesiarum Dei vel omnia ornamenta, quod nimis crudele edici est, auferentes in propriis utilitatibus usi sunt. Servos Dei monachos, qui pro officio divino in monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniaverunt. Et sanctimoniales feminas atque reclusas, quae ab infantia et pubertatis tempore pro Dei amore sese clausurae tradiderunt abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt; qui etiam et in ipsa contaminatione alias interficere visi sunt. . . . Et neque domui sanctae nostrae ecclesiae, neque cuiquam in hac Romana urbe commoranti spes remansit vivendi; quia, ut dictum est, omnia ferro et igne consumserunt, et multos homines interfecerunt. Sed et copiosam familiam beati Petri vel omnium Romanorum, tam viros quamque mulieres, jugulaverunt, et alios plures captivos duxerunt. Nam et innocentes infantulos a mamillis matrum suarum separantes, ipsasque vi polluentes, interemerunt ipsi impii Longobardi. Et tanta mala in hac Romana provincia fecerunt, quanta certe nec paganæ gentes aliquando perpetratae sunt. Quia etiam, si dici potest, et ipsi lapides, nostras desolationes videntes, ululant nobiscum."[1]) Exaggerata haec quidam dixerunt, sed nullo modo id probaverunt. — In summis illis angustiis positus Pontifex, quo efficacior esset petitio, Petrum Apostolorum principem prosopopoea quadam una secum clamantem inducens, Petri ipsius nomine ad eumdem principem litteras scripsit.[2]) Scriptores quidam ejusmodi epistolam Stephano vehementius exprobarunt, ac si fictione Pipinum decipere voluerit[3]), alii, etsi a fictione Pontificem vindicant, tamen ejusmodi media ab ipso adhibita esse, improbant.[4]) Sed nullam ea in re fuisse fictionem nisi rhetoricam per se patet, atque universim ab auctoribus

Stephani epistola.

---

[1]) Cod. Car. ep. 9. p. 50. [2]) Cod. Car. ep. 10.

[3]) Fleury h. e. l. XLIII. §. 14; Gregorovius, Gesch. der Stadt Rom, II. 322; Janus S. 146.

[4]) V. Martens l. c. S. 252.

gravibus agnitum fuit. Quemadmodum vero censemus Stephanum in iis quae fecit, ut Italos a tyrannide Longobardorum vindicaret et tum reipublicae tum Ecclesiae bono provideret, merito reprehendi non posse, ita etiam illam epistolam per se ut medium plane licitum ad finem obtinendum habemus. Sin autem hoc medium ut singulare ac mirum alicui displicet, non est cur multum ea de re disceptemus. Temporum et personarum indoli ejusmodi epistola satis conveniebat, atque rerum summis angustiis aliquid concedendum est. „Quid enim, ita merito ad rem Baronius, importuna et imperiosa necessitas intentatum praeterit, vel inexpertum relinquit?“[1]) Pipinus vero, quum per Stephani legatos et litteras de tristissima illa rerum conditione certior factus esset, ira et dolore exarsit, et novo decreto bello novos populo delectus indixit. Tum mense Aprili cum exercitu in Longobardos movit, quumque Aistulphus soluta Romae obsidione Papiam festinasset, hanc urbem valida manu cinxit.

56. Sed hoc loco jam commemoranda veniunt quae eo tempore ex parte Graecorum facta sunt; clarius enim elucebit, quanto jure principatu civili dominioque temporali RR. Pontifices potiti sint. Constantinopolim pervenit nuntius de rebus peractis, quumque Constantinus Copronymus adverteret rem eo vergere, ut dominatio sua penitus in Italia extingueretur, haud quidem copiis armisque, uti conveniebat, jura sua vindicare sategit, sed legatos misit qui cum Pipino res in commodum suum componerent. Rem prae caeteris clare enarrat Anastasius Bibl. in *Vita Stephani* c. 43: *Cum ad Longobardorum clusas*, scribit, *rex Pipinus appropinquasset, conjunxerunt in hac Romana urbe imperiales missi, Gregorius scilicet Protosecreta et Joannes Silentiarius, directi ad praedictum Pipinum Francorum regem. Quos suscipiens jam fatus beatissimus Papa eisdem motionem praefati regis Francorum nuntiavit. Quod quidem illi dubium habuerunt credendi.* Stephanus videlicet iis nullatenus occultavit, a rege civitates et pro-

Graecorum conatus.

[1]) Ad a. 755. n. 17.

vincias expugnatas non Imperatori sed Romanae ecclesiae esse concessas, atque in eum finem novum bellum a Pipino suscipi, ut S. Sedi eas possessiones vindicaret. Ipsi, ut videtur, speraverant, negotiatione quadam pacifica cum Pipino et Longobardis, ac pecuniis datis, in favorem Imperii omnia adhuc posse disponi. *Et adhaerens* (adjungens) *eis missum Apostolicae Sedis, eos in Franciam ire absolvit. Qui pergentes marino itinere quantocius Massiliam pervenerunt: in quam ingredientes didicerunt, jam praedictum Francorum regem Longobardorum fines fuisse ingressum, adimpleturum ea, quae pridem beato Petro et domno Apostolico de rebus ecclesiae Romanae ab Aistulpho distractis promiserat.* — c. 44. *Haec cognoscentes ipsi imperiales missi tristes effecti nitebantur dolo detinere Massiliae missum Apostolicae Sedis, ut minime ad praedictum regem posset properare, affligentes eum valide.* — Videlicet Massiliae id confirmatum fuerat, quod audierant, Pipini scopum esse, ut in Pontificis et Ecclesiae favorem exarchatum aliasque civitates suscepto bello Longobardis eriperet. Jam admodum solliciti, student detinere legatum Sedis Apostolicae, ne influxum exercere possit in Pipinum, ipsi vero conantur a suscepto consilio regem dimovere. — *Sed interveniente beato Petro Apostolorum Principe eorum callida ad nihilum redacta est versutia. Itaque unus ex ipsis imperialibus missis, Gregorius videlicet Protosecreta, praecedens Apostolicae Sedis missum celeriter praenominatum Francorum*
Pipini responsum. *assecutus est regem: quem jam in finibus Longobardorum non procul a Papia reperit civitate. Et nimis eum deprecans, imperialia tribuit munera atque plura spondens rogabat, ut Ravennatium urbem vel caeteras ejusdem exarchatus civitates et castra imperiali concederet ditioni. Sed nequaquam valuit firmissimum jam fati christianissimi atque benignissimi fidelis Dei et amatoris beati Petri Apostoli, scilicet antefati Pipini Francorum regis inclinare cor, ut easdem civitates et loca imperiali tribueret ditioni; asserens isdem Dei cultor mitissimus rex, nulla penitus ratione easdem civitates a potestate beati Petri et jure ecclesiae Romanae vel Pontificis Apostolicae Sedis quoquomodo alienari. Affirmans*

etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini saepius dedisset, nisi pro amore beati Petri et venia delictorum suorum; asserens et hoc, quod nulla eum thesauri copia suadere valeret, ut quod semel beato Petro obtulit, auferret. Et haec praedicto imperiali misso reddens in responsis, continuo eum ad propria remeandum per aliam viam absolvit, qui et sine effectu Romam conjunxit.[1])

Expenditur responsum.

57. Ex hisce vides, ab Imperatore Constantino negotiatione diplomatica actum esse, ut Italiae provinciam conservaret; sed merito Pipinus recusavit ipsi reddere eas quas Longobardis eriperet civitates. Imperatores, uti vidimus, jam Italiam contra Longobardos non tuebantur, hique in suam potestatem exarchatum aliasque provincias redegerant. Certe exosam hujus gentis tyrannidem Pontifex atque Itali non tenebantur subire, ac jure in auxilium Gallorum regem vocaverant. Porro si provinciae illae Imperatori graeco redditae essent, brevi eadem rerum conditio rediisset, ac Longobardorum infestatio perdurasset. Imo vidimus vel ipsos Imperatores iconoclastas hostili animo in Pontifices et Italos passim egisse. Jure belli igitur Pipinus poterat vel sub supremo suo dominio illas provincias ut easdem protegeret retinere, vel eas tradere Romano Pontifici, ut sub ejus dominio Itali sui juris essent. Jam vero Francis motivum, cur bellum susciperent, erat Pontificis et Ecclesiae defensio, atque ea ratione apprime ordo rerum in Italia videbatur posse constitui ac servari, ut concederentur S. Sedi provinciae vindicatæ a Longobardis, protectionem vero perpetuam Francorum reges susciperent. Sapienti consilio Pipinus ac Stephanus jam antea hac ratione omnia disposuerant, consiliumque conceptum feliciter ad finem Pipinus perduxit.

Exitus belli.

58. In *Vita Stephani* apud Anastasium exitus belli suscepti, et donatio S. Sedi facta hisce recensetur: „Dum vero antefatus benignissimus Pipinus Francorum rex Papiam obsidens constringeret civitatem, tunc Aistulphus atrocissimus rex Longobardorum ut veniam illi tribueret

---

[1]) Vita Stephani II. c. 43. 44. 45.

et ab obsidione cessaret, quas prius contempserat conscriptas in foedere reddere civitates, se modis omnibus professus est redditurum. Et denuo confirmato anteriore pacto . . . restituit ipsas civitates praelatas addens et castrum quod cognominatur Comiaclum. De quibus omnibus acceptis civitatibus donationem in scriptis a B. Petro atque a sancta Romana ecclesia vel omnibus in perpetuum Pontificibus Apostolicae Sedi misit possidendam, quae et usque hactenus in archivio sanctae nostrae ecclesiae recondita tenetur. Ad recipiendas vero ipsas civitates misit ipse christianissimus Francorum rex suum consiliarium, id est Fulradum venerabilem abbatem et presbyterum. Et continuo ejus eximietas feliciter cum suis exercitibus Franciam repedavit. Praenominatus autem Fulradus venerabilis abbas et presbyter Ravennatium partes cum missis jam fati Aistulphi regis conjungens, et per singulas ingrediens civitates, tam Pentapoleos quam et Æmiliae, easque recipiens et obsides per unamquamque auferens, atque primates secum una cum clavibus portarum civitatum deferens, Romam conjunxit. Et ipsas claves tam Ravennatium urbis, quamque diversarum civitatum ipsius Ravennatium exarchatus, una cum suprascripta donatione de eis a suo rege emissa in confessione B. Petri ponens, eidem Apostolo et ejus Vicario sanctissimo Papae, atque omnibus ejus successoribus Pontificibus perenniter possidendas atque disponendas tradidit, id est Ravennam, Ariminium, Pisaurum, Concam, Fanum, Cesenas, Senogallias, Æsium, Forum Pompilii, Forum Livii, cum castro Sussubio, Montem Feretri, Acerrem, Agiomontem, Montem Lucati, Serram, Castellum sancti Marini, Bobium, Urbinum, Callium, Lucilios, Eugubium, et Comiaclum. Necnon et civitatem Narniensem quae a duce Spoletino per evoluta annorum spatia parti Romanorum fuerat ablata."

Civitatum traditio.

59. In hac civitatum enumeratione aliquot civitates omissae sunt, quas constat ex documentis illius aetatis, praesertim ex litteris Stephani III, etiam juris S. Sedis fuisse, e. g. Faventia, Imola, Bononia, Ferrara. Eas non statim tradidit Aistulphus, ac postea Pontifices reclama-

runt; unde dixeris auctorem recensuisse civitates traditas ex documento coaevo restitutioni primae per Aistulphum factae. Advertendum est, uti jam innuimus, in documentis illius temporis dici civitates *reddi* ac *restitui* B. Petro, Pontifici, reipublicae Romanae, ecclesiae Romanae. De significatione ejusmodi vocum eruditi passim disputant. *Restitutionis* vocabulum censemus imprimis adhiberi, quatenus Longobardi quod occupaverant cogebantur *dimittere*. Tradebantur civitates Romano Pontifici; restitutionis vocabulum autem eo facilius adhibebatur, quod hac ratione Itali a dominatione violenta nationis peregrinae et exosae liberarentur suique juris fierent. Imo, ut diximus, jam ex aliquo tempore cum in Italia imperialis potestas concideret, ditiones variae provinciae Italae instar reipublicae unius, sub Romani Pontificis summa protectione, se considerabant, ac magis magisque formaverant. Pipini ac Stephani conventione et pacto principatus summus Romani Pontificis jam magis determinatus et firmatus erat. Unde reddendi et restituendi vox eo facilius occurrebat. Significatione autem synonyma vocabula *reipublicae, reipublicae Romanae, Pontificis, ecclesiae* adhibentur. Haud vero alluditur ad antiquam aliquam possessionem Romani Pontificis, vel ad *donationem suppositam Constantini*, quam aliquanto post tantummodo confectam censemus. Explicatio.

60. In illo documento donationis, quantum ex Anastasii relatione concludi potest, haud commemoratur ipse Ducatus Romanus. Is de facto jam auctoritati Pontificis ex aliquo tempore subjectus fuerat, nec in manus Longobardorum inciderat. Imperatoris autem dominatio nomine et umbra quadam adhuc existens per se conciderat, quum Graeci contra Longobardos nullum praestarent auxilium Romanosque sibi relinquerent. Inde quum ab obsidione et expugnatione Longobardorum nonnisi sua resistentia, ac dein Pipini armis liberarentur, necessitate quadam penitus cessavit suprematia Imperatoris, quae cum novo rerum statu per donationem Pipini constituto, consistere haud poterat. Implicite sane, vel etiam forte explicite, Pipinus Romanam urbem, ad quam liberandam bellum susceperat, pa- Ducatus Romanus.

riter Pontifici possidendam vindicavit. Hanc ejus fuisse intentionem eoque modo omnia constituta fuisse, patet ex epistola Romanorum, quum defuncto Stephano (a. 757) et electo Paulo I ejus fratre in Pontificem Pipinus eos monuisset, ut fideli submissione Papae gubernio essent subjecti. Scribit videlicet Senatus populusque Romanus: *At vero in ipsis vestris mellifluis apicibus nos salutari providentia vestra et ammonere praecellentia vestra studuit, firmos nos ac fideles debere permanere erga beatum Petrum, principem Apostolorum et sanctam Dei ecclesiam et circa beatissimum et coangelicum spiritualem patrem vestrum a Deo decretum domnum nostrum Paulum summum Pontificem et universalem Papam. . . . Nos quidem, praecellentissime regum, firmi ac fideles servi sanctae Dei ecclesiae et praelati ter beatissimi et coangelici spiritualis patris vestri, domni nostri, Pauli summi Pontificis et universalis papae consistimus. Quia ipse noster est pater et optimus pastor; et pro salute nostra decertare quotidie non cessat, sicut et ejus germanus sanctae recordationis beatissimus domnus Stephanus papa, forens nos et salubriter gubernans, sicut revera rationales sibi a Deo commissas oves, dum nimirum et mitissimus et vere in omnibus misericors existit. . . . Sed obnixe deprecamur, . . . ut jubeas benignissime regum nosterque post Deum defensor, ita solite decertare ac disponere, ut perfecta sanctae Dei ecclesiae exaltatio et fidei nostrae orthodoxae omniumque nostrum procuretur*[1]) *defensio; petentes et hoc, . . . ut dilatationem hujus provinciae a vobis de manu gentium ereptae perficere jubeatis, . . . quatenus in magna securitatis quiete degere valeamus, et ex hoc aeternum vobis in coelo exoratam retributionis mercedem recipiatis.*[2])

Indoles principatus. 61. Generatim ex illo tempore *principatus civilis* Romani Pontificis plene constitutus apparet, ita ut suprema auctoritate Romam reliquasque provincias et civitates gubernet. Habebat Romanus Pontifex in sua ditione eam

---

[1]) Apud Jaffé habetur *profligetur*, sed lectio genuina videtur esse *procuretur*.

[2]) Cod. Car. ed. Jaffé. ep. 13.

fere auctoritatem et ea jura, quae antea exarcha Ravennatensis nomine Imperatoris habuerat; sed Pontifex proprio nomine iis fungebatur. Multum tamen Pontifex deferebat familiis nobilibus Romanorum, et quum ex circumstantiis variis ejus auctoritas sese evolvisset, minusque determinata eadem esset certis statutis, factiones diversae passim turbas vehementes subsequente tempore excitare potuerunt. Dixeris, Imperatori adhuc remansisse quamdam honoris ac nominis praerogativam. Documentis enim inscribebatur annus regni Imperatoris CPtani, territoria Pontificis respublica quidem Romanorum dicebantur, titulum autem Imperatoris Romani, Augusti Constantinopoli residentes adhuc assumebant.[1])

62. Jam commemoremus varios eventus, qui ad principatum civilem Pontificis firmandum et augendum pertinent. Stephanus II ingentibus pro Ecclesia laboribus perfunctus, die 24 Aprilis anni 757 e vita migravit. In ejus locum die 29 Maii consecratus fuit S. Paulus I illius frater, qui sedit usque ad annum 767. Is confestim datis ad Pipinum regem Francorum litteris electionem suam ei significavit, spoponditque, se cum populo suo permansurum in ea concordia, quam decessor cum Pipino inierat. — In regno Longobardorum post obitum Aistulphi (a. 756) Rachis studuit quidem thronum iterum occupare, sed opera praesertim Romani Pontificis suffultus, sceptrum obtinuit Desiderius dux. Is quamvis Pontifici beneficio devinctus esset, tamen civitates varias secundum pactum ab Aistulpho initum Pontifici reddendas non restituit. Imo mox etiam armata manu provinciam Pentapoleos vastavit, et Constantinum Imperatorem Graecum ad mittendum in Italiam exercitum et inferendum Ravennatibus bellum, promissis ei suppetiis sollicitavit. Tunc Pontifex litteras et legatos ad Pipinum regem direxit, eum rogans, ut Romanae ecclesiae et Urbi auxilium ferret.[2]) Pipinus ad regem Longobardorum legavit fratrem suum Remigium archiepiscopum

Paulus I.

---

[1]) Cfr. Reumont, Gesch. der Stadt Rom. B. II. S. 145 ff.

[2]) Cod. Car. ep. 17 sqq.

Rothomagensem et Autharium ducem, quibus Desiderius respondit, se Paulo Pontifici omnia beati Petri patrimonia, jura etiam, loca, fines, et territoria diversarum civitatum reipublicae Romanorum plenissime restituturum; reipsa partem restituit, reliquam se paulo post redditurum pollicitus.

Constantinus pseudopapa.

63. Anno 767 die 28 Junii ad meliorem vitam evocatus est S. Paulus Papa. Eo adhuc animam agente Toto dux Nepesinus armata manu urbem ingressus, populum ad eligendum fratrem suum Constantinum adhuc laicum compulit, et Georgium episcopum Praenestinum adegit ad eum ordinandum. Constantinus, ut usurpatam sedem conservaret, Pipini regis Francorum gratiam sibi conciliare tentavit, datis ad eum litteris, quibus se quamvis invitum ad summum pontificatum evectum fuisse mentiebatur.[1] Armis fratris sui protectus summum sacerdotium usurpavit tredecim mensibus, post quos, Longobardis a Christophoro primicerio ejusque filio Sergio ad liberandam ecclesiam in urbem evocatis, Toto dux devictus et Constantinus dejectus est. Junxerat Desiderius copiis quas Christophoro Sergioque commiserat Waldipertum presbyterum, isque tunc Longobardorum utilitati deserviens, studuit in cathedram s. Petri evehere Philippum monachum ex monasterio s. Viti evocatum. Sed restiterunt Romani conatibus factionis Longobardicae. Philippus recessit in monasterium suum, et communi cleri et populi Romani consensu in Sedem Apostolicam legitime evectus est die 1 Augusti anni 768 *Stephanus III* Siculus. Non mediocris perturbatio eo tempore Romae orta est ob motus et discordias factionum, quarum altera Longobardis altera Francis addicta erat, atque a multitudine etiam crudelia facinora in Constantinum antipapam ejectum, in Waldipertum aliosque peracta sunt. Stephanus mediis in angustiis positus ista cohibere non potuit; ulterius vero haec referre longum esset.

---

[1] Cod. Car. epp. 44. 45.

64. Paucis tantum juvabit tangere ea, quae acciderunt quum coram synodo episcoporum Italorum et Francorum de causa Constantini pseudopapae ageretur. Petente Stephano III Romam venerant duodecim praesules Galli, inter quos S. Lullus episcopus Moguntinus et Ado episcopus Lugdunensis; cum hisce atque cum multis Italiae praesulibus Pontifex mense Aprili a. 769 synodum celebravit. Constantinus Sedis apostolicae invasor prima sessione magna cum humilitate, quod ipse laicus subito in sedem Apostolicam ascenderit, excusaverat et veniam ac misericordiam supplex petierat. Sed alia in sessione cum arrogantia *nihil novi se fecisse* contendit, allatisque quibusdam exemplis factum vindicare ausus est. „Dum vero, dicitur in *Vita Stephani III,* talia isdem Constantinus persequeretur, illico irati zelo ecclesiasticae traditionis universi sacerdotes alapis ejus cervicem caedere facientes, eum extra eamdem ecclesiam Lateranensem ejecerunt.“[1]) Vehementius auctores quidam synodi praesules ob barbariem crudelem sugillant, inter quos Martens, citans etiam Muratorium, ex contextu opinatur insinuari, ipsos episcopos manus intulisse Constantino.[2]) Rejicit autem interpretationem Em. Hergenröther (K. G. I. 497), per alios, videlicet per ministros synodi, alapis pseudopapam affectum fuisse. Sed qui linguam latinam intelligunt convenient, hunc apprime esse sensum nativum textus et obvium, „alapis cervicem ejus caedere *facientes*“, et arbitrariam omnino esse aliam expositionem. Eo videlicet res reducitur, quod patres synodi, videntes Constantini arrogantem protervium, magna indignatione commoti mandaverint, ut cum ignominia ex ecclesia ejiceretur. Alapas non faciei, sed cervici (retro) impactas fuisse, etiam Martens admittit. Non erat, cur ad Muratorii sententiam provocaret, nam is non accuratius rem examinat, sed tantum breviter eam tangit, ac minus accurate etiam, *faciem* alapis (guanciate) caesam fuisse significat.[3]) — Si cui displicet, rudius Con-

Synodus Romana.

[1]) C. XIX. [2]) Die römische Frage etc. p. 121.

[3]) Scribit Muratori paucis: „I Preti gli diedero molte guanciate, e il cacciarono fuori di quella sacra assemblea.“ Annali a. 769. Possunt

stantinum pseudopapam ob suam proterviam tractatum fuisse, haud laudabimus quidem temporum ejusmodi morem; sed neque pro lubitu facta exaggeranda esse censemus.

Desiderius Longobardorum rex.

65. Desiderius interim rex Longobardorum, vir animi inconstans, aegre ferens fines dominationi Longobardorum positos, civitates Romanae ecclesiae quas adhuc possidebat haud restituit, atque etiam in civitatem Romanam influxum suum firmare studuit, simulque reges Francorum sibi devincire. Aliquanto tempore eo pervenit, ut ipsius Pontificis in agendis libertatem satis constringeret et cohiberet; sed anno 770 Stephanus III litteras direxit ad Carolum et Carolomannum, qui anno 768 Pipino in regno successerant, et ad Bertradam eorum matrem. Interpellavit eos Pontifex, ut Longobardos ad restituenda territoria nondum tradita compellerent, ac vehementer eos monuit, ne alteruter eorum Desideratam filiam Desiderii in uxorem ducerent, neve sororem suam Gisilam in matrimonium traderent Athalgiso Desiderii filio.[1]) Sed amicitia, quae inter Desiderium et reges Francorum existebat, obstabat, quominus hi Pontificis precibus facerent satis. Contra, Carolus non obstantibus monitis Pontificis anno 770 conjugem suam dimisit et filiam Desiderii in uxorem accepit. Sed anno sequente hanc abegit et ad patrem Desiderium fecit reduci. — Obiit Stephanus III die 1. Februarii anni 772.

Hadrianus I.

66. Ad summum pontificatum tunc evectus est *Hadrianus I* Romanus, Cardinalis diaconus, pietate et eruditione insignis, qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 795. Sub hoc Pontifice regnum Longobardorum in Italia exstinctum est, et donatio a Pipino Romanae ecclesiae facta a Carolo M. confirmata. — Quum videlicet Desiderius rex non tantum haud restitueret territoria Romanae ecclesiae, quae injuste detinebat, sed etiam Ravennatensem

---

haec verba Muratorii etiam ita intelligi, ut non per se sed per ministros ista fecerint praesules, quemadmodum ex textu latino revera colligitur.

[1]) Cod. Car. edit. Jaffé, ep. 46. 47.

exarchatum invasisset ipsisque Romanis timorem injiceret. Hadrianus postquam rem cum eo componere frustra tentavit, imploravit pro urbis et populi sui defensione auxilium Caroli M. regis Francorum et patricii Romanorum. Amicitia inter Carolum et Desiderium, repudiata Desiderata, dissoluta jam erat. Misit tamen Carolus primo legatos ad Desiderium, sed cum hac via nihil ab eo impetrasset, auctumno anni 773 Alpes cum exercitu superavit: et Longobardorum copiis ubique profligatis, Ticinum, quo Desiderius confugerat, obsidione cinxit. Tunc Spoletani, Reatini, Firmani, Auximani, Anconitani et Fulginatenses a Desiderii metu liberi Romam confugerunt, Hadrianum papam deprecantes, ut eos in servitium B. Petri et S. Romanae ecclesiae susciperet, praestitoque juramento promiserunt, se in fide Hadriani ejusque successorum fideliter permansuros; quos omnes Pontifex magna cum laetitia suscepit[1]).

67. Interim Carolus M. Romam progressus est, ut ibidem festum Paschatis anni 774 celebraret. Ab Hadriano Papa exceptus non solum donationem a Pipino Romanae ecclesiae factam confirmavit, sed novo diplomate a se et ab episcopis, ducibus et comitibus, qui erant in suo comitatu, subscripto, Romanae ecclesiae donavit totum exarchatum Ravennatensem, insulam Corsicam, provincias Venetiarum et Istriae, ducatus Spoletanum et Beneventanum cum Parma et Mantua. Qua de re Vita Hadriani: „At vero quarta feria (Paschatis) egressus praenominatus Pontifex cum suis Judicibus tam cleri quamque militiae in ecclesia beati Petri Apostoli, pariterque cum eodem rege se ad loquendum conjungens, constanter eum deprecatus est, atque admonuit et paterno affectu adhortari studuit, ut promissionem illam quam ejus sanctae memoriae genitor Pipinus rex et praecellentissimus Carolus cum suo germano Carolomanno, atque omnibus Judicibus Francis fecerunt b. Petro et ejus Vicario sanctae memoriae domno Stephano juniori Papae, quando in Franciam perrexit, pro

Caroli M. donatio.

[1]) Cfr. Anastas. Bibl. Vita Hadriani cc. 32. 33.

concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiae provinciae et contradendis b. Petro ejusque omnibus Vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. Quumque ipsam promissionem quae in Francia in loco qui vocatur Carisiacus facta est sibi relegi fecisset, complacuerunt illi et ejus Judicibus omnia quae ibidem erant adnexa, et propria voluntate, bono ac libenti animo aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus praecellentissimus et revera christianissimus Carolus Francorum rex adscribi jussit per Etherium, religiosum ac prudentissimum Capellanum et Notarium suum, ubi concessit easdem civitates et territoria b. Petro, easque praefato Pontifici contradi spopondit per designationem confinium: sicut in eadem donatione continere monstratur, id est, a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardone, id est in Verceto, deinde in Parma, deinde in Rhegio et exinde in Mantua, atque monte Silicis, simulque et universum Exarchatum Ravennatium sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istriam, necnon et cunctum ducatum Spoletanum et Beneventanum. — Facta eadem donatione, propria manu ipse christianissimus Francorum rex eam corroborans, universos episcopos, abbates, duces et grafiones in ea adscribi fecit. Quam prius super altare beati Petri, et postmodum intus in ejus sancta confessione ponentes[1]), tam ipse Francorum rex, quamque ejus judices beato Petro et ejus vicario sanctissimo Hadriano papae, sub terribili sacramento sese omnia conservaturos quae in eadem donatione continentur promittentes, tradiderunt. Apparem vero ipsius donationis per eumdem Etherium adscribi faciens ipse christianissimus rex, intus super corpus beati Petri, subtus evangelia quae ibidem continentur et osculantur, pro firmissima cautela et aeterna nominis sui ac regni Franco-

---

[1]) „Syngraphae continentes pias donationes imponi altaribus solebant, ut inde robur majoris validitatis acciperent. Sic pueris Deo oblatis manus altarium mappis obvolvebantur.“ Vignoli, nota ad hunc locum Libri Pontificalis.

rum memoria, propriis suis manibus posuit; aliaque ejusdem donationis exempla per scriniarium hujus nostrae sanctae Romanae ecclesiae adscripta ejus excellentia secum deportavit." [1]) De hujus donationis extensione et authentia inferius agemus.

68. Ad Longobardos quod attinet, Carolus M. obsidionem Papiae prosecutus urbem et Desiderium regem mense Junio anni 774 subegit, omnemque ditionem Longobardorum sceptro suo adjunxit. Desiderium secum in Galliam duxit, ibique in monasterio custodiri jussit. Leodii eum pietatis exercitiis intentum vixisse et mortuum esse, ab auctoribus passim traditur. Identidem quidem in provinciis seu ducatibus quae ad Longobardorum regnum pertinuerant seditiones contra Caroli dominationem exortæ sunt, sed manu forti ipse easdem repressit. Anno autem 781 filium suum Pipinum constituit regem Italiae seu Longobardiae; ipsum et Ludovicum, alterum filium a Carolo creatum regem Aquitaniae, Hadrianus Papa Romae sacro oleo unxit. Pariter in provinciis Pontifici subjectis passim motus vehementiores excitati sunt, sed plerumque feliciter sedati, ita ut ex illa aetate dominium temporale Pontificis, etsi varia extensione, substiterit. Regnum Longobardorum destruitur.

69. Auctores aliqui contenderunt, Pipinum et Carolum M. tanquam patricios Romanorum supremo principatu in ditionem pontificiam potitos fuisse; sed, uti jam diximus, nullatenus ea fuit patriciatus natura; atque cum factis historicis ista sententia pugnat. Romani enim Pontifices omnino ut principes independentes ac supremi agebant, ipsi cum Longobardis, Graecis et Francis negotia publica pertractabant, ipsi in ditione sua judices et magistratus instituebant ac deponebant, summaque potestate legislativa, judiciaria et executiva fungebantur. Conveniebat quidem etiam patriciis quaedam jurisdictionis potestas, sed extraordinaria ea erat atque a Pontifice dependens, quatenus passim ipsum protectionis et defensionis officium tale jurisdictionis exercitium requirebat, maxime quando factio- Patriciatus Caroli M.

---

[1]) Cc. 41. 42. 43.

nes Romanorum contra Pontifices motus et perturbationes excitabant. Romani primario ad fidelitatem erga Romanum Pontificem obligabantur, secundaria quadam ratione erga patricium, quatenus hic principatum civilem Pontificis defendebat ac protegebat. Plerumque patricii eorumque delegati nonnisi petente Pontifice in negotiis publicis interveniebant; ipsi providebant, ut donationis pacta executioni mandarentur, armis jura Pontificis protegebant, etiam contra factiones varias Romae existentes hunc tuebantur, et interdum pro reis apud Pontifices intercedebant. Et quamvis limites honoris, muneris et potestatis patriciorum haud ita accurate determinati essent, et patricii vel imperatores passim eos excederent, citra dubium tamen positum est, principatum civilem in ditionem pontificiam non iis, sed solis Pontificibus convenisse.[1])

Extensio donationis.

70. Superest ut de *extensione donationis,* quae a Pipino et Carolo M. Romanis Pontificibus facta est, aliquanto accuratius agamus, simulque examinemus accusationes quasdam in Pontifices illius temporis latas. Illud imprimis inter omnes constat, a Pipino et Carolo post devictos Longobardos R. Pontifici exarchatum Ravennatensem cum Pentapoli vindicatum fuisse, cui accedebat Roma ejusque ditio seu ducatus Romanus. Sed vidimus, in vita Hadriani (c. 42) ita describi donationem a Carolo a. 774 Romae firmatam, ut major esset territorii extensio. In eadem enim etiam insula Corsica, provincia Venetiarum et Istria, necnon cunctus ducatus Spoletinus et Beneventanus comprehenduntur. Simul autem enarratur, Carolum sibi relegi fecisse promissionem quae facta fuerit a Pipino Carisiaci (a. 754), et ad instar illius promissionis novam donationem *qua concessit* (Carolus) *easdem civitates et territoria beato Petro*, confectam fuisse.

Fragmentum Fantutianum.

71. Promissionem illam Carisiaci factam spectat documentum quod *Fragmentum Fantutianum* solet appellari; eodem videlicet relatio eorum quae Carisiaci statuta sint, continetur.[2]) Inscribitur hoc documentum: „Pactum sive

[1]) Reumont. Gesch. der Stadt Rom II. p 147 sqq.

[2]) Hoc documentum desumptum est ex archiviis reipublicae Venetorum. A gubernio Venetorum videlicet a. 1500 collectio confecta est

promissio facta per Pipinum patricium Stephano secundo pontifici. Pipinus Gregorio pontifici."[1]) Describitur dein primum, qua ratione ad illam conventionem seu promissionem faciendam Pipinus motus sit, atque consensus Imperatoris, ut Pontifex ad Francos se verteret, commemoratur. „Dum post multas, dicitur, iniquissimas calamitates et imminentes tribulationes, quae ab impia Longobardorum gente sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae ejusque ditione subsistentibus populis quotidie prolixius inferebantur, summus et beatissimus ejusdem almae sedis pontifex, Stephanus nomine, imperatorem Constantinopolitanum nomine Leonem[2]) per suos legatos accessit, absensus (*obsecrans?*) ab eo, qui et commutationis admittens adminicula tertio appetisset, et ne ab illo sicut et decessores sui almi pontifices capsatas angustias fieri voluisset[3]), petit, ut se reso[ciari] amicitiae licentiam haberet, vel quidquid vellet circa hoc regnum per patronatum defensionemque nominis nostri eligamini (?) sibi suisque eligere salute valeret. Cujus petitionis, intercedente eodem clavigero regni coelorum, idem imperator adsensum praebens

documentorum numero 270, quae majoris momenti erant, inscripto titulo: „Series litterarum, privilegiorum et pactorum Pontificum, Imperatorum et aliorum Principum ad Venetorum ducatum et ecclesias spectantium, ab anno 700 circiter usque ad 1400." Haec collectio aliquando in possessione erat viri patricii Venetorum Bernardi Trevisani, unde et *Codex Trevisanus* appellata est; ad manus aliorum dein pervenit, atque modo ipse codex originalis deperditus est. Sed duo supersunt exempla ex eo descripta (apographa), manca quidem eadem et mendis vitiosa. Ex uno apographo documentum de quo agimus primum publicavit *Fantuzzi* a. 1804, in suis *Monumenti Ravennati*, t. VI. p. 204 sqq., indeque *fragmenti Fantutiani* nomen. Deinde ex apographo Venetiis ad S. Marcum conservato illud edidit *Troya* in *Codice Longobardico* t. IV. p. 503 sqq. V. Rohrbacher-Kellner B. XI. p. 359 nota 4 — Etiam Martens in opere jam citato p. 269 totum fragmentum Fantutianum edidit.

[1]) Lapsu quodam vel errore, qui descripsit loco Stephani Gregorium posuit.

[2]) Intelligendus est Leo IV Constantini Copronymi filius, qui inde ab a. 754 cum patre imperium tenebat.

[3]) Forte: ne capsatus, i. e. coarctatus angustiis fieri sineretur ab Imperatore.

litteris suis, non solum Romanis, sed et Nobis innotuit, quod eidem pontifici concessae[*am*] haberet licentiam amicis, et tutorem sanctae suae ecclesiae senatuique Romano atque cuncto exarchatui Italico illi subjacenti patrono foederis roborationis firmare, quantum se plurimis tribulationibus auctum hinc inde circa vicinitatem suam perferebat.[1]) Igitur per legatum ejusdem imperatoris nomine Marino utraeque Nobis epistolae oblatae sunt: insuper etiam Apostolici epistola in qua continebat ac insinuat praecepta Dei omnipotentis ejusque coelestis janitoris magni apostoli Petri, inter illi pacificum nos adusque properandi, qua parcisemus."[2]) Exponitur porro, cum Aistulpho Longobardorum rege frustra de pace tractatum esse, Pontificem vero regi supplicasse, ut jam armis ecclesiae Romanae subveniret. Hinc procerum conventum post octavas Paschae convocatum fuisse. Dein sequitur ipsa promissio. „Cumque jussum nostrum fuisset impletum et omnes eadem die coram Nobis adstarent, statuimus cum consensu et clamore omnium, ut III. Kal. Maiarum in Christi nomine hostilitatem Longombardiam addissemus; sub hoc, quod pro pactionis foedere, per quod pollicimus et spondemus, tibi beatissimo Petro, clavigero regni coelestis et principi apostolorum, et pro te huic almo Vicario tuo Stephano, egregioque Papae summoque Pontifici, ejusque successoribus usque in finem saeculi, per consensum et voluntatem omnium Imperator, (forte *episcoporum*) abbatum, ducum, comitum Francorum, quod si Dominus Deus noster pro suis meritis sacrisque precibus victores nos in gente et regno Longobardorum esse constituerit, omnes civitates atque ducata seu castra, sicque insimul cum exarchatu Ravennatum, necnon et omnia, quae pridem tot per imperatores (forte

---

[1]) Textum Martens ita corrigit: „quod eidem Pontifici concessam haberet licentiam amicitiam nobiscum contrahere, et sanctae suae ecclesiae senatuique Romano atque cuncto exarchatui Italico illi subjacenti patronatum foederis roboratione firmare, quando tribulationes hinc inde circa vicinitatem suam perferret."

[2]) Martens corrigit ita: „inter illos nos pacifice operandi, in quantum potuissemus."

imperatorum) largitiones subsistebant ditioni, quod specialiter inferius per adnotatos fines fuerit declaratum, omnia quae infra ipsos fines fuerint ullo modo constituta vel reperta, quae iniquissima Longobardorum generatione devastata, invasa, subtracta ullatenus alineata sunt, Te (*Tibi*) Tuisque vicariis sub omni integritate æternaliter concedimus, nullam nobis nostrisque successoribus infra ipsas terminationes potestatem reservatam, nisi solummodo, ut orationibus et animae requiem profiteamur et a Vobis populoque Vestro Patricii Romanorum vocemur. — Incipientes ab insula Corsica eandem insulam integriter, deinde a civitate Pistoria, inde in Lunis, deinde in Luca, deinde per monasterium S. Viviani in monte Pastoris, inde in Parma, deinde in Regio, inde in Mantua, deinde in Verona, inde in Vicentia, deinde in monte Silicis, deinde per Bituneas (*paludes Padi?*) Ducatum Venetiarum et Istriae integriter, cum omnibus civitatibus, castris, oppidis, villis, parrochiis, ecclesiis eis subsistentibus, deinde Adrianensem civitatem, in Cumaclum, deinde in Ravenna cum ipso exarchatu sine deminutione, Emiliam, Tuscias ambas, Longobardorum et Romanorum, Pentapolim, Monteferetrum, Urbinum, Callis, Lucioli, Eugubium, Esium, Auximum, deinde in ducatu Spoletino integriter, ducatum Perusinum integriter, Bulimartium, . . . (habetur hic lacuna, *Bleramque* positam fuisse censent eruditi), Narni, Utricolum, Marturanum, Castrum Vetus, Collinovo, Selli, Populonia, Centumcella, Portus et Hostia, deinde Campagnia integriter, Anagnia, Signis, Frisilionis, Piperni, Verulum, Patrica et Castrum Nebitar, Terracina, Fundi, Spelunca, Gaëta. — Et si idem Dominus Deus noster nobis Beneventum et Neapolim subdere dignatus fuerit, integriter tibi, beatissime apostolorum Petre, omnia praelata loca concedimus, i. e. Emiliam, Pentapolim, Tuscias ambas, Ducatum Perusinum, ducatum Spoletanum cum omnibus civitatibus, castris, atque monasteriis, episcopatibus sub hujusmodi jurejurando, sic et sic, et caetera.“ Subsequentes porro scriptores, uti Leo Ostiensis saeculo XI in Chronico Cassinatensi, Deusdedit Cardinalis in Col-

lectione canonum eodem saeculo, et Cencius Camerarius in Codice censuum saeculi XIII, eadem ratione donationem describunt, anterioribusque monumentis ipsi manifeste usi sunt.

Controversia exorta.

72. Sed vehementior nostris diebus orta est de *Fragmento Fantutiano*, ac de relatione in *Vita Hadriani* contenta, controversia; horum documentorum genuitatem videlicet negantes, sunt qui *donationem* illam confictam esse statuunt. Non aliam donationem Romanis Pontificibus factam esse existimant, nisi illam quae ex pace a. 754 vel 756 inter Stephanum ac Pipinum et Aistulphum Longobardorum regem inita colligitur, qua videlicet Exarchatus Ravennae cum variis civitatibus concessus est. Caeterum tantummodo generale quoddam caritatis et amicitiae fœdus inter Romanos Pontifices et Pipinum ac Carolum exstitisse; illos vero eodem foedere innisos, ac studio dilatandi dominii sui ductos, passim etiam ultra limites huic vinculo institisse, ut varia territoria sibi acquirerent. *Donationem* autem vulgatam spuriam esse.[1]) — Qua quidem in re advertendum est, ea praesertim esse consideranda, quae in *Vita Hadriani* continentur. Conveniunt enim haec cum iis, quae in *Fragmento Fantutiano* habentur, adeoque etiamsi de hujus *Fragmenti* valore certa sententia haberi non posset, tamen, nisi probetur, etiam ea quae in *Vita Hadriani* obveniunt esse falsa, vel capita illa tria esse interpolata, veritas *donationis* subsisteret. Atque Sybel existimat, ipsum auctorem *Vitae Hadriani*, qui scripserit primis decenniis saeculi noni, ut Romanorum Pontificum ambitioni serviret, finxisse illa, quae in ea parte *Vitae Hadriani* habentur[2]); Martens vero censet, non ab auctore *Vitae* ista conscripta, sed post a falsario eadem inserta fuisse.[3]) Argumentis internis praecipue sententiam suam firmare nisi sunt. Singillatim ea discutere longum foret, praecipua tamen

---

[1]) Cfr. H. von Sybel, Die Schenkungen der Karolinger an die Päpste. Histor. Zeitschrift B. 44. (1880) S. 47. — Martens, die römische Frage etc.

[2]) L. c. p. 83. [3]) L. c. p. 283 sqq.

quae ab illis auctoribus afferuntur, ponderare non abs re esse videtur.

73. Advertunt itaque, mirum nimium et plane incredibile videri, quod Pipinus fecerit et Carolus renovaverit ejusmodi donationem, qua concederentur Pontifici territoria quam plurima, quae non solum nondum occupata erant, sed quorum aliqua ne a Longobardis quidem debellandis possidebantur, at dominio Imperatoris subjecta erant. Intelligi quidem, quod Pipinus consilium ceperit, exarchatum Ravennatensem ac Pentapolim Pontifici vindicandi, quodque devictis Longobardis has provincias rex Sedi Apostolicae donaverit. Sed prorsus improbabilem esse donationem vel promissionem ejusmodi extensionis, uti in citatis illis documentis indicatur. Pontifices porro, dum subsequentibus annis jura sua vindicent, non provocare ad donationem aliquam Carisiaci factam, sed ad pactum pacis cum Aistulpho auctumno anni 754, (vel a. 756), quum devictus jam esset, initum. A Carolo etiam a. 774 tantummodo generale amicitiae fœdus cum Hadriano Pontifice renovatum esse, nullatenus vero sub jurejurando ejusmodi donationem uti in *Vita Hadriani* refertur factam. Id vel ex eo luculenter colligi, quod Carolus postea nihil fecerit, ut talem suppositam donationem perficeret. Imo ducatum Spoletanum, etsi jam per aliquod tempus ex libera ditione sub suprema potestate Hadriani fuisset, Carolum suo dominio submisisse; pariterque etiam ducatum Beneventanum illum non Pontificis potestati submisisse, sed ut imperii feudum habuisse. Perjurii igitur turpissimi Carolum M. reum videri, si donatio illa authentica censeatur.

Argumenta contra donationem.

74. Ut haec ad examen criticum revocemus, imprimis observare convenit, quamvis in iis quae Pipini et Caroli donationem eorumque agendi modum spectant, aliquid obscurum et difficile explicatu inveniretur, tamen propterea non posse documenta quae in quaestionem vocantur ut spuria haberi, nisi adsint motiva gravia. Jam vero maxime quoad illa capita *Vitae Hadriani* nullum solidum indicium adest, ut supposita censeri possint, ac nimis etiam

Examen criticum.

arbitrarium est, statuere, ab ipso auctore *Vitae* conficta fuisse quae enarrat. Unde merito varii auctores graves, uti Reumont ac Niehues, haud obstante illa quae ipsis adesse videbatur difficultate, narrationem eam rejici non posse censuerunt. — Caeterum difficultates istae satis solvi posse nobis videntur, si haec advertantur.

Vindicatur donatio.

75. Quum rerum experientia jam constaret, a Longobardorum regibus dominationi totius Italiae inhiantibus continua pericula Romanis imminere, nec Italiae paci provideri efficaciter posse, nisi gentis illius exosae potestas admodum restringeretur: apprime intelligitur, Pipinum habita cum Stephano deliberatione a. 754 amplissimum consilium iniisse. Intendit videlicet, quemadmodum jam innuimus, ut Longobardos coarctaret ad eas possessiones, quas Alboinus in Italia superiori sibi acquisiverat, reliqua vero territoria quae a Longobardis paulatim Græcis erepta erant, vel quae rejecta Imperatorum iconoclastarum tyrannide, jam Pontificis ditioni se junxerant, sub dominio immediato vel mediato R. Pontificis constitueret. — Pauca dicamus de aliquot territoriis, quorum mentio majorem parare videtur difficultatem. Nomine *ducatus Venetiarum* intelligitur territorium Venetiarum in terra continente, quae sub dominio Longobardorum erat. — *Istriae* incolae jam dudum contra Imperatores iconoclastas surgentes, Pontificis protectionem expetierant. Advertendum vero est, eo tempore Eutychium exarchum, quum a. 751 Ravenna a Longobardis capta esset, mox ad Longobardorum partes transiisse, et sub protectione summoque dominio Longobardorum, principatum sibi vindicasse in Istriam, Faventiam, et Ferrariam.[1]) Unde et istae regiones sub potestate mediata Longobardorum tenebantur. — *Ducatus Spoletanus et Beneventanus* a ducibus regebantur, qui feudatarii erant regum Longobardorum; sed jam antea ut contra violentias Luitprandi et Aistulphi se tuerentur, amicitiam et fœdera cum Romanis Pontificibus inierant. Intendebat igitur Pipinus, ut destructa regum Longobardorum dominatione in

---

[1]) V. Sybel l. c. p. 50.

illis partibus, duces illi vasalli fierent R. Pontificis. — Qualis fuerit conditio *Corsicae* insulae, non clare liquet. Fortasse derelicta a Graecis et Maurorum incursione infestata, haec insula Pontificum protectionem expetierat.[1] Caeterum hanc insulam partem fuisse donationis R. Pontificibus a Carolo factae, colligitur ex verbis Leonis III in epistola ad Carolum M.: „De autem insula Corsica, unde et in scriptis et per missos vestros nobis emisistis, in vestrum arbitrium et dispositum committimus. Atque in ore posuimus Helmengaudi comitis: ut *vestra donatio* semper firma et stabilis permaneat."[2] Sunt quidem qui existimant, donationem cujus hoc loco mentio fit, spectare patrimonia Romanae ecclesiae in illa insula, sed juxta sensum obvium Carolo in mentem revocatur donatio insulae ipsius aliquando facta. — Quod ad *Neapolim* spectat, quae in *Fragmento Fantutiano* inter territoria promissa recensetur, advertendum est, in *Vita Hadriani,* dum provinciæ donationis Caroli M. recensentur, Neapolim non nominari. Unde admodum dubium est, utrum revera in promissione Carisiaci facta etiam Neapolis comprehenderetur. Haud tanta enim est illius documenti per se spectati auctoritas, ut constet, omnino accurate indicari ea quae in promissione Pipini continebantur; sed potius ad normam narrationis quae in *Vita Hadriani* habetur ista relatio exigenda est. Caeterum cl. Balan censet, etiam Neapolim revera inter illa territoria promissa recenseri, quum Neapolitani jam antea, rejecta tyrannide Imperatorum iconoclastarum, Romani Pontificis protectioni sese commiserint.[3])

76. Quodsi vero Stephanus II ejusque successores usque ad Hadrianum in suis ad Pipinum et Carolum litteris, provocent ad illam pacis conventionem quae annis 754 et 756 cum Aistulpho inita erat, inde nullum argumen- Solvuntur objecta.

---

[1]) Ad rem Balan: „E forse la Corsica stessa fu aggiunta agli altri paesi perchè, abbandonata dai Greci, corsa dai Saraceni, avrà richiesto la protezione pontificia, nè in tanta mancanza di documenti è vietato credere che essa pure ai tempi del Isaurico si fosse tolta a' Greci." Storia d'Italia, V. II. L. XIII. n. XXVI.

[2]) Leonis III ep. 1. Cod. Carol. ed. Jaffé, p. 308. [3]) L. c.

tum contra donationem seu promissionem anteriorem Carisiaci factam deduci potest. Etenim per illam pacem cum Aistulpho petente Stephano II initam, promissio seu donatio anterior veluti suspensa erat. Quum Pontifex horreret ulteriorem effusionem sanguinis, ab anterioribus consiliis recedens regem movit, ut pax concluderetur conditionibus multo benignioribus pro Longobardis. In eadem tantum exarchatus Ravennatensis Romano Pontifici tradebatur. Ita Stephanus paratus erat denuo experimentum facere, utrum hac ratione a Longobardorum infestationibus Romani securi degere possent. Haud mirum igitur, si novis difficultatibus ex parte Longobardorum ortis, Romani Pontifices ad pacta illa in litteris suis provocaverint. Utrum singula quae in litteris illis habentur, spectent hoc pactum, an vero promissionem Carisiaci factam, accuratius examinare, longum foret, nec una est auctorum sententia. Brunengo advertit, codicem quo regerentur Pontificum et Longobardorum jura inde a pace cum Aistulpho a. 754 inita usque ad bellum anni 774, fuisse illam conventionem cum Aistulpho, nec alia petiisse Pontifices, nisi quae in ista pacis conventione habebantur, adeoque ad eam spectare varia quae in epistolis Pontificum continentur.[1]) Videtur tamen passim etiam anterior illa promissio tangi. — Sed certe quum viginti annorum novo experimento constitisset, Longobardos haud cessare ab infestatione Pontificum, quumque Carolus rex bellum contra illos suscepisset et jam eo res adduceretur, ut totum regnum Longobardorum destrueretur: veluti per se primae Pipini promissioni seu donationi insitus valor redibat. Unde rerum adjunctis maxime consonum erat, ut quum Carolus tempore Paschatis a. 774 Romam venisset, Hadrianus illud documentum proferret, Carolus vero patris donationem confirmaret et renovaret. Proinde quae ab auctore *Vitae Hadriani* narrantur, apprime cum circumstantiis rerum conveniunt.

---

[1]) *Le origini etc.* p. 236 sqq., et *L'ultimo dei re Longobardi,* Civiltà cattol. 1863; V. 6. p. 691.

77. Asserit Martens, a Carolo renovatum tantummodo esse caritatis et amicitiae foedus antea cum Pipino initum, illudque pactum exhiberi illis verbis *Vitae Hadriani c. 38*: „Conjungenti vero eodem excellentissimo ac benignissimo Carolo rege, omnes gradus singillatim ejusdem sacratissimae beati Petri ecclesiae deosculatus est, et ita usque ad praenominatum pervenit pontificem: ubi in atrio super gradus, juxta fores ecclesiae assistebat: eoque suscepto, mutuo se amplexantes, tenuit christianissimus idem Carolus rex dexteram manum antedicti pontificis: et ita in eandem venerandam aulam beati Petri principis apostolorum ingressi sunt." Illam manuum junctionem igitur eo spectasse, ut amicitiae et defensionis foedus confirmaretur.[1] — At revera isto loco nullo modo agitur de aliquo foedere vel pacto, sed tantum describitur, quomodo more peregrinorum humiliter Carolus advenerit, et ab Hadriano congruis amicitiae signis receptus sit. Sensus obvius et contextus, aliaque loca parallela in *Vitis* aliorum Pontificum id ostendunt. Carolus videlicet, qui jam pedes inde a Monte Mario ad s. Petrum progressus erat, genuflexus more peregrinorum omnes gradus (triginta quinque) qui ad basilicam ducebant osculatus est. In atrio super gradus autem magno cum gaudio regem excepit Hadrianus Pontifex, eumque amplexus est. Dein simul ingressi sunt ecclesiam s. Petri, ita ut rex manum dexteram Pontificis teneret. Haud mihi videtur hic agi de contactu manuum, ac si rex dexteram manum Hadriani in sua manu habuisset, sed significari tantum censerem, regem fuisse ad dexteram manum seu latus Pontificis. — Simili plane ratione etiam in Vita Sergii II Pontificis (a. 844—847) narratur, quomodo Ludovicus Lotharii Imperatoris filius ad basilicam s. Petri accesserit et a Pontifice receptus sit. „Conjungente vero eodem rege (Ludovico), universosque gradus ejusdem sacratissimae beati Petri ecclesiae ascendente, ad praenominatum propinquavit pontificem, qui in atrio super gradus juxta fores ecclesiae cum universo clero et populo

Caroli pactum.

[1]) L. c. p. 136.

Romano assistebat. Tunc mutuo sese complectentes tenuit idem Ludovicus dexteram antedicti pontificis, et in interius ingressi atrium, ad portas pervenerunt argenteas."[1])

Epistolae Pontificum.

78. Nullatenus igitur narratio adventus Caroli quae c. 38 *Vitae Hadriani* habetur, pertinet ad aliquod pactum amicitiae designandum. Sed ad illam conventionem seu donationem, quae c. 41—43 *Vitae Hadriani* habetur, manifeste referuntur plura, quae in epistolis Pontificum postea ad Carolum datis occurrunt. Ita in epistola 54ª Hadriani dicitur: *Magnam habemus fiduciam in vestri cordis constantia, celeriter vos omnia perfecturos esse, quae eidem apostolo apostolorumque principi spopondisti.*[2]) Et in epistola 56ª: *Cuncta perficere et adimplere dignemini, quae sanctae memoriae genitor vester domnus Pipinus rex beato Petro una vobiscum pollicitus et postmodum tu ipse, a Deo institute magne rex, dum ad limina apostolorum profectus es, ea ipsa spondens confirmasti, eidemque apostolo praesentialiter manibus tuis eamdem obtulisti promissionem.*[3]) Ejusmodi verba non nisi violenta interpretatione de foedere quodam indeterminato caritatis explicantur, sed obvio et naturali sensu omnino designant talem promissionem ac donationem uti in *Vita Hadriani* refertur, quam Carolus *praesentialiter manibus suis* apostolo Petro *obtulerit.*

Executio incompleta.

79. Immerito autem donatio Caroli inde in dubium vocatur, quod postea ipse promissionem suam quoad aliqua territoria, e. g. quoad ducatum Spoletanum ac Beneventanum. et quoad insulam Corsicam non impleverit. Haud

---

[1]) Vita Sergii II c. X. — Advertit Brunengo, utroque loco expresse dici, regem tenuisse dexteram Pontificis, non quod laeva, uti quidam censuerunt, nobilior haberetur. Sed locus honoris determinabatur manu eorum qui ex adverso spectabant ingredientes, ita ut qui ad dexteram ex parte spectantium conspiceretur, locum honoris teneret. Hunc locum itaque habebat Pontifex, quum spectantes ad ipsorum dexteram viderent Pontificem, regem vero ad sinistram. V. L'ultimo dei re Longobardi l. c. p. 682, nota 2.

[2]) Cod. Carol. p. 181.

[3]) Cod. Carol. p. 186. — Cfr. etiam epp. 53. 55. 57. 59. 63.

in omnibus quidem censemus Carolum suae stetisse promissioni, quin tamen formalis perjurii propterea arguendus sit. Difficile est, accurate rerum conditionem in variis territoriis cognoscere, et ea determinare, quae executioni fideli promissionis obfuerunt, nec hujus loci est per singula haec inquirere. Dixeris, ex una parte humani quid passum esse Carolum, dum non in omnibus donationem suam exsecutus est; ex altera parte Romanos Pontifices indulgentia quadam esse usos, dum eum, a quo multa acceperant, non vehementius urgebant ad omnia promissa complenda. Non ducebatur quidem Carolus Magnus vili et vulgari possidendi cupidine, nec tamen carebat ambitione illa, quae maxime heroum animis veluti ex nativa dispositione insita est.[1]) Quum vero status rerum in Italia esset valde turbatus, difficilia rerum adjuncta et pericula varia, facilius sibi persuadere poterat, ob bonum publicum et regnorum firmitatem convenire, ut quaedam territoria Romanis Pontificibus ut feuda promissa, uti ducatus Spoletanus et Beneventanus, immediate suo subessent supremo dominio, adeoque aequum non esse, ut quoad haec exigeretur donationis completa executio. Romani Pontifices autem quum iteratis vicibus frustra petiissent, ut promissio integra executioni daretur, dein consultius habuere, ut minus rem urgerent et indulgentia quadam uterentur. Eo pertinere videntur verba illa Leonis quoad insulam Corsicam: „De autem insula Corsica . . . *in vestrum arbitrium et dispositum committimus.* Atque in ore posuimus Helmengaudi comitis: ut vestra donatio semper firma et stabilis permaneat et ab insidiis inimicorum tuta persistat.“[2]) Caeterum tum a. 781 quum Carolus iterum Romam venisset, tum aliis occasionibus, mutuo quodam consensu varia quae illam donationem et quaedam territoria specta-

---

[1]) Cfr. Balan. Storia d' Italia. Tom. II. L. XIV. n. 6.

[2]) Leonis ep. 1. Cod Carol. p 309. — In Annalibus Eginhardi ad a. 806 legitur: „Eodem anno in Corsicam insulam contra Mauros qui eam vastabant, classis de Italia a Pipino missa est, cujus adventum Mauri non exspectantes abscesserunt.“ Ex his colligitur, eo tempore Corsicam sub Caroli dominatione fuisse.

bant, disposita esse videntur. — Quaedam alia argumenta quae contra veritatem narrationis *Vitae Hadriani* quoad donationem Caroli afferuntur, haud ulterius prosequemur. Ex dictis jam colliges, ea quae opponuntur vim non habere.[1])

Fragmentum Fantutianum. 80. Ad *Fragmentum Fantutianum* quod attinet, haud exhibere quidem videtur verbotenus ipsam conventionem quae Carisiaci facta est, adeoque non est aliquod exemplar illius pacti. Sed continetur hoc documento relatio vetustissima de iis quae Carisiaci acta sunt, ac de promissione a Pipino facta. Ipsa dictio Latina admodum barbara, Longobardorum indicat tempora, et varia adjuncta minuta quae commemorantur ostendunt, genuinam esse relationem; quae a scriptore referuntur, ex aliis fontibus, uti ex Libro pontificali confirmantur. Hisce indicia continentur, haud confictam esse illam relationem. Quum Leonis (IV) Imperatoris mentionem faciat, facile crediderim, scriptorem versus finem saeculi octavi, vel sub hoc Imperatore (775—780) vel paulo post, ex documentis quæ ipsi prae manibus erant, eam relationem confecisse. — Itaque quum ea quae in hoc *Fragmento* habentur conveniant cum iis quae in *Vitis Stephani* et *Hadriani* referuntur praecipue quoad donationem de qua agimus, quum varia indicia interna authentiae documenti faveant, argumenta autem quae opponuntur, (similia iis quae contra relationem donationis Caroli in *Vita Hadriani* afferuntur), infirma nobis videantur: *Fragmentum Fantutianum* haud rejiciendum, sed admittendum esse existimamus.[2]) Sed, uti jam innuimus, quaestio de donatione Romanis Pontificibus facta maxime ex iis solvenda est, quae in *Vita Hadriani* habentur.

81. Etsi ex dictis jam colligatur, Romanos Pontifices in iis quae pertinent ad institutionem principatus civilis

---

[1]) Plura vide ap. *Niehues*, Schenkungen der Karolinger an die Päpste, Histor. Jahrbuch 1881, II. 1. et 2; et *Hüffer*, Aechtheit der Schenkung von 774 ibidem II. 2. p. 242.

[2]) Cfr. Rohrbacher-Kellner XI. p. 359. n. 4.

ipsorum violati juris officiive argui non posse, tamen ob repetitas in illos querelas pauca addere juvabit. — Martens de Stephano II severam admodum profert sententiam. Denegari quidem non posse ait, hunc Pontificem in arte politica se ostendisse valde perspicacem et, nimium forte, versatum, caeteroquin ejus agendi modum reprobandum esse. Propositum fuisse Stephano, ut ope Pipini acquireret dominium temporale a Byzantii Imperatore independens, et quamvis brevis fuerit ejus pontificatus, tamen magna parte scopum ipsius fuisse obtentum. Sed media adhibita non esse laudanda. Parum Pontifice dignas videri illas epistolas, quibus abusu quodam artis rhetoricae et interpretationis audacis Pipinum movere studeat, atque nec adulationis nec minarum poenae futurae subsidia spernat, ut regem ad praesidia praestanda adducat. Nullum Stephano fuisse juris titulum, quo exarchatum sibi vindicare potuerit, at legitimum jus penes Imperatorem fuisse, ut sibi provincia illa restitueretur, suaque postulatione hunc satis ostendisse, se juri suo non renuntiare. Adeoque cum regulis morum Pontificis acta non convenire, eo vel minus, quod is fictione dolosa initio se gereret ut mediatorem inter Imperatorem et Aistulphum Longobardorum regem.[1]

Carpitur Stephanus II R.P.

82. Rerum expositione haec maxima parte jam sunt praeoccupata. Quod durissima necessitate adactus Stephanus praedecessorum vestigia premens ad regem Francorum se verterit, profecto merito potius ei vertendum, quam culpae. Haud vero apparet, Stephanum inde ab initio jam definitivo modo statuisse animo suo, qua ratione exinde res disponendae essent. Unde simulationi neutiquam adscribendum, si aliquando mediatorem veluti agere conatus est inter Imperatorem et regem Longobardorum. Quum ejusmodi conatus, quod fere praevideri poterat, irriti fuissent, et Stephano jam in Galliam profecto expetita auxilia Pipinus rex christianissimus promitteret atque offerret: merito Pontifex et rex inter se convenerunt, ut justo bello suscepto talis rerum status dispone-

Vindicatur.

[1]) L. c. VI. p. 249 sqq.

retur, ex quo efficaci modo stabilis ordo, et Italiae atque Ecclesiae securitas obtineretur. Stephanum vero haud ambitione et dominandi cupidine motum fuisse, inde apparet, quod a sanguinis effusione abhorrens Pipinum ad pacem induxit, simulatque devicto Aistulpho aliqua spes affulgebat, aequis conditionibus ordinem stabiliri posse, etsi ex parte tantum scopus propositus esset obtentus.

83. Epistolae porro Stephani quibus paulo post denuo regis praesidia petiit, eo stilo conscriptae sunt, qui tempori et adjunctis respondebat. Adulationis vel comminationis incongruae eas non arguet, qui perpenderit auctoritatem principibus *non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium,* esse collatam[1]), Pipinum vero cum titulo patricii Romanorum munus tuendi et defendendi Pontificem suscepisse. — Immerito dein Martens contendit, nullo jure Pontificem exarchatum aliasve provincias accipere potuisse, sed substitisse jus Imperatoris in illa territoria. Vidimus, quo jure nova rerum dispositio stabiliri potuerit. Habebant sane Itali, habebat maxime Pontifex et cum illo Romani jus *conservationis* sui, quo possent securi ab infestatione continua Longobardorum pace et tranquillitate frui. Ineptum foret praetendere, debuisse sese illas quoque Italiae provincias dominationi gentis ferocis submittere. Jam vero *de facto* Imperatores graeci Italiae provincias dereliquerant, easque maxima parte occupaverant Longobardi; et jam antea ob tyrannidem Imperatorum iconoclastarum omnino fere conciderat potestas eorum in Italos, ita ut umbra vix dominii remansisset. Pipinus plane renuit reddere Graecis territoria a Longobardis justo bello obtenta, ac solidae ipsi erant rationes, ut ita ageret. Quod vero dein Romano Pontifici et Ecclesiae rex christianissimus illas provincias donaverit, id qui aliquid sapiunt semper magnae laudi ei verterunt. Illud demum animadvertendum est, si unquam, in illis angustiis quam maxime Romanum Pontificem pro-

Pontificis jura.

[1]) Gregor. XVI in Encycl. *Mirari* d. d. 15. Aug. 1830.

bono Ecclesiae res illas temporales summa sua auctoritate et supremo arbitrio ordinare potuisse.

84. Stephanum III Martens et quidam alii scriptores vehementer carpunt ob epistolam, quam ad Carolum et Carolomannum dedit, ut eos obtestaretur, ne alteruter eorum, dimissa uxore, filiam Desiderii Longobardorum regis, Desideratam seu Ermengardam, in matrimonium duceret, neve Gisilam sororem Athalgiso filio Desiderii collocarent. Hanc epistolam videlicet spirare animum in Longobardos adeo infensum et passione violenta abreptum, ut Romano Pontifice, omnium Christianorum patre, plane indigna sit. Indignum sane esse, ut ob rationes politicas ejusmodi odium in nationem aliquam concipiatur. Turpissimis conviciis Longobardos in ea epistola affici, et eousque abreptum esse Pontificem, ut matrimonia cum exteris, probanda potius inter Christianos atque laudanda, ceu perniciosa et abhorrenda traduceret.[1]

Reprehenditur Stephanus III R. P.

85. Afferuntur autem et improbantur ex epistola Stephani praecipue illa: „Itaque nostrae perlatum est notioni, quod certe cum magno cordis dolore dicimus: eo quod Desiderius Longobardorum rex vestram persuadere dignoscitur excellentiam, suam filiam uni ex vestra fraternitate in connubio copulari. Quod certe si ita est, haec proprie diabolica est immissio, et non tam matrimonii conjunctio, sed consortium nequissimae adinventionis esse videtur. — Quoniam plures comperimus, sicut divinae Scripturae historia instruimur, per alienae nationis injustam copulam a mandatis Dei deviare et in magno devolutos facinore. Quae est enim, praecellentissimi filii magni reges, talis desipientia, ut penitus vel dici liceat: quod vestra praeclara Francorum gens, quae super omnes gentes enitet, et tam splendiflua ac nobilissima regalis vestrae potentiae proles, perfida — quod absit — ac foetentissima Langobardorum gente polluatur, quae in numero gentium nequaquam computatur, de cujus natione et leprosorum genus oriri certum est. Nullus enim, qui mentem sanam habet, hoc

Epistola Pontificis.

[1]) L. c. p. 255.

suspicari potest, ut tales nominatissimi reges tanto detestabili atque abominabili contagio implicentur. Quae enim societas luci ad tenebras? aut quae pars fideli cum infideli. . . . Nullus ex vestris parentibus, scilicet neque avus vester, neque proavus, sed nec vester genitor ex alio regno vel extranea natione conjugem accepit. Et quis de vestro nobilissimo genere se contaminare aut commiscere cum horrida Longobardorum gente dignatum est, ut nunc vos suademini, — quod avertat Dominus, — eidem horribili genti pollui? Itaque nullus, exterae gentis assumpta conjuge, innoxius perseveravit. Advertite, quaeso: quanti qualesque potentes, per alienigena conjugia a praeceptis Dei declinantes et suarum sequentes uxorum alienigenae gentis voluntatem, validis inrepti excessibus, immensa pertulere discrimina?"

Expenditur epistola.

86. Ad hanc igitur epistolam quod attinet, quamvis in ea dicta quaedam occurrant quae minus conveniunt nostrae aetatis politiori mori loquendi, tamen de ea non solum indulgenter sed bene judicabit, qui scopum ejus et argumentum aequo perpenderit animo. Duplici ex capite nuptiae intentae Pontifici erant admodum molestae et plane exosae, ita ut merito quae poterat faceret ad eas impediendas. Quum Carolus jam legitimo matrimonio junctus esset, publicum illud divortium et solemnia connubia cum Desiderata regis Longobardorum filia, scandalum quoddam publicum constituebant, atque timendum erat, ne familia ista regia Francorum quae inter principes christianos eminebat, publice legum divinarum contemptum praeseferret. Quamvis igitur, uti dicit s. Augustinus, *Ecclesia inter paleas constituta multa toleret*, neque Romani Pontifices, dum principes in vita privata libidini indulgent, semper intervenire possint nec debeant, tamen merito ejusmodi scandalum publicum Stephanus impedire conabatur. — Eo magis autem Pontifex id desiderabat, quod revera ista cum Longobardis conjunctio permagna pericula Sedi Apostolicae parare videbatur, et nova illa dispositio rerum, qua per Pipini operam principatum temporalem Pontifex acquisiverat, in summum discrimen voca-

batur. Etiam si res politicas tantum ac pacem Italiae ista spectassent, Stephanus III merito sollicitus de hac quaestione fuisset; sed constitutio illa principatus civilis profecto intime connexa erat cum bono totius Ecclesiae et cum independentia et securitate Sedis Apostolicae. Quapropter maxime laudandus est Stephanus, quod obtestatione sua in negotiis illis intervenerit.

87. Ut vero ab ejusmodi matrimonio Carolum ejusque fratrem deterreret, imprimis urget indissolubilitatem matrimonii jam contracti, et legem divinam qua aliam uxorem sumere prohibeatur. „Impium enim est, scribit, ut vel penitus vestris ascendat cordibus, alias uxores accipere super eas, quas primitus vos certum est accepisse. Non vobis convenit tale peragi nefas, qui legem Dei tenetis, et alios ne talia agant corripitis. Haec quippe paganae gentes faciunt. Nam absit hoc a vobis, qui perfecte estis christiani, et gens sancta atque regale estis sacerdotium. Recordamini et considerate: quia, oleo sancto uncti per manus vicarii beati Petri, coelesti benedictione estis sanctificati; et cavendum vobis est, ne tantis reatibus implicemini. — Mementote hoc, praecellentissimi filii: quod sanctae recordationis praedecessor noster domnus Stephanus papa excellentissimae memoriae genitorem vestrum obtestavit, ut nequaquam praesumpsisset dimittere dominam et genitricem vestram; et ipse, sicut revera christianissimus rex, ejus salutiferis obtemperavit monitis.“ Argumenta Stephani.

88. Sed quo efficacius principes moveret, alia quoque Stephanus affert argumenta quibus vehementius urget, quam nocivae et indecorae sint illae nuptiae. Ea quidem *per se* non tantum valent, quantum illud quod modo exposuimus, sed passim hominum animos etiam magis feriunt ejusmodi rationes, si cum vi aliqua et eloquenter exponuntur. Quum vero connubia cum extraneis mulieribus ut perniciosa Pontifex describit, id nequaquam absolute et universim urgere vult, sed in comparatione quadam argumenti vis sita est. Argumentatur videlicet Pontifex ex antiqui foederis praescripto, quo Dominus Judaeorum connubia cum mulieribus alienigenis et idololatriae deditis

reprobat, et mala quae inde regibus, e. g. Salomoni et Achab evenerunt, recolit. Franci electus Dei populus sunt Pontifici, Longobardi gentes illae alienigenae et exterae, ex quibus uxores sumere Deus interdixerat Judaeis. Haud mirum vero est, quod propter Longobardorum saevitiam et infestationes continuas, tali comparatione niteretur Pontifex, praesertim quum Sedi Apostolicae certa pericula imminere praevideret.

Expenduntur. 89. Itaque non praecise ob diversitatem nationis, sed ob *periculum perversionis,* illa connubia cum gente Longobardorum Stephanus improbat. — Quum vero Longobardi adeo feroces essent Italisque quos opprimebant invisi, consuetum jam erat, ut despectus illius nationis barbarae et aversio in eam adjectis exprimeretur epithetis, quae quidem a nostris moribus dissona sunt, sed ea aetate rudiori non erant scandalo. Nec soli Longobardi, sed etiam aliae nationes infensae et inimicae similibus epithetis passim afficiebantur.[1]) — Moverunt quidem vehementius aliquos auctores illa Stephani verba, quibus lepram a Longobardis origenem habere asserit, ita ut Muratorius genuinitatem epistolae ob sententiam adeo miram et ob talem ignorantiam singularem in dubium vocaverit. Sed explicatio aptissima hujus assertionis non deest. Exstitisse inter Longobardos morbum quemdam specialem qui leprae nomine designabatur, colligitur ex eorum legibus, ac nominatim ex Rotharis lege 176ª, qua declaratur, leprosum e societate expulsum civiliter mortuum esse, sed ex caritate sustentandum ex suis bonis. Dixeris, quum ejusmodi morbus ante Longobardorum in Italiam adventum ibi ignotus fuisset, Italos huic nationi ortum et introductionem hujus plagae tribuisse.[2])

90. Etiam Hadrianus Pontifex a variis auctoribus ob diversas carpitur rationes, maxime, quod nimium appetierit et

[1]) Cfr. Manzoni, Discorso storico sopra alcuni punti della Storia Longobardica in Italia, Cap. II. — Troya, Codice diplomatico Longobardo n. DCCCXXXI. — Brunengo, L'ultimo dei re Longobardi, Civiltà cattol. Ser. V. Vol. V. p. 398 (1863).

[2]) V. Manzoni l. c., Civiltà cattol. l. c. p. 393 nota.

prosecutus sit principatus civilis amplificationem. Ipsum primum usum fuisse in eum scopum conficta *donatione* Hadrianus *Constantini*, advertit Sybel[1]); sed de hac donatione alibi carpitur. accuratius agemus. Generali ratione Martens contendit, exaggerata esse quae de Hadriani virtutibus ac de ejus prudentia dicuntur; vehementiorem fuisse ejus modum agendi, et varias inde dissensiones cum Carolo M. provenisse. Quum vero de cultu imaginum ac de Concilio Nicaeno secundo major discordia oriretur, et Carolus M. postulasset, ut Pontifex Irenem Imperatricem ejusque filium Constantinum Porphyrogenitum declararet haereticos, Hadrianum quidem pro officio suo id declinasse, sed animo servili aliam viam qua regi obsequeretur iniisse. Eum videlicet Carolo obtulisse, ut, si ei placeret, illos declararet haereticos, nisi patrimonia Romanae ecclesiae ab Imperatoribus iconoclastis ablata restituerentur. Improbandam quidem esse illam Caroli postulationem, sed plane detestanda Pontificis obsequium et propositionem regi factam, quum nullatenus liceat ob bona Ecclesiae retenta haereseos ferre censuram.[2])

91. Sufficiat generatim reponere, felici viginti trium Vindicatur. annorum pontificatu ac permultis rebus praeclare gestis satis comprobari gravissimorum auctorum judicium, insignem fuisse Hadrianum prudentia aliisque virtutibus. Quod vero passim dissensiones exortae sint cum Imperatore in tanta negotiorum difficilium multitudine, haud mirum est; sed laudi vertendum Pontifici, quod moderatione simul usus et animi vigore res bene disposuerit, ita ut a coaevis Hadriani et Caroli amicitia celebretur. Felicissimum pontificatum hujus Pontificis, commemorata ejus morte, Baronius hisce extollit: *Hujus sedes omnium felicissima existimanda esset, si potius rerum temporalium prosperitate, more principatuum terrenorum, et non magis gloria Crucis esset ipsius expendenda prosperitas: siquidem diuturnior, et sub principibus christianis ei obsequentibus, defendentibus, locupletantibus, et in omnibus eam venerantibus*

---

1) L. c. pp. 76. 83. 2) Die röm. Frage etc. p. 259 sqq.

floruit, aucta nova sobole conversorum ad fidem infidelium populorum, vindicata a Longobardorum perfidia, et protecta a superba Graecorum et illis cohaerentium insolentia.[1])

Quoad Concilium Nicaenum.

92. Quae acciderunt quoad Concilium Nicaenum secundum jam exposuimus, ostendisseque nobis videmur, etiam ea in re prudenti moderatione processisse Hadrianum, simulque animo vigilanti et forti providisse, ne fides violaretur, neve detrimenti quid caperet auctoritas Sedis apostolicae. Minus bene vero perspexit Martens illa, quae ex responsione Carolo data in vituperium affert Pontificis. Hadrianus, postquam refutavit ea quae contra Synodum Nicaenam a Carolo opposita erant, atque ostendit, quoad hanc quaestionem de cultu imaginum bene egisse Orientales, conqueritur, eos non in omnibus obsecutos esse ejus admonitionibus, ac propterea ait confirmationem Concilii a se nondum datam esse. Agebatur autem non solum de restituendis patrimoniis ablatis, *sed maxime de provincia tota ecclesiastica Illyrici*, quam jurisdictioni patriarchali Romani Pontificis Imperatores iconoclastae subtraxerant. Quum monitis Hadriani hac in re surdas aures Graeci praebuissent, indignatione Pontifex tenebatur, et secum deliberabat de censuris ecclesiasticis in illos adhibendis. Hos animi sensus Carolo aperit, dum scribit: „Et in hoc ostenditur, quia ex uno capitulo ab errore reversi sunt, et ex aliis duobus in eodem permanent errore. Si enim ubique Christianorum ecclesiae canonice intactas suas possident dioeceses: quanto amplius sancta catholica et apostolica Romana ecclesia, quae est caput omnium ecclesiarum, sua[m] dioecesi[m], videlicet archiepiscoporum et episcoporum, imo et patrimonia pro luminarium concinnatione atque alimoniis pauperum, irrefragabili jure et tenere et possidere omnibus modis debet. Unde si vestra annuerit a Deo protecta regalis excellentia, eumdem (Imperatorem) adhortamur, impetu pro sacris imaginibus, et in pristinum statum erectione gratiam agentes. Sed de dioecesi sanctae nostrae Romanae ecclesiae tam archiepiscoporum quam episcoporum, seu

---

[1]) Annales ad a. 795. n. 1.

de patrimoniis, iterum increpantes commonemus. Et si noluerit ea sanctae nostrae Romanae ecclesiae restituere: haereticum eum pro hujusmodi erroris perseverantia esse decernemus: plus enim cupimus salutem animarum et rectae fidei stabilimentum conservare, quam hujus ambitum mundi possidere."[1])

93. Itaque consilium puniendi censura ecclesiastica Imperatricem Orientis ob violata jura Sedis apostolicae Hadrianus non ideo cepit, ut hac ratione Carolo Magno obsequium praestaret, et medium haberet quo postulatis ejus satisfaceret. Sed quum merito Graecis indignaretur, quod non obstante ipsius mandatis nec Illyrici provinciam juri patriarchali Sedis apostolicae, nec rapta patrimonia ecclesiae Romanae restituere vellent, occasione litterarum Caroli de Concilio Nicaeno, quum regis querelas injustas repulisset, simul advertit, alia esse capita Graecis exprobanda, et quaenam sint ipsius consilia edicit. Illa autem verba, *si vestra annuerit a Deo protecta regalis excellentia*, haud involvunt propositionem a Pontifice Carolo factam, et petitionem consensus ipsius; sed potius urbanitatis sunt formula, qua Hadrianus exprimit, sibi cordi esse, ut in magnis illis negotiis concordi cum rege animo procedat. — Quod vero auctor advertit, haud licere notam haereseos alicui imprimere ob retenta bona temporalia ecclesiae, vidimus, non agi de patrimoniis tantum, sed maxime de juribus patriarchalibus Sedis apostolicae, quae a Graecis obstinata mente violabantur. Ob eamdem causam saeculo nono Hadrianus II vel ipsi S. Ignatio patriarchae Cptano excommunicationem minatus est. Quod vero etiam de haeresi argui quis possit in ejusmodi re, inde est, quia, quum quis monitus jura apostolicae Sedis obstinate pergit laedere, supremam hujus Sedis auctoritatem praesumitur negare, et inobedientia voluntatis errorem arguit fidei. — Apprime ad rem in ipsa hac causa Baronius: *Hic iterum audis lector, quod et . . . verbis S. Gregorii papae audisti, nimirum transire in haeresim obstinatam occupationem jurium*

Culpa Graecorum.

[1]) V. ap. Baron. ad an. 794. n. 50.

sanctae Romanae ecclesiae, et haereticum esse dicendum, qui in hujusmodi errore tentus, monitus non corrigit, quod deliquit.[1]) Atque haec de Hadriano sufficiant.

Conclusio. 94. Ut vero huic Dissertationi jam finem imponamus, censemus, ex iis quae in eadem exposuimus certo colligi, vi cujusdam necessitatis principatum civilem Romani Pontificis constitutum fuisse, quemadmodum et subsequente aetate usque ad tempora nostra hujus principatus necessitas pro bono societatis atque Ecclesiae manifesta apparuit. Merito de hac institutione Alfredus Reumont: „Institutio dominii temporalis Romani Pontificis haud adscribenda est consilio alicui arte politica a Gregorio II concepto, quod dein ipse et successores ejus prudenter promoverint, donec ad exoptatum pervenirent finem. At necessitate quadam, quae ex adjunctis politicis et religiosis illius aetatis per gradus varios, sed brevi spatio sese evolvit, constitutio hujus principatus provenit, nec minus idem principatus pro tota societate christiana necessarius fuit. Ac, dixeris ne deessent tituli juris, nova illa dominii temporalis RR. Pontificum eo evenit momento, quo imperii jura in mediae Italiae provincias de facto conciderant. Neque interierunt haec jura arte aliqua vel influxu nocivo Pontificum; imo soli Pontificis ea jura etiam agnoverant, quum jam nihil reliquum esset nisi nominis umbra."[2])

---

[1]) Annales ad a. 794. n. 50.
[2]) Gesch. der Stadt Rom. II. S. 119.

Dissertatio decima quinta.

De Imperio et de Ecclesia saeculo nono.

1. Si quis habendus est in decursu temporum post natum Dominum dies solemnis et subsequentium saeculorum veluti cardo, eum dixeris esse octingentesimi anni diem Christi natalem. Eo enim die Leo III Romanus Pontifex coronato et uncto Carolo Magno sacrum suscitavit Romanum Imperium, quo facto vel maxime sequentium saeculorum characterem et indolem determinavit, et fundamenta condidit firma, quibus societatis civilis christianae aedificium praecipue niteretur. Et quamvis eventu jam probatum sit, erravisse eos qui censebant, sacrum hoc Romanum Imperium ob intimam cum Ecclesia conjunctionem perpetuum fore ut illam, substitit tamen per decem saeculorum tempora diuturna. Quumque omnes res hujus mundi imperfectae sint, labiles atque caducae, hominum vero ignorantiâ, erroribus atque malitiâ, etiam ex iis quae optima sunt occasio sumatur ad pessimos abusus: passim quidem accidit, ut ex Imperatorum quorumdam ambitione superba vel nequitia, mala haud exigua Ecclesiae provenirent; neque Imperium illud sacrum Romanum, quando ad finem vergebat, jam par videbatur esse idoneumque fini consequendo ob quem fuerat institutum. Sed qui sunt viri cordati agnoscunt, quod fugit angustae homines mentis, universim maxima bona ex hujus Imperii institutione et existentia pro societate christiana profluxisse, atque eâdem praecipue factum esse, ut vera

Dissertationis indoles.

principia, quae spectant ad habitum inter Ecclesiam et societatem civilem, diu subsisterent agnita atque admissa, et in totius societatis constitutionem ac rerum publicarum gubernationem et dispositionem salutarem exercerent influxum. Convenit igitur imprimis *de institutione et indole sacri Romani Imperii,* dein *de Pontificibus et Imperatoribus saeculi noni* agere. De quaestionibus quibusdam majoris momenti illius aetatis, atque de schismate Photiano, specialibus Dissertationibus tractabimus.

Auctores. 2. Conferri possunt de variis hisce capitibus: Baronius, *Annales;* Einharti, *Vita Caroli* ap. Jaffé Bibliotheca rerum Germanicarum Tom. IV; Bellarminus, *De translatione Imperii Romani a Graecis ad Francos* Libri III; Natalis Alexander, *Dissert. I et II in saeculum IX;* Pagi *Breviarium gestorum Rom. Pontificum;* Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen age, Tom. I;* James Bryce, *The holy Empire,* ed. V. London 1875; P. Alberdingk Thym, *Karel de Groote,* Amsterdam 1867; B. Niehues, *Geschichte des Verhältnisses zwischen Kaiserthum und Papstthum im Mittelalter B. I,* Münster 1877; *Civiltà cattolica, Il patriziato Romano di Carlomagno,* Ser. V. vol. 9 sqq.; Phillips *Kirchenrecht* B. III. §. 122 sqq.; Rohrbacher-Kellner *Kirchengeschichte B. XI,* et Rohrbacher-Kömstedt *K. G. B. XII;* Reumont, *Geschichte der Stadt Rom B. II;* Hergenröther, *Kirche und Staat, IV. Die Päpste und das römisch-deutsche Kaiserthum; Kirchengeschichte B. I. p. 505 sqq.,* B. III. p. 199 sqq., ubi et alii auctores consulendi indicantur.

I.

De institutione et natura sacri Romani Imperii.

Carolus M. 3. Carolus Magnus, quem vidimus plurimum contulisse ut principatus civilis Romani Pontificis firmaretur, sub pontificatu Hadriani de ecclesia ac de religionis profectu in vasti sui regni provinciis optime meritus est, atque ut Ecclesiae protectorem sollicitum et defensorem strenuum

sese ostendit. Et quamvis interdum in disponendis rebus ecclesiasticis suam potestatem nimium niteretur extendere, tamen universim Pontificis et Ecclesiae auctoritatem debito modo veneratus est; atque Hadrianus Pontifex, cui amicitia junctus erat Carolus, prudenti vigore dum opus erat res moderabatur, uti superius jam vidimus.

4. Quum Hadrianus I die 25 Decembris anni 795 Leo III. R. P.
obiisset, ei altero die unanimi cleri populique consensu suffectus est *Leo III* Romanus, presbyter cardinalis, eruditione morumque integritate clarissimus, qui sedit usque ad annum 816. Is mox electionem suam significavit Carolo, eumque hortatus est, ut Romanam ecclesiam tueri pergeret, eidem patriciatus honorem ac munus, et jus seu defensionem Romanae ecclesiae et Urbis, confirmavit, ideoque ad eum direxit vexillum Urbis cum clavibus confessionis s. Petri seu e sepulchro s. Petri acceptis. Carolus vero litteris ac legatis missis amicitiam ac foedus cum Romano Pontifice renovavit.[1]) — Aliquanto post conjuratio Romae contra Leonem facta est a factione, cujus duces erant Paschalis primicerius et Campulus sacellarius Romanae ecclesiae[2]), Hadriani nepotes. Isti, vel quod aegre ferrent

---

[1]) V. Eginhardi Annales ad a. 796.

[2]) Septem erant dignitarii summi, seu *Judices palatini* Romani Pontificis. Primus erat *Primicerius* (notariorum et scrinii pontificii, cujus munus ea aetate fere illud erat, quo nostro tempore Cardinalis Secretarius fungitur. Secundus Judex palatinus erat *Secundicerius* (notariorum), qui in rebus publicis administrandis Primicerio junctus erat. Hi duo comites erant Pontificis, et etiam in processionibus ecclesiasticis lateri ejus jungebantur. Sequebantur duo Judices rei pecuniariae administrandae praepositi, videlicet *Arcarius*, qui tributis ac proventibus accipiendis praepositus erat, et *Sacellarius*, qui expensis providebat. Quintus ex Judicibus palatinis erat *Protoscriniarius*, scriniariis seu tabellionibus cancellariae praepositus; sextus vero *Primus Defensorum*. Defensores nominabantur, qui bona Ecclesiae et rei publicae administrabant. Septimus demum Judex erat *Nomenclator* seu *Adminiculator*, cujus administrationi viduarum ac pupillorum res, ac supplicationum et gratiarum examen commissum erat. Alii dignitarii praecipui, qui magis ad ipsam curiam Pontificis pertinebant, erant *Vicedominus* (Majordomus), *Cubicularius*, *Vestiariarius*, et *Bibliotheca-*

Leonem in pontificatu ipsis esse praelatum, vel quod eorum potestas a Pontifice restringeretur, Leoni insidias pararunt. Quum festo s. Marci, die 25 Aprilis anni 799, Pontifex ad litanias majores seu supplicationem pergeret, adversarii cum armatorum turma eum in via aggressi sunt, multisque plagis affectum in custodiam detruserunt. Leo papa paulo post amicorum ope e custodia deductus, in Franciam ad Carolum M. profectus est, quem bello contra Saxones detentum Paderbornae in Westfalia convenit. Sed etiam adversarii Leonis ad Carolum M. miserunt legatos, qui Pontificem adulterii, perjurii, aliorumque criminum (falso) accusarent, ac postularent, ut abdicato pontificatu in monasterium aliquod se reciperet. Carolus quidem Leonis causam amplexus est, et magno cum honore eum comitibus plurimis episcopis et proceribus Francorum Romam reduci curavit, ubi Pontifex die 29 Novembris summa cum solemnitate, et ingenti fidelium gaudio, receptus est. Videtur tamen Carolus in animo habuisse, ut examen quoddam in causa Pontificis institueret, nec forte ista in re plane perspiciebat, quales essent limites muneris sui. Altero anno 800, ut rebus Ecclesiae efficacius provideret, ipse Romam profectus est, ubi magno cum gaudio a Leone receptus, ut patricius Romanorum die 24 Novembris solemnem ingressum habuit.

Leonis innocentia. 5. Die 1 Decembris in causa Leonis ad s. Petri archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, et optimatum Italorum ac Francorum synodum coëgit, „ut crimina quae adversus almum Pontificem dicta fuerant delimarent (examinarent). Qui universi archiepiscopi seu episcopi et abbates unanimiter audientes dixerunt: *Nos Sedem apostolicam, quae est caput omnium Dei ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipso nos omnes et Vicario suo judicamur, ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum et antiquitus mos fuit. Sed sicut ipse summus Pontifex censuerit,*

---

rius. Haud omnes isti dignitarii erant sacerdotes, sed ea munera quae potius res temporales spectabant etiam clericis minoribus, imo passim laicis quoque committebantur. Cfr. Reumont l. c. p. 145.

canonice obediemus. Venerabilis vero praesul inquit: *Praedecessorum meorum Pontificum restigia sequor, et de talibus falsis criminationibus, quae super me nequiter exarserunt, me purificare paratus sum.*“ [1]) Altero vero die Leo III ss. Evangelia complexus ambonem conscendit, et coram omnibus ordinibus se ab affictis sibi criminationibus juramento purgavit.

6. Sacratissimi autem Natalis Domini die cum Carolus rex ad Missam ante Confessionem B. Petri assisteret, Leo Papa solemniter eum in Imperatorem Romanorum coronavit. Res in *Vita Leonis III* hisce verbis refertur: *Post haec adveniente die natali Domini Nostri Jesu Christi, in jam dicta basilica beati Petri Apostoli omnes iterum congregati sunt: et tunc venerabilis et almificus Pontifex manibus suis propriis Carolum pretiosissima corona coronavit. Tunc universi fideles Romani, videntes tantam defensionem et dilectionem, quam erga sanctam Romanam ecclesiam et ejus vicarium habuit, unanimiter altisona voce, Dei nutu atque beati Petri Apostolorum principis et clarigeri regni coelorum exclamaverunt: „Carolo piissimo Augusto a Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita et victoria.“ Ante sacram confessionem beati Petri Apostoli plures sanctos invocantes ter dictum est; et ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum. Illico sanctissimus Antistes et Pontifex unxit in Imperatorem oleo sancto Carolum, et excellentissimum filium ejus in regem in ipso die natali Domini Nostri Jesu Christi. Et Missa peracta, post celebrationem missarum obtulit ipse serenissimus Domnus Imperator mensam argenteam cum pedibus suis. Sed et in confessione ejusdem Dei Apostoli obtulit una cum praecellentissimo filio suo rege et filiabus diversa vasa ex auro purissimo in ministerio ipsius mensae.* — Eadem fere ratione eventus refertur in Annalibus Eginhardi ad a. 801.[2]) In *Vita Caroli* autem Eginhardus haec habet: *Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat Ecclesiae statum, ibi totum hiemis tempus*

Caroli coronatio.

[1]) Liber pontif. *Vita Leonis III* c. 21.

[2]) Quum multi novum annum inciperent a die Nativitatis Domini, coronatio Caroli ab aliis anno 800, ab aliis anno 801 adscribitur.

extraxit. Quo tempore Imperatoris et Augusti nomen accepit, quod primum in tantum aversatus est, ut adfirmaret, se eo die quamvis praecipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum, si Pontificis consilium praescire potuisset. Invidiam tamen suscepti nominis, Romanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia. Vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes et in epistolis fratres eos appellando.[1])

Adjuncta coronationis.

7. Ut imprimis unam alteramve circumstantiam hujus coronationis explicemus, *Laudes* illae factae Carolo Imperatori non fuerunt acclamationes plane novae et inusitatae, sed ad instar acclamationum, quae pro regibus Francorum et patriciis Romanorum jam in usu erant. Inveniuntur in litaniis Karolingianis, quae dicuntur, confectis forte ac primum adhibitis, quando sub Hadriano Pontifice Carolus a. 874 Romam venit. In exemplari a Mabillonio publicato[2]), praeter invocationes s. Petri et aliorum Sanctorum[3]), et acclamationem: *Adriano summo Pontifici et universali Papae, vita*, habetur: *Carolo excellentissimo et a Deo coronato, magno et pacifico Rege Francorum et Longobardorum, ac Patricius Romanorum, vita et victoria.* — Proinde ea acclamatione usus est populus, voce regis mutata in Imperatorem, ac secundum verba quae alta voce protulit ipse Leo Pontifex, dum Carolo coronam imposuit. — Non conveniunt auctores, quis ex filiis Caroli M. eo die unctus et coronatus sit in regem. Plerique de Pipino Italiae rege agi existimant, alii Carolum designari censent. Videlicet Pipinus et Ludovicus Caroli filii jam uncti erant anno 784 ab Hadriano Pontifice, alter in regem Italiae, alter in regem Aquitaniae; sed Carolus filius non-

---

[1]) Vita c. 28.

[2]) Analecta vetera a. 1675 Tom. II. p. 687. Vide litanias apud Alberdingk-Thym, *Karel de Groote*, p. 530.

[3]) „Sancte Petre, tu lo juva; sancte Johannes, tu lo juva; sancte Martine, tu lo juva.“

dum unctus erat. Eum igitur tunc unctionem regiam accepisse, admodum probabile videtur.[1])

8. Animadvertendum porro est, ab Eginhardo ita commemorari elevationem Caroli in Imperatorem, ac si, testante Carolo ipso, ex inopinato coronatio illa in Imperatorem die Nativitatis a. 800 acciderit. Haec quaestio suspensos tenet eruditos. Sunt enim scriptores illorum temporum, qui referunt, de dignitate Imperiali jam antea inter Carolum et Leonem actum esse. Ita Joannes Diaconus in *Chronico* episcoporum s. Neapolitanae ecclesiae: *Hic* (Leo III), scribit, *fugiens ad Carolum regem spopondit ei, si de suis illum defenderet inimicis, Augustali eum diademate coronaret. Carolus autem optatam audiens promissionem, e vestigio cum magno apparatu hostium proficiscens, Urbemque capiens, illum in suam revocavit sedem. At ille statim Carolum coronavit, et dignam ultionem in suos exercuit inimicos.*[2]) In Annalibus Laurishamensibus autem haec habentur: *Et quia jam tunc cessabat a parte Graecorum nomen Imperatoris, et femineum imperium apud se habebant, tunc visum est et ipsi apostolico Leoni et universis sanctis patribus qui in consilio aderant seu reliquo christiano populo, ut ipsum Carolum regem Francorum Imperatorem nominare debuissent, qui ipsam Romam tenebat, ubi semper Caesares sedere soliti erant, seu reliquas sedes, quas ipse per Italiam seu Galliam, necnon et Germaniam tenebat; quia Deus omnipotens has omnes sedes in potestatem ejus concessit, ideo justum eis esse videbatur, ut ipse cum Dei adjutorio et universo christiano populo petente, ipsum nomen haberet. Carolus denegare noluit, sed cum omni humilitate subjectus Deo et petitioni sacerdotum et universi christiani populi in ipsa Nativitate Domini Nostri*

An coronatio ex inopinato.

---

[1]) Hanc sententiam inter alios tenent Brequigny, *Recherches historiques sur la vie de Charles, fils aîné de Charlemagne.* Mémoires de l'Academie des inscriptions tom. XXXIX, p. 617; Gosselin, Pouvoir du Pape etc. Appendice VI.: Alberdingk-Thym, *Karel de Groote,* p. 538; Balan, Storia d'Italia, V. II. p. 168.

[2]) Joannis Diaconi Chronicon, ap. Muratori Rer. It. Scr. T. I. P. II. p. 312.

Jesu Christi ipsum nomen Imperatoris cum consecratione domni Leonis papae suscepit.[1]) — Etiam ex epistolis Alcuini aliisque indiciis varii auctores colligunt, in animis hominum fuisse eam exspectationem, fore ut Carolus Imperatoris nomen ac dignitatem susciperet. Imo advertunt, Alcuinum codicem sacrae Scripturae perbelle manu scriptum et egregie exornatum praeparavisse, Caroloque ad illud festum Natalis Domini dono misisse „ad splendorem *imperialis* potentiae vestrae."[2]) Unde inferendum esse videtur, jam antea constitutum fuisse, ut Carolus in Imperatorem coronaretur.

Qua ratione. 9. Attamen non convenit, ut Carolum hypocrisis vel Eginhardum mendacii arguamus, dum asserunt, inopinatum id fuisse Carolo, quum die Natalis Domini Imperator salutatus est. Etenim valde probabile est, actum quidem jam antea esse de dignitate imperiali a Carolo suscipienda, sed negotium ab eo nondum ad finem perductum fuisse, quando Leo III auctoritate sua pontificia sine mora ulteriore illum in Imperatorem coronavit et proclamavit. Forte cum Imperatrice Irene agere voluit Carolus, ut ipsa consentiente titulum illum assumeret; cum brevi post de matrimonio cum Irene contrahenda cogitasse et egisse, Theophanes aliique scriptores Graeci referunt.

10. Sunt qui existimant, hanc apprime fuisse rationem, cur totum illud negotium Carolo displicuerit, quod videlicet Pontifex partes praecipuas ea in re dexteritate quadam sibi vindicaverit. Carolum, qui vel ipsas res ecclesiasticas dirigere studuerit, voluisse etiam imperialem potestatem et dignitatem proprio motu sibi vindicare et manu sua coronam sibi imponere. Aegerrime ipsum tulisse, quod Leo III dignitatem illam ipsi conferre videretur, ac propterea totum negotium eum aversatum esse.[3]) Sed hanc suppositionem non satis probari existimo. Profecto si

[1]) Pertz, M. G. I. 38. — Fere eadem habentur in Chronico Moissiacensi, M. G. I. 305.

[2]) Epist. Alcuini 205; ap. Jaffé Bibl. rer. Germ. VI. p. 697.

[3]) V. Martens l. c. p. 212 sqq.

Eginhardi verba et contextus considerantur, nullum ibi est indicium, quod suppositioni faveat. Imo illa verba per se eam ingerunt ideam, ex modestia quadam prudenti Carolo illud factum non fuisse acceptum, eo maxime quod Graecis haec assumptio dignitatis imperialis valde invisa foret. Addit enim illico Eginhardus: *Invidiam tamen suscepti nominis, Romanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia. Vicitque eorum contumaciam magnanimitate* etc.[1]) — Carolum in animo habuisse, ut sibi ipse imperialem coronam imponeret, conjectura est quae solidis rationibus haud fulcitur. Etenim non solum consuetum erat, ut reges ab episcopis coronarentur, sed etiam Constantinopoli Imperatores inde a saeculo quinto a patriarcha coronabantur.[2]) Etiam quando Carolus a. 774 Romae fuit, *ab Adriano Papa in capite ejus pretiosa imposita est corona*[3]); hanc coronam fuisse *diadema patriciatus*, quo Imperatores solebant insignire patricios, Muratorius censet. — Itaque aversatum fuisse Carolum, ut coronatio imperialis per Pontificem fieret, mihi persuadere non possum. —

11. Ea porro quae habet Joannes Diaconus, Leonem Carolo jam in Germania coronam imperialem promisisse, et Carolum hanc promissionem tunc acceptasse, fidem non merentur. Etenim Joannes Diaconus non est auctor coaevus, sed scripsit versus finem saeculi noni Chronicon suum, quod usque ad a. 872 produxit; ac parum versatum se ostendit in iis quae Caroli M. gesta spectant. — Leonem III autem Romae cum Romanae ecclesiae proceribus et cum variis episcopis de Caroli coronatione egisse eorumque consilia consona habuisse, uti in Annalibus Laureshamensibus refertur, omnino probabile est. Sed id nullatenus excludit, ipso die Natalis Domini rem ex inopinato Carolo accidisse. — Quod ad epistolam illam Alcuini attinet, qua Evangeliorum codicem Carolo mittit, ex eâdem, Objecta diluuntur.

---

[1]) L. c. — Cfr. hac in re B. Niehues. Kaiserthum und Papstthum p. 574 sqq.

[2]) V. Hergenröther, Kirche und Staat I. n. 7 seqq.

[3]) Chronicon Salernitan. c. 26. Ap. Muratori Rerum Ital. Scr. T. II. P. II. p. 193.

collata cum altera scripta ad Nathanaëlem (Fredegisum) amicum, cui mandat ut donum Carolo tradat, colligitur perspicue, nullatenus Romam ad natale anni 800 ejusmodi codicem esse transmissum. Sed Aquisgrani tunc Fredegisus et Carolus degebant. Quodsi verba *ad splendorem imperialis potentiae vestrae* dignitatem imperialem, uti videtur, denotant, sequitur, epistolam cum dono codicis uno vel altero ex subsequentibus annis missam esse, quum Aquisgrani Carolus festum Nativitatis Domini celebraret.[1]) Advertendum postremo est, neque ex praeparatione et dispositione solemni rerum in festo Nativitatis Domini Carolum necessario collegisse Leonis III consilium, ut eum tempore Missae in Imperatorem consecraret. Etenim constituta erat pro illo die coronatio filii Caroli in regem, adeoque ad hoc sacrum spectare videbantur quae disposita erant. — Censemus igitur, vere dixisse Carolum quum affirmaret, se haud novisse Pontificis intentionem eum coronandi illo die in Imperatorem, ac rationes adfuisse, cur ei tunc minus accepta esset illa coronatio.

Leo rem disposuit. 12. Annalistae illius aetatis universim conveniunt, consilium evehendi Caroli in Imperatorem a Leone III Pontifice initum et completum fuisse. Pontifex in diplomate, quo ipso coronationis die monasterio Centulensi privilegia quaedam largitur, diploma datum commemorat *in praesentia gloriosi atque excellentissimi filii nostri Caroli, quem auctore Deo in defensionem et provectum s. universalis Ecclesiae Augustum hodie sacravimus.*[2]) Carolus autem *divino*

---

[1]) Vide epistolas 205 et 206 in recenti editione quam curaverunt Wattenbach et Dümmler; Monumenta Alcuiniana, Jaffé Biblioth. rer. Germ. tom. VI. p. 697 sqq. Editores epistolas ad a. 801 Dec. — 803 Dec referunt, et ad verba illa notant: „Carolus igitur jam imperator creatus erat. Vana sunt quae de hoc munere sibi effinxit Lorenz, Alcuins Leben p. 236.“ — Alii auctores adverterunt, incertum esse quo anno illa epistola scripta sit, *imperialis* autem vocem etiam sensu generali ab Alcuino adhiberi. Et sane in epist. 78 , anno 796 exeunte vel ineunte 797 ad Carolum M. scripta, „decorem *imperialis* regni vestri“ Alcuinus denotat. (Cfr. etiam ep. 86.) V. Niehues l. c. p. 574 nota 2; Hergenröther K. G. B. III. p. 193.

[2]) Ap. Jaffé Regesta ad a. 800.

nutu coronatum, et *a Deo coronatum* passim se dicebat.[1] — Sapientissimum vero fuit consilium Leonis, ut ipse summus Ecclesiae Pontifex omniumque fidelium Pastor et Rector coronatione et proclamatione Caroli hoc institueret Imperium sacrum. Hac enim ratione peculiarem et essentialem Imperii hujus characterem, indolem, dignitatem Ecclesia seu summus Pontifex determinavit. Id videlicet Leo III coronatione Caroli praesertim intendit, ut inter principes aliquis esset, potentissimus quidem jam multarum provinciarum possessione, sed cui maxime et peculiariter committeretur illud officium et illa dignitas, ut esset protector et defensor Ecclesiae et Romani Pontificis ac totius societatis christianae, quique sub Ecclesiae directione religionem christianam ejusque multiplicia bona ubique promoveret et amplificaret.[2] Vicissim Ecclesia huic principi praeeminentiam prae aliis principibus honoremque plane eximium conciliabat. Ita intima illa unio, quae ex sanis principiis inter potestatem spiritualem et temporalem rite constitutis, dignitate et honore utriusque servatis, semper quaerenda est, in Pontifice et Imperatore eorumque mutuo habitu suam inveniebat practicam et summam expressionem, suosque debebat producere salutares effectus. Hoc principio nitebatur sacri Romani Imperii institutio; quamvis forte non omnia, quae ex hoc principio dimanabant, inde ab initio distincte atque explicite fuerint perspecta, et Leo directe nonnisi Ecclesiae protectionem in Occidente prae oculis haberet.

Imperii indoles.

Evolvitur.

13. Haec aliquantisper illustremus ex iis quae habet cl. Wouters in Dissertatione *de novo Imperio Romano.* „Sigonius explicans instaurationem collapsi in Occidente Imperii Romani in Carolo Magno, ita scribit: *Hunc dignitatis imperatoriae titulum, quum in Momillo Augustulo ultimo Occidentis Imperatore ante annos fere trecentos sub regnum Gothorum in Italia defecisset, in eodem Occidente Pontifex*

---

[1] V. Balutius, Capitul. t. I. p. 247. 341. 345.

[2] „Quem auctore Deo *in defensionem et provectum s. universalis Ecclesiae* Augustum hodie sacravimus.“ V. superius.

renovavit, ut haberet ecclesia Romana adversus infideles, haereticos, et seditiosos tutorem, cujus officium repudiasse jam pridem Imperator Orientis videretur.[1]) Leo papa quando Carolum Magnum salutavit, coronavit et unxit Imperatorem, ei qua principi de Ecclesia et republica Romana bene merito, et cunctis fere Europae populis christianis imperanti contulit imperialia insignia, imperatoriam majestatem et excellentiam inter caeteros Occidentis principes, atque officium per excellentiam, ut dicunt, defensoris ac protectoris Ecclesiae ac societatis christianae. Per id ipsum Carolus Magnus prae caeteris Occidentis principibus, Ecclesiae reipublicae Romanae totiusque societatis christianae in Occidente protector atque defensor ex officio constitutus fuit; Imperatoris nomine, insignibus ac praerogativis decoratus est, inter omnes Occidentis reges et principes honoris primatum et eminentiae privilegium accepit. Qui novi hujus Imperii Romani characterem, finem ac fundamentum super quod erat aedificatum perpenderit, agnoscet, imperium illud novum dignitate ac excellentia superasse antiquum. Nam Carolus Magnus semetipsum non dixit imperatorem, neque a senatu populoque, neque ab exercitu electus fuit, sed ab ipso Christi Domini vicario Ecclesiae capite, Romano pontifice imperialem coronam ac majestatem accepit. Officia huic majestati imperiali annexa, ut diximus, erant dignissima et nobilissima."

Una societas christiana.

14. „Leo papa vero justissima de causa ac sapientissima ratione Imperium Romanum in Occidente restituit, seu instituit ut multi dicunt. Etenim illis temporibus reges, principes ac populi in Occidente generatim unam eamdemque religionem christianam profitebantur; omnes unius ejusdemque Ecclesiae erant membra, et unam quasi rempublicam seu societatem christianam constituebant. Permagni certe Ecclesiae ac societatis seu reipublicae in Occidente intererat, ut contra hostium sive domesticorum sive exterorum impetus, rebelliones, et iniquas machinationes, defenderentur, et protegerentur. Quapropter Leo III

[1]) De rebus Italiae, L. VI. ad a. 801.

Christianorum omnium, principum ac populorum, doctor et pastor, sapientissime egit, quando ex principibus Occidentis unum creavit Imperatorem, qui tum Ecclesiam tum rempublicam ex officio tueretur, et sub quo principes ac populi quasi confoederati, quin tamen juribus propriis exspoliarentur, consentientibus magis animis ac ferventioribus studiis conspirarent ad propulsandos hostes et reprimendos seditiosos, qui Ecclesiam vel rempublicam turbarent. Cum autem e principibus tunc temporis in Occidente regnantibus nemo dignior ac aptior ad adimplenda Imperatoris munera videretur quam Carolus Magnus, Leo papa illum prae caeteris selegit, quem Imperatorem salutaret, coronaret et oleo sancto ungeret. — Per sapientem hanc principum populorumque sub uno Imperatore confoederationem, Leo papa nihil de juribus . . . aliorum regum aut principum detraxit, sed quisque eorum servavit jura quae antea habebat, atque provincias et urbes quas antea possidebat. Carolus Magnus novas ditiones praeter eas quas legitimo jure tenebat non accepit. Principes confoederati populos suos secundum leges proprias regebant. Imperator honoris primatum habebat, ejusque legati primas tenebant." [1])

15. Hisce expositis jam facilius est eam quoque solvere quaestionem, utrum in institutione Imperii Caroli Magni obvenerit *translatio* Imperii occidentalis a Graecis ad Francos, auctoritate Leonis III perfecta. Haec quaestio nobis tangenda est, tum quia maxime eo pertinet, ut relatio inter Pontifices et Imperatores clarius determinetur, tum quia ob institutionem Imperii occidentalis vehementer aucta est Orientalium ab Occidentalibus dissensio. — In Decretalibus Romanorum Pontificum frequenter Caroli Magni coronatio in Imperatorem commemoratur ut *translatio Imperii a Graecis ad Francos.* Ita in celeberrima Innocentii III Decretali *Venerabilem* dicitur: *Quae* (apost. Sedes) *Romanum Imperium in personam magnifici Caroli a Graecis transtulit in Germanos.* Etiam plures auctores

An Imperium translatum.

[1]) V. Wouters, Dissertat. Tom. III. p. 129 sqq.

antiqui simili ratione ista de re loquuntur, uti Annalista Laureshamensis l. c. dum dicit, cessasse eo tempore a parte Graecorum nomen Imperatoris. Et auctor Vitae s. Willehardi c. 2: *Si quidem*, inquit, *imperialis potestas ad Francorum translatum est dominium.*[1] Ita etiam rem concipiunt nonnulli auctores insignes, uti Baronius et Bellarminus qui scripsit *de translatione Imperii Romani a Graecis ad Francos.* Recentiores auctores plerique tamen censent, haud translationem Imperii generatim, vel etiam Imperii occidentalis, dici posse illam Caroli M. coronationem in Imperatorem, sed *renovationem* Imperii occidentalis, quod a. 476 exstinctum erat, vel *institutionem* sacri Romani Imperii.[2])

Bellarmini sententia.

16. Opportunum erit aliqua ex Bellarmino afferre, ut clareat, quomodo doctissimus ille vir, quem nomine plurimorum citamus, translationem illam conceperit et explicet. Quae dicit etiam inservient, ut brevi recolligatur historia Imperii Romani. Statum causae exponens: „Igitur, inquit, Romanum Imperium tametsi ante Constantini tempora, modo ab uno, modo a pluribus Augustis pari potestate regeretur; unum tamen atque indivisum censebatur. Deinde vero postquam magnus Constantinus CPolim quasi alteram Romam aedificavit, et cum ea alterum Consulem, alterum Senatum, et omnia Romanae Urbis privilegia communicavit, divisum est Imperium in partes duas, quarum altera imperium Orientis, altera Occidentis appellari coepta est. Et quemadmodum ante Constantinum principem indivisum Imperium aliquando plures Augusti administrabant, saepius unus ac solus regebat, ita post Constantinum Imperium jam divisum plerumque duo Caesares tenuerunt, raro unus ac solus princeps gubernavit. Siquidem Constantino vita functo a. D. 341 occidentale Imperium Constantino Juniori et Constanti, Imperium Orientis Constantio cessit; post Constantini autem et Constantis ex-

---

1) V. Pertz, Tom. II. p. 301.

2) Ita e. g. Phillips, Kirchenrecht, B. III. Abth. I. §. 119. — Wouters, l. c.

cessum a. 453 Constantius solus universo Imperio praefuit. Constantio Julianus, Jovianus Juliano successit. Sed post obitum Joviani Valentinianus, qui Joviano successerat, Imperio Occidentis contentus, orientale Imperium Valenti fratri attribuit a. D. 378, atque ex eo tempore usque ad annum Domini 476, id est usque ad Augustulum, Imperatores diversi divisum Imperium tenuerunt.[1]) Augustulo vero ab Odoacre Herulo abdicare coacto, atque Imperio Occidentis a barbaris occupato, soli Imperatores Orientis et in solo Oriente regnarunt usque ad Justinianum.[2]) Sed cum is opera Belisarii et Narseti fortissimorum ducum Africam et Italiam inde Vandalis hinc Gothis exactis recuperasset, tandem a. D. 556 iterum ab uno Imperatore Oriens et Occidens administrari coeptus est. Sed cum Imperator Graecus esset, et Italiam per Exarchos regeret, nec eam ab infestatione Longobardorum tueri jam posset, a. 801 ineunte ipso die Natalis Domini, creato in Urbe Roma novo Imperatore Carolo M. rege Francorum, ac per hoc *translato Occidentali Imperio a potestate Graecorum ad Francorum ditionem,* iterum Romana Respublica rediit ad eum statum in quo eam Constantinus M. instituerat, et in quo permanserat a Valentiniano seniore usque ad Augustulum. Quamquam illud negari non potest, quin paulo major Imperii divisio fuerit a tempore Caroli M. quam antea: siquidem a Constantino ad Augustulum etsi divisae erant Imperii Romani provinciae inter duos Imperatores, quod attinet ad regimen et administrationem; erat tamen ita commune Imperium, ut leges utriusque Impera-

---

[1]) Compendio eventus referens Bellarminus omittit Theodosium M. iterum solum Imperio utroque potitum a. 394. Sed brevi post initio anni 395 mortuus est, Imperiumque divisit filiis Arcadio et Honorio. Nec ipse tamen ejusmodi partitione *unitati* Imperii derogare voluit.

[2]) Adverti potest, Theodoricum Gothum consentiente Zenone bellum contra Odoacrum suscepisse. Ipse a Zenone in filium adoptatus Consulque ordinarius et rex Italiae dictus est. Habebatur ut rex Imperio subjectus, et tum ipse tum successores ejus obedientiam se Imperatori debere in epistolis profitebantur, quamvis pro arbitrio revera Italiam gubernarent.

toris nomine toti imperio darentur, et si alter sine liberis decedebat, ad alterum totius Imperii gubernatio et providentia pertineret. Quocirca Paulus Orosius l. 7 scribit, Arcadio Orientis, Honorio Occidentis provincias gubernantibus, commune Imperium, divisis tantum sedibus, fuisse: at post tempora Caroli M. neque leges a Latino Graecoque Imperatore communiter latae sunt, neque deinceps unquam aut Latinus Orientem aut Graecus Occidentem gubernavit. Quaeritur igitur, quisnam hujus translationis auctor fuerit, quisque Carolo Magno ac successoribus ejus nomen, dignitatem, ac potestatem Imperatoris Romanorum ac Caesaris Augusti in Occidente tribuerit. Respondemus id quod clamat consensus omnium gentium, Leonem III Pontificem Maximum aut solum aut praecipuum et primarium auctorem hujus translationis fuisse."[1])

Explicatur. 17. Alio loco: „Nec affirmamus, scribit Bellarminus, Leonem Pontificem armis Imperium de manu Graecorum eripuisse, ac deinde sic partum et acquisitum Carolo donavisse; sed jus ipsum quod Graecus Imperator in provincias Occidentalis Imperii habebat, necnon titulos, honores, ac dignitates Augustorum a Leone Pontifice Carolo impertitas asserimus. Qua communicatione factum est, ut Carolus et ea quae bello sibi pepererat justo titulo ut legitimus Imperator possideret, et jus item haberet ad ea recuperanda quae Romani Imperatoris ante fuissent.[2])" Ultima accuratius explicat inferius, dum advertit, „Carolum M. ante Leonis III Pontificatum justo bello occupasse ac tenuisse non quidem universum ... Occidentis Imperium, ... sed magnam tamen ejus partem. ... Caeterum ea ipsa loca non jure Caesaris, sed partim jure regis partim jure patricio Carolum possedisse. Id igitur Imperii translatio effecit, ut Carolus M. illa ipsa quae jam habebat, non tantum ut Rex aut Patricius, sed ut verus Imperator et Augustus retineret, utque jus haberet ad alias item provincias, quas occidentalis Imperii fuisse atque injuria ab aliis occupatas esse constaret; ut denique nominibus, titulis,

---

[1]) L. c. Lib. I. c. 4. [2]) Ibid. c. 7.

honoribus omnibus veterum Caesarum uteretur, atque eo nomine omnes Reges ac Principes, tum ipse, tum ejus successores ac posteri anteirent, etiamsi aliquando contingeret, ut essent alii christiani Reges ipso Caesare longe potentiores.“[1])

18. Ad Imperii indolem et translationis notionem etiam haec faciunt: „Dabatur Imperium virtutibus Caroli, dabatur meritis ejus necnon patris et avi, quae multa et magna in ecclesiam Romanam exstabant, verumtamen accesserunt etiam pacta . . . de Ecclesia universa ac potissimum de apostolica Sede perpetuo defendenda. Est enim Imperator Romanus (ut jura passim loquuntur) proprius Ecclesiae catholicae atque praecipuus Advocatus. Porro continetur hoc pactum tum in eo sacramento, quod Reges Romanorum Pontifici Romano praestare solent cum ad coronam accipiendam veniunt: tum etiam ipsa voce translationis Imperii. Idcirco enim non novum Imperium erectum, sed antiquum translatum ad Germanos dicimus, ut meminerint Germani Imperatores, non modo jus et potestatem imperandi, sed etiam curam et sollicitudinem Ecclesiae tuendae, Constantini, Theodosii, Marciani, Justini, Tiberii, aliorumque veterum ac piorum Caesarum ad se translatam, quae etiam causa est, ut aliquando Romani Pontifices certos Imperatores et Ecclesiae communione et Imperii dignitate privarint, quod videlicet adversus inita et jurata pacta non se illi advocatos, sed hostes Ecclesiae praestitissent.“[2])

19. Ex hisce colligitur, quomodo Bellarminus aliique viri insignes illam *translationem* Imperii occidentalis a Graecis ad reges Francorum conceperint. Existimant videlicet, Imperatori Graecorum competisse sin minus de facto saltem *de jure* ante Caroli M. coronationem, 1º ut jure imperiali recuperaret atque teneret eas provincias, quae partem totius Imperii Romani constituerant. 2º Ei de jure competisse, ut *solus* possideret illam majestatem, dignitatem sublimem, summosque eos honores, quibus in toto Translatio qualis.

---

[1]) Ibid. c. 13. [2]) Ibid. c. 13.

orbe terrarum atque apud omnes gentes Imperator Romanorum ex tot saeculis fruebatur. 3° Ei de jure competisse, ut, quemadmodum fuerant Constantinus ac Theodosius, esset protector ac defensor Ecclesiae ac totius societatis christianae. — Jam vero Leo III coronatione Caroli Magni in Imperatorem ea jura illamque dignitatem et majestatem, quantum spectabat ad Occidentem, contulit Carolo, adeoque ea in re merito ponitur translatio Imperii Occidentis a Graecis ad Francos. — Medio aevo autem plures auctores videntur supposuisse *translationem plenam Imperii* a Graecis ad Francos. Ea enim Imperii notio magis magisque se evolverat, quod esset in Imperatore suprematia quaedam temporalis, protectionis et defensionis, quoad universam societatem christianam, subordinata tamen directioni Romani Pontificis atque quoad collationem ab eo dependens. Haec igitur dignitas, hoc Imperium nonnisi *unicum* esse poterat. Maxime vero quum Imperator Orientis animum prae se ferret schismaticum, ipse non re, sed inani titulo Imperator esse censebatur.

Sententia modificanda. 20. Tempore tamen Caroli M. per institutum Imperium occidentale, saltem non expresse derogatum fuit imperiali dignitati Imperatoris Graeci in sua ditione. Quod vero ad jura illa attinet quae recensuimus, dubium videtur, utrum reapse adhuc Imperatori orientali convenerint. Quoad provincias Occidentis regendas, jus erat certe valde remotum, imo per eventus multiplices infirmatum. Defensionem Ecclesiae jam dudum illi Imperatores omiserant, atque impia oppressione ei dominari passim studuerant; nec protegendae societati christianae erant pares. Ita et dignitas illa et majestas imperialis quam eousque soli habebant, influxu reali apud alias nationes carebat. — Non potest igitur eo sensu dici translatum a Graecis ad Carolum M. occidentale Imperium, ac si jura *quae de facto exercebantur* ab Imperatoribus CPtanis in Occidentem translata essent in Carolum M., vel quasi potestas aliqua, qua fruebantur, ipsis esset adempta et Carolo collata. Quadamtenus tamen translatio Imperii occidentalis dici potest perfecta per Leonem. Etenim relicta quaestione

de fundamentis ultimis jurium suorum, Imperatores orientales sese considerabant ut successores Imperatorum Romanorum qui totum Imperium habuerant, titulum gerebant, non Imperatorum Orientis, sed Imperatorum Romanorum, et praescriptione atque aestimatione illud jus eos dixeris habuisse, ut etiam in Occidentem, si convenienti modo fieri poterat, suum imperium extenderent et exercerent. Quatenus igitur aliquod *jus ad rem* videbantur habere sibique attribuebant, et quatenus coronatione Caroli M. factum est, ut omnes eorum tituli evanescerent, et dignitatem eousque singularem Imperatoris jam participaret pro Occidente Carolus, dici potest translatum esse in ipsum Imperium Occidentis. — Caeterum recte ac melius etiam dici *renovatum* esse *Imperium Occidentis* in Carolo M., ex nostra expositione satis colligitur.[1] Imperii occid. renovatio.

21. Insignis nostri temporis auctor cl. Reumont amplecti fere videtur sententiam medio aevo satis communem, Imperii Romani erectione, *si principia spectantur* quibus eadem nitebatur, Imperium Byzantinum subrutum jam fuisse. Videlicet, si consideratur idea ac notio religioso-politica Imperii quae Romae praevaluit, *de jure*, seu inspectis principiis, ipsa existentia Imperii Byzantini exinde *anomalia* quaedam erat. Non poterat existere duplex Imperium; id pugnabat cum notione christiana *monarchiae universalis christianae*, quam ipsa idea Imperii sacri Romani involvebat. Hoc autem Imperium sacrum et christianum intimo nexu cohaerebat cum summo et universali pontificatu Romani Pontificis. Potuissent tamen duo Imperatores illam unam monarchiam universalem, divisis provinciis, exercere, quemadmodum etiam antiquitus id acciderat.[2] Haec animadversio profunda sane est et acuta. Et re quidem vera Byzantinum Imperium separatum plane ac divisum a Romano nonnisi *anomalia* quadam ac *de facto* tantum, haud vero *salvis principiis et de jure* cum

Imperium Byzantinum.

[1]) Etiam in numismatibus in memoriam magni eventus ea aetate excusis inscriptio habetur: *Renovatio Romani Imperii.*

[2]) L. c. p. 135.

sacro Imperio Romano consistere poterat. Sed *per se* potuissent sane Imperatores CPtani adoptare illa principia vera, et communi consensu et concordia cum Imperatoribus Occidentis iterum formare universalem illam monarchiam christianam atque Imperium unicum, cujus partem uterque Imperator gubernaret. Quod si factum non est, Imperatoribus Graecis maxime adscribi debet.[1])

Orientalium indignatio.

22. Quamvis autem Leo III et Carolus M. nullatenus directe Imperatores Orientis restituto Imperio Occidentis laederent, Orientales tamen inde vehementer offensi sunt,

[1]) Ulterius progreditur doctissimus vir Anglus J. Bryce in erudito opere citato, *The holy Roman empire.* Quamvis in multis laudet Leonem III et Carolum M., tamen contendit, illegalem fuisse illum actum coronationis Caroli et erectionis Imperii Romani. Haud renovatum fuisse asserit illud Imperium occidentale quod a. 476 sub Romulo Augustulo interierat, sed Imperio Cptano, ac si post mortem Constantini VI, regnante muliere Irene, vacaret, substitutum et oppositum fuisse unicum Imperium Romanum. Inter alia haec habet: „Both the extinction of the Western Empire in that year (476) and its revival in A. D. 800 have been very generally misunderstood in modern times, and althoug the mistake is not, in a certain sense, of practical importance, yet it tends to confuse history and to blind us to the ideas of the people who acted on both occasions. When Odoacer compelled the abdication of Romulus Augustulus, he did not abolish Western Empire as a separate power, but caused it to be reunited with or sink into the Eastern, so that from that time there was, as there had been before Diocletian, a single undivided Roman Empire. In A. D. 800 the very memory of the separate Western Empire, as it had stood from the death of Theodosius till Odoacer, had, so far as appears, been long since lost, and neither Leo nor Charles nor any among their advisers dreamt of reviving it. They too, like their prepredecessors, held the Roman Empire to be one and indivisible, and proposed by the coronation of the Frankish king not to proclaim a severance of the East and West, but to reverse the act of Constantine, and make Old Rome again the civil as well as the ecclesiastical capital of the Empire that bore her name. Their deed was in its essence illegal, but they sought to give it every semblance of legality: they professed and partly believed that they were not revolting against a reigning sovereign, but legitimately filling up the place of the deposed Constantine the Sixth; the people of the imperial city exercising their ancient right of choice, their bishop his right of consecration." L. c. ch. V. p. 62. — Quae minus accurate hac in re dicta censeamus, ex disputatis colliges.

novum Romanorum Imperatorem agnoscere noluerunt, ac varii scriptores inter praecipuas posterioris schismatis rationes hanc afferunt.[1]) Cum Carolo M. quidem ejusque successoribus Imperatores Graeci, ut Saracenis resistere possent, foedera quaesierunt, sed nec nomen Imperatorum Romanorum ipsis voluerunt concedere, nec se, quos solos Romanorum Imperatores esse contendebant, passi sunt dici Imperatores Graecorum. Romam atque Imperium sibi ut proprietatem vindicabant; agnoscere Imperatorem Occidentis idem ipsis erat ac renuntiare *Imperio mundi*, ac possessioni Italiae quam se recuperaturos sperabant. — Referunt plures auctores Graeci suppares, ut Theophanes, Cedrenus, Zonaras, actum fuisse de connubio inter Carolum M., cujus uxor Lutgardis anno 800 decesserat, et Irenem Imperatricem viduam, ut ea ratione unitas Imperii obtineretur. Scriptores quidem Francorum ea de re tacent, nec Gregorius Harmatolus, auctor Graecus coaevus, ejusmodi negotiationis facit mentionem. Rumoris occasio forte fuit, quod eo tempore legatio Caroli M. Constantinopoli versaretur; nec per se ullatenus improbabile esse videtur, tale consilium Carolum M. cepisse. At mox Irene a Nicephoro e throno dejecta est. — Eginhardus identidem in *Vita Caroli M.* commemorat infensum Graecorum animum. Praeter ea quae ex c. 28° jam citavimus, etiam c. 16° scribit: *Imperatores etiam CPtani, Nicephorus, Michaël et Leo, ultro amicitiam et societatem ejus expetentes, complures ad eum misere legatos, cum quibus — tamen propter*

---

[1]) Ita Constantinus Manasses historicus Graecus medio saeculo XII florens, qui compendium historiae versibus concinnavit, canit:

Λεὼν ἀναγορεύει κρατέρα τῆς παλαιοτέρας Ῥώμης. (v. 4513).
Οὕτως ὁ πρώην σύνδεσμος τῶν πόλεων ἐῤῥάγη. (v. 4520 sqq.).
οὕτω μητρὸς καὶ θυγατρὸς μέσον ἐπέπτη σπάθη,
διχάζουσα καὶ τέμνουσα μετὰ θυμοῦ ῥομφαίας
νεανὶν τὴν εὐπρόσωπον, τὴν νεωτέραν Ῥώμην
ἐκ τῆς ῥυσωσῆς καὶ παλαιᾶς καὶ τριπεμπέλου Ῥώμης.

Recens Zampelios scribit: *Ἐντεῦθεν ἀκριβῶς ἄρχεται ὁ Πάπισμος, ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὸ σχίσμα τῶν ἐκκλησιῶν μεταβαίνει εἰς ἑτέραν φάσιν.* (*Βυζαντῖναι μελέται*. Athenis 1857). Cfr. Hergenröther, Photius, B. I. S. 258, B. II. 171 sqq.

susceptum a se Imperatoris nomen, et ob hoc, quasi qui Imperium eis eripere vellet valde suspectum — foedus firmissimum statuit, ut nulla inter partes scandali cujuslibet remaneret occasio. — *Erat enim semper Romanis et Graecis Francorum suspecta potentia; unde et illud graecum exstat proverbium: Τον Φραγκον φιλον ἐχῃς, χιτωνα οὐκ ἐχῃς.*

Ludovici II epistola.

23. Ut vero melius cognoscatur, qualis fuerit sententia de Imperio saeculo nono, juvabit hoc loco attendere ad litteras, quas Ludovicus II Imperator Romanus anno 871 direxit ad Basilium Imperatorem CPtanum. Basilius diffusa epistola ad Ludovicum missa (quae deperdita est) conquestus erat, quod hic diceret se Imperatorem Romanorum; nonnisi Basilio soli nomen Imperatoris (*βασιλεὺς*) competere, hanc esse legem immutabilem a qua recedere nefas sit. *Indicat dilectio tua,* scribit Ludovicus, *se maledictum legis pavescere,* et idcirco *terminos aeternos transferre, et veterum Imperatorum formas commutare, ac praeter canonica ac paterna praecepta conversari renuat ac recuset.* Ad summum, contendebat Basilius, Ludovicum dici posse Imperatorem (*βασιλεὺς*) Francorum, quum nonnisi Francis, et parti quidem eorum tantum dominetur, nulla ratione eum dici posse Imperatorem Romanorum; consultius vero esse, ut uteretur nomine *ῥῆγα*, seu rex Francorum. — Ludovicus II Basilio cum vigore et quadam indignatione respondit, ac de Imperio Romano ita disserit, ut appareat, eam notionem, quam medio aevo procedente invenimus apud scriptores evolutam, jam tunc adfuisse satis accuratam.

24. Inscripsit epistolam: *In nomine Domini Nostri Jesu Christi Dei aeterni. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus Romanorum, dilectissimo spiritualique fratri nostro Basilio gloriosissimo ac piissimo aeque Imperatori novae Romae.* Refellit porro multiplices errores epistolae Basilii, ostenditque, nomen *βασιλεὺς* variis principibus omni tempore datum esse. — Dein: *Dicis autem,* inquit, *quod quatuor patriarchales sedes unum Imperium* (*βασιλείαν*) *inter sacra mysteria memorari a deiferis Apo-*

stolis usque nunc traditum habeant[1]); *nos hortaris* (ironice) *ut persuadeamus eis, quo nos Imperatores appellent. Quod tamen nec ratio dictat, nec est opus.* — Indicat dein, se Imperatorem appellari in litteris ab omnibus excepto Basilio. — *Praesertim*, pergit, *quum et ipsi patrui nostri gloriosi reges absque invidia Imperatorem nos vocitent, et Imperatorem esse procul dubio fatentur, non profecto ad aetatem qua nobis majores sunt, attendentes, sed ad unctionem et sacrationem, qua per summi Pontificis manus, impositione et oratione divinitus sumus ad hoc culmen provecti, et ad Romani principatus Imperium, quo superno nutu potimur, adspicientes. Porro si unum Imperium patriarchae inter sacrosancta sacrificia memorant, laudandi sunt, non utique inconvenienter agentes. Unum est enim imperium Patris et Filii et Spiritus Sancti, cujus pars est Ecclesia constituta in terris, quam tamen Deus nec per te solum nec per me tantum gubernari disposuit, nisi quia tanta sumus ad invicem caritate connexi, ut non jam divisi, sed unum existere videatur.* — Valde congrue his innuit Ludovicus, qua ratione in uno Imperio societatis christianae ipsi duo possint esse Imperatores concordia mutua. Unde vides, ex his expositionem nostram anteriorem confirmari.

25. De institutione et origine porro Imperii Romani, ac de ejus indole optime disserit. *Praeterea*, scribit, *mirari se dilecta fraternitas tua significat, quod non Francorum sed Romanorum Imperator appellemur: sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen et dignitatem assumpsimus, apud quos profecto primo tantae culmen sublimitatis et appellationis effulsit, quorumque gentem et urbem divinitus gubernandam, et matrem omnium ecclesiarum Dei defendendam atque sublimandam suscepimus, ex qua et regnandi prius et postmodum imperandi auctoritatem prosapiae nostrae seminarium sumpsit. Nam Francorum principes primo* Imperii origo.

---

[1]) Ex his Basilius sumebat argumentum, unum esse Imperium et unum Imperatorem.

reges, deinde vero Imperatores dicti sunt, ii dumtaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo sancto perfusi sunt; in qua etiam Carolus magnus abavus noster unctione ejusmodi per summum Pontificem delibutus, primo ex gente et genealogia nostra, pietate in eo abundante, et Imperator dictus et Christus Domini factus est. — Vides Imperium hic describi ut institutum a Romano Pontifice, ad defensionem Ecclesiae et in bonum societatis christianae. Ipsius etiam consecratione et unctione haec dignitas et potestas confertur.

Vindicatur factum Leonis III.

26. Quum vero ut facinus injustissimum Leonis III factum haberent Graeci, istam quoque quaestionem Imperator tractat. *Porro si calumniaris,* inquit, *Romanum Pontificem quod gesserit, calumniari poteris et Samuël, quod spreto Saule, quem ipse unxerat, David in regem ungere non renuerit. Verum super hoc si est qui summo Pontifici unum faciat muttum, congruo profecto illius non carebit responso. Sed interim si paginas revolvas graecorum Annalium, et quae discrimina ab alienis, per tam vos nequaquam defensi, quam a vestratibus Romani Pontifices pertulerunt, perscruteris: profecto invenies, unde illos juste non valeas redarguere. Verum haec illi, quae extrinsecus agebantur, facile parvipenderunt, nisi et intrinsecus, quae per diversas haereses perimere conantium molimina deprehenderunt. Unde merito apostatis desertis, (quae enim communicatio Christi cum Belial!) adhaeserunt genti adhaerenti Deo, et ipsius regni fructus facienti: quoniam non est personarum acceptor Deus, sed, ut eximius Apostolorum innuit, in omni gente qui timet Deum, acceptus est illi. Ergo cum ita sit, cur nos satagis reprehendere, quoniam ex Francis oriundi, Romani moderamur habenas Imperii, cum in omni gente qui timet Deum, acceptus est illi? Et certe Theodosius major, et filii Arcadius et Honorius, et Theodosius minor Arcadii filius, ex Hispanis ad Imperii Romani culmen assumpti sunt, et non invenimus, quod aliqui clamaverint, vel reprehenderint Theodosium, quod non Romanus, sed Hispanus existeret. . . . Ergo, frater charissime, desine in hoc contentiosius agere, desine adulatoribus quibuscunque aures tuae puritatis inflectere. Denique gens Francorum multos et foecundissimos*

Domino attulit fructus, non solum cito credendo, verum etiam nonnullos alios salutifere convertendo. Verum vobis a Domino jure praedictum est: Auferetur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructus ejus. Sicut ergo potuit Deus de lapidibus suscitare filios Abrahae, ita potuit de Francorum duritia Romani suscitare successores Imperii. . . . Ut sicut nos per fidem Christi Abrahae semen existimus, et Judaei per perfidiam Abrahae filii esse desierunt: ita quoque nos propter bonam opinionem, id est orthodoxiam, regimen Imperii Romani suscepimus, Graeci vero propter cacodoxiam, id est malam opinionem, Romanorum Imperatores existere cessaverunt, deserentes scilicet non solum urbem et sedem Imperii, sed et gentem Romanam et ipsam quoque linguam penitus amittentes, atque ad aliam urbem, sedem, gentem et linguam per omnia transmigrantes.[1]) Ostendit hisce Ludovicus, justissime a Pontifice Imperium occidentale Francis concedi potuisse, quum Franci id meruerint, Graeci autem perdiderint illud tum demeritis suis, tum quod dereliquerint Italiam et Romam. Atque hisce denuo innuit, secundario connexum esse Imperium cum urbe Roma (mundi domina) adeoque Imperium occidentale reipublicae Romanae innitens undequaque legitimum esse atque perfectum. Quum vero severius Basilium exagitat, tamen iis quae in hac epistola subsequuntur eum demulcire conatur. Sed ea ad rem nostram minus pertinent.

27. Caeterum Graeci perstiterunt in sua aversione contra Imperium Occidentis, et in ea sententia qua superbe asserebant, sibi solis Imperatoris Romanorum nomen ac dignitatem competere. Etiam saeculo decimo, quum Luitprandus legatus Ottonis I Imperatoris Constantinopolim venisset (a. 968), ut matrimonium conciliaret inter Ottonem II et filiam Romani, defuncti Imperatoris, Nicephorus Imperator et aulici aegerrime tulerunt, quod in inscriptione epistolae Joannis XIII R. Pontificis Otto diceretur Imperator Romanorum, Nicephorus vero Graecorum. *Inscriptio*

Graecorum aversio perdurans.

---

[1]) Vide epistolam ap. Baronium ad a. 871. n. 51 sqq.

secundum Graecos peccatrix et temeraria. Objurgabant Graeci mare, imprecabantur aequori, plus justo mirantes, cur peccatum illud portare potuerit, cur fretum dehiscens navim non absorbuerit. Imperatorem, inquiunt, universalem Romanorum, Augustum magnum, solum Nicephorum scripsisse Graecorum, hominem quemdam barbarum, pauperem, Romanorum non piguit. O coelum, o terra, o mare![1])

II.

De Pontificibus et Imperatoribus saeculi noni.

28. Enarrata institutione Imperii sacri Romani ejusque delineata natura, ut rerum ecclesiasticarum statum quinam fuerit saeculo nono accuratius describamus, Pontificum et Imperatorum seriem et gesta breviter commemorare convenit. Praesertim vero hac in re advertendum est, quales fuerint Imperatorum et Pontificum (Imperii et Sacerdotii) mutui habitus, seu concordiae vel dissidii relationes. Inde enim per saecula quae sequuntur Ecclesiae et societatis christianae salus et prosperitas multum dependerunt. — Facile autem vides, quum tanta regnorum potestas summaque Imperii dignitas uni Imperatori propria essent, inde eum potuisse petere occasionem, ut quum esset Ecclesiae defensor ac protector, nimium dominari adniteretur. Atque etiam illa suprema auctoritas imperialis, quae in ditionem quoque Romanam et Urbem sese extendebat, ex natura sua, quum jura haud essent accurate determinata, ansam praebebat, ut Imperatores potestatem quamdam immoderatam in Urbe sibi vindicarent, quae Pontificibus molesta esset, eorum principatum civilem coarctaret, et libertati Ecclesiae foret periculo. Generatim quidem saeculo nono pax inter Sacerdotium et

Unde pericula.

---

[1]) Luitprandi Legatio ad Nicephorum Phocam. Luitprandi Opp. p. 152; edit. Antverp. a. 1640.

Imperium constitit, quamvis ex potestate quam Imperatores in Urbem sibi tribuebant, passim difficultates natae sint. Romae videlicet collidebant principatus civilis summi Pontificis, tendentiae municipii vel procerum qui partem gubernii sibi vindicabant, et auctoritas Imperatoris cui summa quaedam jurisdictio per delegatos judices competebat.

29. Sub pontificatu *Leonis III* concordia inter ipsum et Carolum M. haud fuit turbata. Universim Carolus Imperator debitam reverentiam erga Ecclesiam et Pontificem observavit, quam etiam saepius tum ante tum post receptam dignitatem imperialem legibus suis professus est. Ejus principia hac de re scite expressa sunt in Capitulario *de honoranda Sede apostolica* anno 801 edito: *In memoriam beati Petri honoremus sanctam Romanam et Apostolicam Sedem,*[1] *ut quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas; ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, feramus, et pia devotione toleremus.*[2] Seipsum Carolus dicebat *Ecclesiae defensorem et protectorem*, uti habetur in lege anni 802: (Sanctarum ecclesiarum Dei) *ipse Domnus Imperator, post Domini et Sanctis ejus, earum et protector et defensor esse constitutus est.*[3] — Leo III anno 805 iterum in Galliam profectus cum Imperatore convenit; probabile est, eum egisse cum Carolo tum de aliis rebus ecclesiasticis, tum de auctoritate quae missis imperialibus in dominio Ecclesiae conveniret. Ex variis epistolis Leonis ad Carolum colligitur, Pontificem invigilasse, ne jura temporalia ejus per missos imperiales violarentur.[4] Etiam in quaestione de addenda voce *Filioque* in Symbolo Pontifex postulationi Imperatoris non cessit, sed ea fecit quae oeconomia prudenti convenire judicavit. Sed hac de quaestione inferius agetur.

Concordia sub Leone III.

---

[1]) Verba haec ad instar canonis Sardicensis composita esse videntur.
[2]) Balutius, Capitularia Regum Francorum T. I. p. 357.
[3]) Pertz, Mon. Germ. t. III. (L. I.) p. 91.
[4]) V. epist. 2. 9. 10. in Cod. Car. pp. 311. 330. 332.

Divisio regnorum.

30. Carolus M. de constituenda et conservanda pace inter filios suos sollicitus, regnum suum a. 806 in tres partes divisit, *ut sciret unusquisque illorum, quam partem tueri et regere debuisset, si superstes illi eveniret.* Ita Eginhardus in Annalibus ad a. 806, ubi subdit: *De hac partitione et testamentum factum et jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, et constitutiones causa conservandae pacis factae: atque haec omnia litteris mandata sunt, et Leoni papae, ut his sua manu subscriberet, per Einhardum missa. Quibus Pontifex lectis et assensum praebuit et propria manu subscripsit.* — In illa divisione Pipino data est Italia *quae et Longobardia dicitur;* nulla autem mentio fit exarchatus Ravennatensis et ditionis Romanae, ex quo argumentum peremptorium colligitur, principatum civilem R. Pontificis plenum fuisse, et Romam non ad regnum Italiae, sed tantum ad Imperium pertinuisse, ac nonnisi imperiali auctoritati subfuisse. — Merito etiam summae laudi tribuitur Carolo, quod versus finem vitae suae ecclesiis libertatem electionis episcoporum concederet, uti habetur in Capitulario 87: *Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini ecclesiastico praebuimus, ut scilicet per electionem cleri et populi, secundum statuta canonum, de propria dioecesi, remota personarum et munerum acceptione, ob vitae meritum et sapientiae donum eligantur, ut exemplo et verbis sibi subjectis usquequaque prodesse valeant.*[1])

Inauguratio Ludovici Imp.

31. Quum Carolus et Pipinus filii Caroli M. ante ipsum ex hac vita migrarent, Imperator anno 813 Ludovicum instituit suum in Imperio successorem. Is quidem Aquisgrani eo anno solemniter inauguratus, et salutatus est Imperator, sibique mandante patre coronam imposuit. Non desunt auctores qui existimant, pro arbitrio suo et nulla habita ratione Romani Pontificis Carolum de Imperio disposuisse, dignitatemque imperialem Ludovico filio ut haeredi detulisse.[2]) Quodsi revera non consulto

---

[1]) Balutius l. c. Capitularium L. I. p. 718.
[2]) Cfr Martens l. c. S. 216.; Kraus K. G. S. 254.

et inscio Leone Pontifice nomen et honorem Imperatoris Ludovico contulit, inde ad summum inferendum esset, ad indolem sacri Imperii Carolum tunc non plene attendisse, atque existimasse, quum Imperium institutum fuisset ut continuaretur per subsequentem aetatem, ex natura rerum in suo filio esse continuandum. Intendebat certe, ut huic postea consecratio a Pontifice conferretur et sic actio ejus sanciretur. Haud admiserim, Carolum Magnum actu suo voluisse indirecte tangere Pontificem, ac si is nimium quid sibi tribuisset in coronatione ipsius. Imo cum gravibus auctoribus[1]) censeo, conscio et consentiente Leone III coronationem Ludovici factam esse. Frequentes et fere continuae erant legationes inter Carolum atque Pontificem, et Carolo Magno cordi fuisse, ut Pontificis assensu actus suos firmaret, vel ex eo colligitur, quod etiam a. 806 in distributione regnorum assensu Pontificis voluerit documenta firmare. Mirum vero non est, quod in hac Ludovici coronatione Leo III diploma aliquod solemne non dederit. Etenim quum ritus sacer consecrationis imperialis ab ipso perficiendus esset reliquus, illa coronatio potius ut *designatio* Ludovici in successorem Caroli Imperatoris habenda erat. Nec enim plene dignitatem imperialem possidere censebantur Imperatores, nisi post Pontificis unctionem et consecrationem. Ex ipsa indole Imperii promanabat, quod Pontifex constitueret Imperatorem, quamvis haud dubie inde ab initio id Leoni propositum fuerit, ut ex posteris Caroli M. in Imperium aliquis succederet.

32. Anno sequente 814, mense Januario, Carolus Imperator, quum Aquisgrani hiemaret, valida febre correptus est, et accedente ad febrem lateris dolore decessit anno aetatis septuagesimo secundo, et ex quo regnare coeperat quadragesimo septimo, die 28 Januarii. Anno 1165, imperante Friderico Aenobarbo, Paschalis III antipapa Carolum M., cujus memoriam populus pie venerabatur, in album Mors Caroli M.

[1]) Cfr. Hergenröther, Kirche und Staat S. 154; Gosselin, Pouvoir du Pape, Tom. II. n. 263. (Edit. de Louvain Tom. II. p. 317.)

Sanctorum retulit. Cujus diploma de canonizatione Caroli Magni quum legitimi Pontifices non resciderint, ejusque cultum toleraverint, publicus Caroli M. cultus in quibusdam Germaniae, Galliae et Belgii ecclesiis retentus fuit.

33. Magnas fuisse Caroli virtutes et eximia in Ecclesiam merita negari non potest; si vero aliqua occurrunt in vita ejus minus probanda, ista sane ab Ecclesia nullatenus commendantur, nec tamen propterea eadem tenebatur interdicere cultum ejus. Praecipua exceptio quae movetur contra sanctitatem Caroli ea est, quod amori illicito in feminas indulserit. — A variis auctoribus agitata fuit quaestio de Caroli M. uxoribus et concubinis quae recensentur, ac variae sunt de re obscura sententiae. Sunt qui aperte Carolum M. incontinentiae accusant; alii tamen ob graves rationes rem ita explicant, ut vel nulla fuerit Imperatoris culpa vel saltem multum excusetur. Censent igitur hi auctores, illas etiam feminas quae nominantur concubinae, uxores fuisse legitimas, sed inaequalis conditionis; ejusmodi scilicet uxoribus nomen concubinarum frequenter datum esse constat. Dimissionem quidem primae uxoris et connubium cum Desiderata vitio non caruisse, sed mox Carolum ob monita Stephani Pontificis rejecta Desiderata legitimam uxorem sumpsisse.[1] Quoad reliquas censent feminas rem ita habuisse, ut essent successive Caroli uxores legitimae, quamvis concubinae plures vocentur. Atque ita, exceptis adolescentiae naevis, Carolo transgressionem castitatis objici non posse. Quod vero plures successive uxores duceret, id lege christiana haud prohiberi, nec improbari posse, quum eo scopo id fecerit, ut sibi multis periculis exposito, et familiae bene ordinandae provideret.

Caroli M. uxores.

34. Scite tamen censemus animadverti a cl. Damberger, probabile esse, a Carolo etiam consentientibus epi-

Laxior disciplina.

---

[1] Primam uxorem plures auctores fuisse existimant Himiltrudem, alii vero censent, eo tempore Carolum revera praeter legitimae uxoris consortium, etiam rem habuisse, cum aliqua concubina, cui nomen Himiltrudis. V. Civiltà cattol., L' ultimo dei Re Longobardi, Ser. V. vol. 5. p. 403. — Cfr. dictis notam nostram 2, p. 198.

scopis et bona fide dimissas esse passim concubinas illas, seu uxores legitimas sed inaequales. Id enim jure civili permittebatur, et apud Francos disciplina ecclesiastica quoad indissolubilitatem matrimonii diu vacillabat. Ita e. g. tum in concilio Vermeriensi a. 753, tum in concilio Compendiensi a. 757, varii canones conditi sunt hac in re laxiores. Concilii Vermeriensis canon 9us est de muliere, quae maritum suum in alium ducatum vel provinciam euntem sequi noluit. Hanc innuptam manere jubet synodus, quamdiu vir ejus fuerit superstes. Huic vero si se continere non possit, aliam uxorem ducere permittit, cum poenitentia, id est, ea conditione ut poenitentiam agat.[1]) Canone 6° autem concilii Compendiensis agitur de vasallo seu servo, cui data est uxor feudo in quo degebat addicta; recedens inde ad propinquos prioris domini, ibi matrimonium contrahit cum altera femina. Ei conceditur ut hanc habeat uxorem.[2]) Canon porro 13us declarat, fas esse viro, qui uxorem suam in monasterium ingredi aut foras monasterium velari permisit, aliam conjugem ducere[3]); id quoque licere mulieri cujus vir monasticam vitam ipsa consen-

---

[1]) Can. 9us: „Si quis necessitate inevitabili cogente in alium ducatum seu provinciam fugerit, aut seniorem suum, cui fidem mentiri non poterit, secutus fuerit, et uxor ejus, cum valet et potest, amore parentum aut rebus suis, eum sequi noluerit, ipsa omni tempore quamdiu vir ejus quem secuta non fuit vivet, semper innupta permaneat. Nam ille vir ejus, qui necessitate cogente in alium locum fugit, (si nunquam in suam patriam se reversurum sperat), si se abstinere non potest, aliam uxorem cum poenitentia potest accipere." Pertz M. G. Tom. III. (L. I.) p. 22.

[2]) Prior scilicet, alteri feudo addicta, virum sequi nequit. — En tenor canonis 6: „Homo francus accepit beneficium de seniore suo, et duxit secum suum vasallum, et postea fuit ibi mortuus et dimisit ibi ipsum vasallum; et post hoc accepit alius homo ipsum beneficium, et pro hoc ut melius potuisset habere illum vasallum, dedit illi mulierem de ipso beneficio, et habuit ipsam aliquo tempore; et dimissa illa reversus est ad parentes senioris sui mortui, et accepit ibi uxorem et modo habet eam. Diffinitum est, ut illam quam postea accepit ipsam habeat." Labbé, Tom. VI. p. 1695.

[3]) Natal. Alexander addit *post ejus mortem;* sed id in canone non invenitur. Cfr. Nat. Al. in saec. VIII. Cap. IV. art. 7. — Forte dici

tiente amplexus est. Juxta canonem 19[um], si leprosus maritus concedat uxori suae sanae ut alteri nubat, id facere potest; idem valet quoad maritum uxoris leprosae.[1]) Ex hisce vides, disciplinam quoad matrimonii indissolubilitatem laxiorem fuisse, unde fieri potuit, ut Carolus M. certis in adjunctis opinaretur concubinas posse dimitti.[2])

---

posset, agi de matrimonio rato et non consummato, uti opinatur Pagius in notis criticis ad Baronium, a. 771. n. 3.

[1]) Cfr. Hefele, C. G. B. III. §. 379.

[2]) De variis uxoribus Caroli M. haec ex auctoribus coaevis colliguntur. Prima ejus uxor fuit femina nobilis ex gente Francorum. quae forte inaequalis erat conditionis; sed conjugem legitimam fuisse argumento sunt verba Stephani III in epistola, qua Carolum et Carolomannum monebat, ne cum aliqua filia Desiderii regis Longobardorum matrimonium inirent. — De reliquis conjugibus ita Eginhardus in Vita Caroli M.: „Cum matris hortatu filiam Desiderii regis Longobardorum duxisset (Carolus) uxorem, incertum qua de causa, eam post annum repudiavit, et *Hildegardim* de gente Suevorum praecipuae nobilitatis feminam in matrimonium accepit, de qua tres filios, Karolum (n. a. 772. m 811), et Pipinum (n. 776. m. 810), et Ludovicum (n. 778. m. 840), totidemque filias Rothrudem (n. 773. m. 810). Bertham (n. 775. m. 783) et Giselam (n 781 m. 810) genuit." Ab aliquot auctoribus praeterea recensentur aliae filiae Hildegardis, sc. Adelaidis et Hildegardis. Caroli uxor Hildegardis obiit die 30 Aprilis a. 783. „Habuit et alias tres filias Theoderadem, et Hiltrudem, et Ruodhaidem, duas de *Fastrada* (m. 794) uxore, quae de orientalium Francorum Germanorum gente erat, tertiam de concubina quadam cujus nomen modo memoriae non occurrit. Defuncta Fastrada *Liudgardem* (m 800) Alemannam duxit, de qua nihil liberorum tulit." Juxta quosdam auctores tamen etiam ex hac prolem habuit (Cf. Alberdingk Thym l. c. p. 541); hinc forte Eginhardus falso superius de filia concubinae loquitur. „Post ejus mortem tres habuit concubinas *Gersuindam* Saxonici generis, de qua ei filia nomine Adaltrud nata est, et *Reginam* quae ei Drogonem et Hugum genuit. et *Adallindam* ex qua Theodoricum procreavit." Deinde cap. 20 addit Eginhardus: „Erat ei filius nomine Pipinus ex concubina editus, cujus inter caeteras facere mentionem distuli." Fuit hic Pipinus gibbosus, quantum ex documentis conjici potest, filius Himiltrudis, cui Natalis Alexander etiam Ruodhaidam vel Rothaidam filiam tribuit. — Haud omnino claret, utrum Carolus post repudiatam Desideratam, anteriorem uxorem resumpserit, eâque mox mortua Hildegardem duxerit, an vero prima conjux jam illo anni spatio quo cum Desiderata Carolus vixit, obierit. Forte Hildegardis ducta est illa conjuge adhuc vivente, eo

35. Post mortem Caroli M. Romae iterum tum annis 814 et 815 seditiones nobilium contra Leonem III exarserunt, in iisque supprimendis, mandante Ludovico Pio Caroli successore, auxilium praestiterunt Bernardus Italiae rex, defuncti Pipini filius, et Winigis dux Spoletanus. Dissidia autem quaedam minoris momenti ea occasione inter Ludovicum et Leonem orta sunt quoad extensionem auctoritatis imperialis in Urbe; facile tamen videntur esse composita.[1] Anno 816 die 11 Junii obiit Leo III, in ejusdem locum die 22 ejusdem mensis successit *Stephanus IV* Romanus. Stephanus IV R. P. — Theganus Chorepiscopus Trevirensis et auctor coaevus de ipso: *Qui statim,* scribit, *postquam pontificatum suscepit, jussit omnem populum Romanum fidelitatem promittere Ludovico,* meritoque addit Baronius (ad a. 816), id ea de causa factum esse ut tumultuari soliti Romani in Romanum Pontificem (uti vidimus sub Leone) eo saltem modo coërceri possent. Paulo post Stephanus pro ecclesiarum utilitatibus iter suscepit in Galliam. Summo honore a Ludovico exceptus est, et *proxima die Dominica,* ait Theganus, *in ecclesia ante missarum solemnia, coram clero et omni populo consecravit eum et unxit eum ad Imperatorem, et coronam auream mirae pulchritudinis, cum pretiosissimis gemmis ornatam quam secum adportaverat, posuit super caput ejus. Et Irmingardam reginam appellavit Augustam, et posuit coronam auream super caput ejus.*[2] — Christiana mansuetudine ductus Pontifex etiam hoc ab Imperatore obtinuit, ut qui propter motus sub Leone III excitatos exules erant, Romam reverti possent. Dein Stephanus multis muneribus ab Imperatore cumulatus Romam repetiit, sed brevi post quum summam felicis pontificatus omnibus faceret spem, ex hac vita migravit die 24 Januarii a. 817.

---

quod matrimonium illud irritum esset, vel ut tale haberetur. Papenbrochius existimavit, ipsam Hildegardem fuisse illam uxorem rejectam ac dein resumptam, sed haec opinio ob graves rationes ab eruditis non admittitur. Cfr. Pagi, notae criticae ad Baronium, a. 771. nn. 1. 2. 3.

[1]) Reumont l. c p. 190. [2]) Pertz M. G. II. p. 594.

36. Altera post mortem Stephani die in successorem ejus electus et ordinatus est *Paschalis I* Romanus, qui praepositus fuerat monasterii s. Stephani ad s. Petrum. Is confestim legatos misit ad Ludovicum Imperatorem ad renovandam amicitiam et pactionem, simulque ne velox ejus electio ambitioni attribueretur, testatus est, se nonnisi unanimi cleri et populi petitioni in suscipiendo pontificatu cessisse. Imperator Pontifici transmisisse perhibetur diploma quod incipit *Ego Ludovicus,* quo confirmat anteriores Pipini et Caroli donationes per singula. Simul in eodem statuit, ut quando Romanus Pontifex e vita migrasset, nemo aliquid mali in terris Romanae ecclesiae facere praesumeret, utque is qui divina inspiratione a Romanis ad Pontificatum concorditer fuisset electus, confestim more canonico consecraretur, deinde vero ad Imperatorem legati dirigerentur ad renovandam amicitiam et pacem, sicut a temporibus Pipini et Caroli M. mos obtinuerat.[1])

Paschalis I R. P.

37. Ludovicus anno 822 Lotharium filium consortem fecit Imperii regemque Italiae constituit. Sequenti anno Lotharius Romam venit, atque a Paschali in Imperatorem coronatus est. In urbe quidem exercuit actus quosdam imperialis potestatis, dum vi *advocatiae* seu defensionis Ecclesiae judiciali sententia litem diremit inter imperiale monasterium Farfense et cameram apostolicam in favorem illius; sed exaggeratum est quod Pagius ad a. 823 n. 1. admittit ex continuatore historiae Pauli Diaconi, Paschalem scilicet Pontificem concessisse Lothario potestatem quam prisci Imperatores habuere super populum Romanum, id est generatim supremum in Urbe dominium. — Efferbuerunt tamen magis magisque in civitate factiones, quarum altera, maxime ex nobilibus constans, Imperatoris

Lotharius rex Italiae.

[1]) Sitne haec Constitutio Ludovici authentica vel apocrypha, non consentiunt inter se viri eruditi. Pagi Crit. ad a. 817, Muratori Annal. medii aevi t. III. p. 29 aliique existimant, diploma hoc apocryphum esse; Baronius a. 817. n. 10, Sandini Disput. hist. XX, Cenni Monum. domin. pont. T I. praef., Hergenröther, K. G. III. p. 208 censent, Constitutionem genuinam esse, eique sententiae favet etiam Phillips K. R. V. p. 771.

potestatem augere studebat, altera, civium inferiorum, Francorum dominationem coarctare studebat. Prima factio principatui civili Pontificis difficultates passim creabat, atque suam potius potentiam amplificare nitebatur ope Imperatoris.

38. Postquam Lotharius discessit, turbae in Urbe excitatae sunt, eaque occasione interfecti Theodorus Primicerius et Leo ejus gener Nomenclator, qui ex factione erant Imperatori addictâ. Unde Ludovicus Imperator examen ista de re instituere voluit, sed a consilio destitit, quum Paschalis sese opponeret, et jurejurando affirmaret, se rei nescium fuisse, occisos tamen, ut majestatis laesae reos, mortem meruisse. Ista de re Eginhardus: *Nunciatum est* (Ludovico) *Theodorum sanctae Romanae ecclesiae Primicerium et Leonem Nomenclatorem generum ejus, in patriarchio Lateranensi primo excaecatos, et deinde fuisse decollatos, et hoc eis ob hoc contigisse, quod se in omnibus fideliter erga partes Lotharii juvenis Imperatoris agerent. Erant et qui dicerent, vel jussu vel consilio Paschalis Pontificis rem fuisse perpetratam.*[1]) Ad rem investigandam misit Ludovicus Adalungum Abbatem monasterii sancti Vedasti et Hunfridem Comitem Curiensem, *coram quibus Paschalis Pontifex*, ait Eginhardus, *et se ab hujus facti communione cum magno episcoporum numero jurejurando purificavit, et interfectores praedictorum hominum, quia de familia sancti Petri erant, summopere defendens, mortuos velut majestatis reos condemnavit jureque caesos pronuntiavit. Imperator de sacramento Pontificis et excusatione reorum certior factus, nihil sibi ultra in hoc negotio faciendum ratus, . . . Joannem episcopum et socios ejus* (Paschalis legatos) *ad Pontificem dato convenienti responso remisit.*

Turbae Romae exortae.

39. *Legati Romani Pontificis*, pergit Eginhardus in Annalibus, *eumdem valida infirmitate detentum ac morti proximum invenerunt, qui etiam paucis post adventum illorum exactis diebus vita decessit* (die 10 Februarii 824). In cujus locum quum duo per contentionem populi fuissent electi, *Eugenius* tamen archipresbyter tituli sanctae Sabinae,

Mors Paschalis I.

---

[1]) Annal. ad a. 823. — Cfr. Pagi ad a. 823. n. 2. 3.

vincente nobilium parte, subrogatus atque ordinatus est.
Eugenius I R. P. Acceptus igitur fuit Eugenius parti nobilium quae Imperatoris potentiae favebat, unde forte explicatur, quod Pontifex dein facilius de rebus Romae disponendis cum Lothario Imperatore convenerit. Ludovicus Pius videlicet, quum electionem Eugenii turbasque ea occasione excitatas audivisset, Romam direxit Lotharium filium suum et Imperii consortem, ut cum novo Pontifice populoque Romano constitueret, quae rerum necessitas exigere videbatur. Lotharius quidem nisus est imperialem potestatem Romae amplificare; sed Eugenius quum esset vir tum virtutibus tum animi dotibus excellens, prudentia sua et influxu personali quantum potuit effecit, ut convenienti modo et sine Pontificis injuria illud *imperium mixtum*, quod Romae obtinebat, ordinaretur.

Constitutiones Lotharii. 40. *Constitutiones* tamen quaedam a Lothario factae sunt, quibus Pontificis quidem securitati providebat, sed etiam dominium suum imperiale vehementius urgebat. Postquam enim capite primo dixit, se decernere, *ut domno Apostolico in omnibus justa servetur obedientia, seu ducibus et judicibus suis ad justitiam faciendam;* et capite quarto velle se, *ut missi constituantur a domno Apostolico et a nobis, qui annuatim nobis renuntiant, qualiter singuli duces et judices justitiam populo faciunt, et quomodo nostra constitutio servetur;* reservat tamen sibi postea supremum quoddam dominium capite octavo: *Placuit etiam nobis, ut cuncti duces et judices, sive alii qui caeteris praeesse debent, in nostram praesentiam dum Romae sumus conveniant. Volumus enim et numerum et nomina scire, et singulis de ministerio sibi credito admonitionem facere.*[1]) — Constitutum etiam est capite quinto, ut in Urbe quisque vivere posset et judicari secundum illud jus quod eligeret, vel Romanum vel jus Germanorum. Quum videlicet Romani magno cum ardore juri Romano adhaererent, coloniae peregrinorum praeferebant jus Germanicum, quo major personis con-

[1]) V. Constitutiones ap. Pagi, Critica ad a. 824 n. 3.

cedebatur libertas. Videbatur quidem haec dispositio satis aequa, sed quum toties variarum factionum acciderent collisiones, multae postea inde in jure dicendo provenerunt difficultates.

41. Lotharius dicitur etiam ad emendandas injustitias quae in factionum mutua lucta factae erant, ad corrigendos abusus, ad tutandam liberam et canonicam Romani Pontificis electionem, una cum Pontifice praescripsisse formulam juramenti, secundum quam clerus populusque Romanus Ludovico et Lothario Imperatoribus, tamquam Romanae urbis protectoribus fidem promitterent, salva fide Pontifici promissa, sponderentque se non consensuros, ut electio Pontificis alia quam canonica et justa ratione fieret, aut electus consecraretur, priusquam in praesentia legati Imperatoris et populi juramentum justi regiminis praestitisset, quale Eugenius sponte praestiterat.[1] Attamen hujus juramenti authentia valde dubia est. Etenim praeter Continuatorem Cassinensem Pauli Diaconi, nullus illius aetatis scriptor ejusmodi juramenti impositi et exinde praestiti mentionem facit. Praeterea si tale juramentum impositum fuisset, etiam in Constitutionibus praedictis vel ipsum, vel conditiones in eo ad electionem Pontificis requisiti com-

[1] Formula Lotharii legitur in Continuatione Romana Pauli Diaconi de Historia Longob. in fine ad a. 825. „Lotharius Imperator iterum ad Italiam veniens, missam s. Martini Romae celebravit. Et hoc est juramentum, quod Romano clero et populo ipse et Eugenius Papa facere imperavit: Promitto ego ille per Deum omnipotentem et per ista sacra quatuor Evangelia et per hanc crucem Domini Nostri Jesu Christi. et per corpus beatissimi Petri principis Apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero Dominis nostris Imperatoribus Ludovico et Lothario, diebus vitae meae, juxta vires et intellectum meum sine fraude atque malo ingenio, salva fide quam repromisi Domino Apostolico: et quod non consentiam ut aliter in hac sede Romana fiat electio Pontificis nisi canonice et juste, secundum vires et intellectum meum: et ille qui electus fuerit me consentiente consecratus Pontifex non fiat, prius quam tale sacramentum faciat in praesentia missi Domini Imperatoris et populi cum juramento, quale Dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet perscriptum.“ V. Monumenta Germaniae historica. Scriptores Rer. Longobard. etc. p. 203. Hannovriae a. 1878.

memorarentur. Probabile est, juramentum uti exstat fuisse schema quoddam Lothario ab ipsius consiliariis propositum, haud tamen juridice sancitum.[1])

Concilium Romanum. 42. Celebravit Eugenius etiam anno 826 mense Novembri Romae concilium, cui adfuerunt episcopi numero sexaginta tres, presbyteri septemdecim, et aliqui diaconi, omnes ex iis ditionibus, quae vel Romano Pontifici vel Ludovico Augusto in Italia parebant. Operae pretium est commemorare canonem 34um, quum ex eo pateat, de instructione ac de scholis in Italia Pontificem valde sollicitum fuisse. *De quibusdam locis*, inquit, *ad nos refertur, non magistros neque curam inveniri pro studiis litterarum. Idcirco in universis episcopiis subjectisque plebibus et aliis locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino cura et diligentia habeatur, ut magistri et doctores constituantur, qui studia litterarum liberaliumque artium ac sancta habentes dogmata, assidue doceant, quia in his maxime divina manifestantur atque declarantur mandata.* Hunc canonem brevi post Leo IV in concilio habito a. 854 confirmavit item canone 34°, et addit: *Et si liberalium artium praeceptores in plebibus, ut assolet, raro inveniantur, tamen divinae Scripturae magistri et institutores ecclesiastici officii nullatenus desint, qui et annualiter proprio episcopo de ejusdem actionis opere sollicite inquisiti debeant respondere. Nam qualiter ad divinum utiliter cultum aliquis accedere possit, nisi justa instructione doceatur?*[2]) — Quaenam sub Eugenii pontificatu in Oriente et in Gallia quoad cultum ss. Imaginum acciderint, jam enarravimus in alia Dissertatione.

Valentinus R. P. 43. Quum Eugenius I mense Augusto anni 827 obiisset, suffectus ei fuit *Valentinus* Romanus et Romanae ecclesiae archidiaconus, omnibus propter egregias animi dotes acceptissimus; sed eodem anno, post quadraginta circiter ab inauguratione sua dies, Pontifex jam ex hac vita migravit. — *Quo defuncto*, inquit Eginhardus, *Gregorius* (IV)

[1]) Cfr. Hergenröther K. G. I. 582; III. 209. Phillips K. R. V. p. 775. Reumont, l. c. p. 193.

[2]) Labbé, Tom. VIII. pp. 112. 117.

presbyter tituli sancti Marci electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus Imperatoris Romam venit et electionem populi qualis esset examinavit. Quum legatus ille ante consecrationem Gregorii Romam advenisset, ea occasione videtur usus esse Lotharius, qui ardenter studebat amplificare potestatem imperialem, ut examini suo subjiceret Pontificis electionem. Consecratio autem retardata dicitur eo, quod Gregorius diu recusabat pontificatum ac sese abscondit. Sed detectus, vi ad Lateranum deductus est. — Dum vero Caroli M. successores suam auctoritatem quoad Romanum Pontificem et ecclesiasticam ditionem urgere et dilatare nitebantur, in regno Francorum ob intestina familiae imperialis dissidia Imperium non parum concussum est. Etiam Gregorius IV difficultatibus quae inde provenerunt implicatus est, et anno 833 itinere in Galliam suscepto frustra malis mederi studuit. Eventus paucis referre juvabit. Gregorius IV R. P.

44. Ludovicus Pius, patri Carolo pietate non impar, sed prudentia et constantia inferior, in comitiis Aquisgrani a. 816 coactis ordinem successionis statuit, vi cujus Lotharium filium ad Imperii consortium destinavit, Pipino Aquitaniae regnum confirmavit, et Ludovico Bavariam dedit. Defuncta a. 819 Irmengarda, uxorem duxit Juditham Welphonis comitis filiam, ex qua suscepit Carolum Calvum (a. 823). Quum huic partem regni tribuere vellet ac nimium ei favere videretur, filii reliqui id aegre ferentes adversus patrem Ludovicum bella moverunt. Anno 830 Pipinus patrem oppressit, verum comitia Aquisgrani a. 831 habita tum Ludovico pristinam auctoritatem, tum Judithae libertatem restituerunt. — Quum a. 833 Ludovicus Pius Aquitaniam Pipino ob contumaciam et morum insolentiam ademptam Carolo dedisset, rebelles filii rursus arma contra patrem contulerunt. Tunc Gregorius IV filios patri reconciliaturus pacemque compositurus, cum Lothario ex Italia in Galliam profectus est. Jus sibi esse et officium merito existimavit Gregorius, ut in ejusmodi lucta inter patrem et filios, tum Imperio tum Ecclesiae perniciosa, mediatorem et conciliatorem ageret. Nec enim conveniebat, ut rebellionem filiorum contra patrem Imperatorem iners spectaret, Ludovicus ejusque filii.

nec permittere poterat, ut forte Lotharius jam in Imperatorem coronatus sine consensu Pontificis Imperio privaretur. Sed quum Gregorius cum Lothario veniret, rumoresque spargerentur, Pontificem filiorum partes tueri, tum Ludovicus tum episcopi ei addicti diffidentiae ac suspicionibus locum dederunt. Sed etiam Ludovici filii Pontificis monitis ad pacem ineundam aures non praebuerunt. Qui ex eorum partibus stabant, contendebant, Ludovicum a mulieris pulchrae et callidae, quam adulteram calumniabantur, fraudibus circumveniri, et ad regnandum esse ineptum; hinc merito filios patri sese opponere. Re infecta, Gregorius IV Romam magna cum amaritudine repetiit.

45. Ludovicus vero a suis desertus manus dedit, et Compendium perductus ibidem a. 833 in comitiis gladium deponere, se reum male administrati Imperii fateri, publicam poenitentiam subire, et regnum filio suo Lothario cedere coactus est. Juditha uxor ejus in Italiam est relegata, et Carolus Calvus adolescens monasterio Prumiensi prope Treviros mancipatus. Verum quum multi proceres aegre tulissent quae contra Ludovicum acta fuerant, ipsosque Pipinum Aquitaniae et Ludovicum Bavariae reges admissi in patrem facinoris poenituisset, Ludovicus cum conjuge in conventu apud s. Dionysium a. 834 Imperio restitutus est. Gregorius IV nunquam Imperatoris abdicationem et destitutionem ratam habuerat, et legatos a Ludovico missos amice recepit. — Pipino exeunte anno 838 defuncto, in conventu Wormatiense Ludovicus regnum inter filios ita divisit, ut Lotharius Augustus Italiam atque australem partem Galliae ad Mosam haberet, Ludovicus Bavariam, Carolus Calvus occiduam Galliae partem. Ludovicus filius tunc propter iniquam regni divisionem bellum paravit; sed paulo post, anno 840, Ludovicus Pius Imperator e vita decessit. — Post ejus obitum inter filios acerrima de regno orta est contentio. Lotharius fratrum suorum ditiones invasit; Ludovicus et Carolus conjunctis viribus ei restitere, invasoremque vicerunt. Tandem a. 843 in conventu Virodunensi pax ita composita fuit, ut Lotharius Imperator praeter Italiam omnia juxta Rhodanum,

Mors Ludovici Pii.

Rhenum et Mosam, Ludovicus Germaniam, Carolus Calvus occiduam partem Galliae haberet. Ita Imperium Caroli M. divisum est, neque nisi brevissimo intervallo dein unitas restituta fuit.

46. Gregorius IV obiit die 26 Januarii anni 844, ac brevi post in Pontificem electus est *Sergius II* Romanus, s. Silvestri archipresbyter. Electionem turbavit Joannes diaconus, qui Lateranum occupavit: sed mox inde ejectus est. Sicuti inconsulto Imperatore Sergius electus erat, ita et consecratus est; forte ne dilatione admissa novae turbae excitarentur. Sed Lotharius, re comperta, arguensque simul Romanos, quod in electione tales partem habuerint quibus jus nullum esset, misit Ludovicum filium suum cum exercitu magno Francorum Romam, comite Drogone episcopo Metensi, ut facti rationem a Romanis exposcerent. Sergius Ludovicum magno cum honore quidem, sed summa servata dignitate recepit, et ita prudentia sua res direxit, ut auctoritas Pontificis omnino salva maneret. Secundum Anastasii narrationem, quum rex solemniter ad s. Petri basilicam deductus et ante eam a Sergio salutatus esset, postea Pontifex omnes januas basilicae claudi praecepit et regi sic locutus est: *Si pura mente et sincera voluntate et pro salute reipublicae ac totius urbis et hujus ecclesiae huc advenisti, has mea ingredere januas jussione: sin aliter, nec per me, nec per meam jussionem istae tibi portae aperientur.*[1]) Cumque rex respondisset, se nullo maligno animo vel malo ingenio advenisse, Pontifice praecipiente portae apertae sunt, et acclamante clero et populo rex in ecclesiam s. Petri ingressus est. Dominica vero sequente, die 15ª Junii, Sergius Ludovicum in regem Italiae seu Longobardiae unxit et coronavit. Refert porro Anastasius, Francos a Sergio II postulasse, ut omnes primates Romani fidelitatem ipsi Ludovico regi per sacramenta promitterent. *Quod prudentissimus Pontifex fieri nequaquam concessit, sed sic orsus est illis: Quia si vultis domno Lothario magno Imperatori hoc sacramentum ut faciant, solummodo consentio, atque*

Sergius II R. P.

[1]) Vita Sergii II c. 11.

permitto. Nam Ludovico ejus filio ut hoc peragatur, nec ego, nec omnis Romanorum nobilitas consentit. — Tunc demum in eadem ecclesia sedentes pariter tam beatissimus Pontifex quam magnus rex et omnes Archiepiscopi atque Episcopi, stantibus reliquis sacerdotibus et Romanorum ac Procerum Optimatibus, fidelitatem Lothario magno Imperatori promiserunt.[1]) Ex quo apparet, nullum dominium habuisse in urbe Roma reges Italiae, sed Imperatorem in ea jus supremum obtinuisse, et ideo jure merito Sergium noluisse, ut Ludovico regi fidelitatis sacramentum praestaretur, sed Lothario Imperatori.

Saracenorum incursio.

47. Sub Sergio II accidit anno 846 funesta Saracenorum in ditionem ecclesiasticam incursio. Saraceni jam ex aliquo tempore in Italia meridionali atque maritima plura territoria occuparant et arces munitas construxerant, unde excursionibus hostilibus regiones finitimas depopulabantur. Mense Augusto anni 846 usque ad moenia Urbis eorum agmina venerunt. Basilica s. Petri eo tempore extra muros sita erat, et in ea Vaticani regione praesertim coloniae Saxonum, Francorum, et aliorum peregrinorum sedes fixerant. Ingenti strage accolae trucidati sunt, basilica vero profanata et exspoliata est omnibus illis thesauris, qui decursu saeculorum ibi dedicati erant. Vastata pariter fuit basilica s. Pauli in via Ostiensi. Tandem barbari hostes a duce Spoletano qui, mandante Ludovico rege vel potius petente Pontifice, auxilio venit, profligati sunt.

Leo IV R. P.

48. Paucis post mensibus, die 27 Januarii a. 847, obiit Sergius II, eumque in summo pontificatu excepit *s. Leo IV* Romanus, prudentiae ac sanctitatis laude spectatissimus, qui Ecclesiam rexit usque ad annum 855. Is contra Saracenorum incursiones Vaticanum collem munitionibus cinxit, atque ita antiquae urbi addidit novam, suo nomine dictam Leoninam. Sub ejus pontificatu generatim relationes cum Imperio amicae fuerunt. Quum Ludovicus anno 849 a patre Lothario in consortem Imperii adoptatus fuisset, ipse anno 850 Romam venit, atque a Leone IV

[1]) Ibidem c. 15.

in Imperatorem coronatus est. Iterum Romam properavit anno 855, quum ei falso relatum esset de quorumdam machinatione, ut Romam Graecis traderent. Ex Anastasio rem referamus, quum ex ea satis perspiciatur, quaenam fuerit Imperatoris in Romanos auctoritas. „Hujus (Leonis) temporibus, scribit Anastasius, quidam Daniel magister militum iniquitatis ac stultitiae mole caecatus, ad serenissima domni Ludovici Imperatoris vestigia properavit, eique multa falsa et inutilia verba, quae credi nullo modo possunt, super Gratianum eminentissimum magistrum militum et Romani palatii egregium Superistam ac Consiliarium dicere non dubitavit. Nam instanter eum accusabat ob falsitatis invidiam, dicens Imperatori: Gratianus Romanae urbis Superista, quem erga vos fidelem esse creditis, mihi soli in domo sua nimium super Francos murmurans dixit secrete: Quia Franci nihil nobis boni faciunt neque adjutorium praebent, sed magis quae nostra sunt violenter tollunt. Quare non advocamus Graecos, et cum eis foedus pacis componentes Francorum regem et gentem de nostro regno et dominatione expellimus? Quo audito, mox praedictus Imperator immenso furore accensus, sine litteris etiam ad Romanorum directis Pontificem et senatum, Romam venire velociter procuravit. Quem tamen venientem domnus Leo Papa honorifice, sicut mos est, supra gradus majores Beati Petri Apostoli residens suscepit, et mellifluis praedicationis verbis placare coepit. — Quadam vero die ipse Imperator cum sanctissimo Leone Pontifice, omnibus Romanis Proceribus pariter et optimis Francis, in domo quam beatae memoriae Leo tertius Papa juxta ecclesiam B. Petri Apostoli fecerat, sedentibus, de praedicta accusatione placitum habuit. Tunc Daniel iniqua fronte armatus, falsaque cogitatione imbutus dixit omnibus: Iste Gratianus habuit mecum consilium, hanc Romanam terram de vestra tollere potestate et Graecis tradere illam. Cui statim non solum Gratianus, verum etiam omnes Romani coram Imperatore dixerunt: Mentiris, nullo modo est verum quod dicis. Cognoscens autem Imperator et omnis Romanorum Francorumque nobilitas, praedictum

Difficultates in Urbe.

Danielem tale crimen per falsitatem et invidiam contra Gratianum dixisse, illico clementissimus Imperator, nolens contra instituta veterum Augustorum peragere Romanorum, eos secundum Romanam legem instituit judicare. Quo judicio ipse Daniel multorum verbis reprehensus ore proprio manifestavit, se falsum super eum dixisse. Ideo jam dicto Gratiano ante omnes est traditus, ut quidquid de eo facere vellet, potestatem haberet. Sed quum jam traditum Danielem Imperator a Gratiano multa et humili supplicatione petivisset, Gratianus assensit; quem ille statim plenaria sibi reddita gratia libenter suscepit, et sic de mortis est periculo liberatus. His vero peractis Imperator abiit, et sanctissimus domnus Leo quartus Papa non post multos dies obdormivit in Domino, XVI calendas Augusti (855), sepultus vero est in ecclesia beati Petri Apostoli.[1])

Benedictus III. 49. Coactis mox comitiis uno omnium suffragio Pontifex electus est *Benedictus III* Romanus, s. Callisti presbyter. Electio, *consuetudo prisca ut poscit*, dicit immerito Anastasius, nuntiata fuit Lothario et Ludovico. Paulo post quaedam factio, instigante Arsenio episcopo Eugubino, a Benedicto defecit elegitque *Anastasium* cardinalem a Leone IV e gradu suo dejectum. Hic Anastasius ordinatus erat a. 847 a Leone IV presbyter cardinalis tituli s. Marcelli; sed mox sese ostendit virum animi inconstantis et turbulenti. Ecclesia sua (a. 848) derelicta, variis in locis vagavit; speciatim Aquilejae versatus est, nec pluries a Pontifice citatus Romam rediit. Hinc a. 850 in synodo Romana excommunicatus est, quumque etiam post triennium non rediisset, die 19 Junii 853 in alia synodo Romana iterum excommunicatus fuit.[2]) Sed perseveravit Anastasius in sua pertinacia, ac mense Decembri anni 853 anathemate perculsus et depositus est, omni spe restitutionis adempta. Probabile est, eum fuisse caput factionis imperialis, quae sub Leone IV satis coarctata fuit.

---

[1]) Vita Leonis IV cc. 110 sqq.

[2]) V. Vita Leonis IV c. 92.

50. Post mortem igitur Pontificis hic vir studuit Sedem Apostolicam sibi vindicare, adjuvante factione satis potente, cui inter alios adnumerantur Arsenius Eugubinus, Rodualdus Portuensis, et Agatho Tudertinus episcopi. Legati ad Ludovicum II missi, scilicet Nicolaus Ananiensis episcopus et Mercurius Magister militum, in itinere ad Anastasii partes defecerunt, ac missi quoque Imperatoris, Adalbertus et Bernardus comites, Anastasii partes susceperunt, eumque Romam deduxerunt. Asseclae Anastasii ex Urbe quam plurimi ei obvii facti sunt usque ad Hortam civitatem, atque ipse cum sequacibus suis Urbem intravit, Lateranense palatium occupavit, et Benedictum duobus sacerdotibus depositis custodiendum tradidit. Studuerunt dein legati Imperatoris et qui Anastasii factionem tenebant clerum populumque Romanum adducere, ut Anastasium in Pontificem susciperent. Sed brevi post episcoporum, cleri et fidelium testimoniis et constantia victi, ab Anastasio recesserunt. Hoc igitur mox ab omnibus abjecto, Benedictus III die 29 Septembris rite ordinatus est, postquam Sedes Apostolica a morte Leonis IV vacasset duobus mensibus et duodecim diebus. Benedictus vir admodum mansuetus magna indulgentia usus est in adversarios suos. Etiam Anastasium jamdudum anathematizatum et depositum ad communionem laicorum admisit.[1]) Videtur dein Anastasius statum religiosum suscepisse, ac sub Nicolao Benedicti successore abbas fuit monasterii Beatae Mariae V. trans Tiberim; sub Hadriano II autem Bibliothecarius factus est. Anastasius Card.

[1]) Cfr. Vita Benedicti III c. 4—20. — Inter eruditos agitatur quaestio, utrum hic Anastasius idem ipse sit, qui sub nomine Anastasii Bibliothecarii maxime regnantibus Nicolao I, Adriano II et Joanne VIII claruit usque ad annum 878. Plerique auctores id negant, e. g. Cave. Hist. litt., II, 57; Natal. Alexander, H. E. saec IX; Ceillier. Hist. des Aut. sacrés Tom. XIX ch. 27; Pagi ad a. 868. n. 5. Sed Em. Hergenröther (Photius. B. II. 228 sqq.) affirmantem sententiam variis argumentis vindicavit, et quae ad vitam Anastasii pertinent ibidem sollicite collegit. Ejus sententiae ut valde probabili adstipulamur, quumque in negotiis ecclesiasticis hujus aetatis saepe Anastasius hic adhibitus legatur, quae eum spectant aliquanto accuratius commemoravimus.

Ludovicus II Imp.

51. Eodem anno 855 quo decessit Leo IV, Lotharius Augustus morbo correptus et vitam desperans, regnum inter filios suos dispertivit, et in coenobio Prumiensi, tonsura et habitu monastico susceptis, paucos post dies, 28 Septembris a. 855, ex hac vita migravit. Ei in imperio et regno Italiae successit Ludovicus II, in Austrasia Lotharius, a quo illa nomen Lotharingia accepit, et in Provincia Carolus. — In Italia res publicae satis perturbatae sunt, tum molitionibus variorum ducum pro sua independentia certantium, tum maxime invasionibus Saracenorum. Contra hos omnes Ludovicus II per totam fere sui principatus durationem strenue pugnavit, ac non exiguo animi vigore ducum molimina repressit, et Saracenos e pluribus civitatibus castrisque ejecit. Imperium tenuit usque ad annum 875, quo anno obiit die 12 Augusti. Jam vidimus ejus ad Michaëlem Constantinopolis Imperatorem litteras, quibus de Imperio Romano ejusque origine satis congrue disserit. — Brevis Benedicti III Pontificatus non magnis eventibus, sed illustris fuit virtutibus Pontificis. *Erat enim ad divini cultus amorem semper intentus, pacisque amator, et omnium supernorum pudicis moribus operum cultor.*[1]) Postquam sedisset annos duos, menses sex, dies decem, ad Deum transiit die octava mensis Aprilis anni 858. Sepultus est in Basilica Vaticana, suisque eum humeris Nicolaus postea Papa, cum adhuc diaconus esset, *cum aliis diaconis gestans, propriis manibus illum tumulo collocavit.*[2])

---

[1]) Vita Benedicti III c. 35.

[2]) Anastas. Bibl. in *Vita Nicolai I* c. 4. — Sufficiat hic paucis advertere, ad haec tempora pertinere *fabulam de Joanna papissa*, quae Leonem IV inter et Benedictum III in cathedra s. Petri ementito sexu virili sedisse dicebatur, duobus annis et quinque mensibus. Fabula haec admodum vulgata erat medio aevo, multaque et valde diversa adjuncta de mulieris genere, eruditione, moribus, morte addebantur. Quum confictam rem esse jam omnes auctores, etiam protestantes, alicujus nominis et ponderis conveniant, ei refutandae non immoramur. Eruditionis haec quaestio est, utilis tamen; sed ut cum fructu tractetur diffusam requirit dissertationem. Cfr. de hac quaestione Döllinger, Papstfabeln, I. Die Päpstin Joanna; Natalis Alex. In saec. IX, Diss. III.; Pagi, Breviarium Vol. II, *Joanna Pseudo-Papissa*; Palma, Praelect. Tom. II. P. II. c. 9; Wouters, Dissert. T. III. Diss. XX.

52. Ludovicus Imperator, qui paulo ante mortem Benedicti Roma discesserat, Pontificis transitu cognito ad eam urbem reversus est. Atque ita electio novi Pontificis facta est sub ejus influxu personali; attamen clerus, proceres et optimates unanimi consensu dignissimum virum in Pontificem elegerunt *Nicolaum I* Romanum, cui cognomen *Magni* ob pontificatum praeclare gestum postea datum est. Magno gaudio is Pontifex affectus est conversione Chazarorum, Moravorum et Bulgarorum; exstat etiam celebris Nicolai ad Bulgaros epistola, qua de 106 quaestionibus ad fidem et disciplinam spectantibus disserit, easque responsis suis resolvit. Negotia autem plura summi momenti Pontifex insigni vigore digessit, et dignitatem auctoritatemque Sedis Apostolicae constanter vindicavit et firmavit. Eo imprimis pertinent causae variae *Hincmari* episcopi Rhemensis, *divortium Lotharii* regis ab uxore Teutberga, et *schisma Graecorum* a Photio excitatum. Nicolaus I.

53. De istis capitibus accuratius agemus inferius; sufficiat his paucis commemorare ea, quae Nicolaus praeclare gessit in *causa Joannis episcopi Ravennatensis,* quem Pontifex constantia sua ad debitam obedientiam adegit. Joannes Ravennatensis Ep. Quum multi Ravennatum qui a Joanne archiepiscopo in rebus et juris sui proprietatibus incommoda sustinebant, ad Pontificem venirent, ut a tantis oppressionibus eruerentur, Nicolaus ipsum archiepiscopum legatis et litteris saepius admonuit, ut a talibus abstineret. Joannes Pontificis contemnens monita ad deteriora progressus est. Nam quosdam temere excommunicabat, quosdam a visitatione Sedis Apostolicae avertebat, presbyteros et diaconos non solum sibi subjectos, sed etiam per Æmiliam constitutos et ad Apostolicam Sedem pertinentes sine canonico judicio deponebat, necnon Romanae ecclesiae plurima praedia auferebat. Nicolaus Joannem frustra admonitum et ad synodum venire recusantem demum communione privavit. Joannes Papiam ad Imperatorem confugit, qui initio ei suae protectionis auxilia concessit. Sed quando agnovit, merito Joannem ob ea quae commiserat a Nicolao Pontifice esse punitum, opem jam ipsi non praestitit, sed debitae

sub Pontifice submissionis eum commonuit. Mox etiam Joannes Romam profectus (a. 861) Pontifici se humiliter subjecit, et ab excommunicatione absolutus est.

54. Postquam per annos novem et sex menses, quibus Ecclesiae praefuit Nicolaus, multa et magna pro fide, pro ecclesiastica unitate, pro disciplinae conservatione ac restauratione gessisset, Idibus Novembris anni 867 ex hac vita mortali ad coelestem beatitudinem transiit. Breve hoc, sed aureum, in *Chronico* Regino posuit Nicolao elogium: *Post beatum Gregorium*, inquit, *usque in praesens nullus praesul in Romana Urbe pontificali honore sublimatus, illi videtur aequiparandus. Regibus et tyrannis imperavit, eisque, ac si dominus orbis terrarum, auctoritate praefuit. Episcopis et sacerdotibus, religiosis ac Domini mandata servantibus humilis, blandus, pius, mansuetus apparuit; irreligiosis ac a recto tramite exorbitantibus terribilis atque austeritate plenus exstitit, ut merito credatur alter Elias Deo suscitante nostris in temporibus exsurrexisse, et si non corpore, tamen spiritu et virtute.*[1])

Hadrianus II. 55. Post mortem Nicolai I unanimi suffragio electus est in Pontificem *Hadrianus II* Romanus, presbyter s. Marci. *Collectis omnibus*, ait auctor *Vitae Hadriani* apud Anastasium Bibl., *tam episcopis cum universo clero, quam primoribus Urbis cum obsecundantibus sibi populis, ab ecclesia sanctae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae quae appellatur ad praesepe, rapitur, trahitur, et ad Lateranense patriarchium certatim, ac a procerum et plebis multitudine deportatur. Quod audientes tunc missi Principis moleste tulere, indignati scilicet, non quod tantum virum nollent Pontificem, quem nimirum anxie cupiebant, sed quod se, dum praesentes essent, Quirites non invitaverint, nec optatae a se futuri Praesulis electioni interesse consenserint. Qui accepta ratione quod non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis hoc omissum fuerit prospectu, ne videlicet legatos principum in electione Romanorum Praesulum mos exspectandi per hujusmodi fomitem inolesceret, omnem suae mentis*

---

[1]) Reginonis Chronicon A. 868. ap. Pertz M. G. I. 579.

indignationem medullitus sedavere, ac ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accessere.[1]) — Re audita, Ludovicus Imperator electionem factam litteris collaudavit, et 14° die Decembris Hadrianus consecratus est. Ætatis jam erat Pontifex septuaginta quinque annorum, et antequam statum ecclesiasticum ingrederetur, junctus fuerat matrimonio; ejusque uxor et filia seorsim ab illo vitam degebant.

56. Quinque annis Hadrianus II Ecclesiam gubernavit magna cum prudentia, ac praedecessoris Nicolai vestigiis et principiis insistens. Etiam ipsi divortium Lotharii regis, et dissidia Hincmari Rhemensis ac Hincmari Laudunensis, negotia facesserunt, quae cum auctoritate apostolica disponere nisus est. Multum etiam laboravit ad exstinguendum schisma Photianum, ac sub ipso celebratum est Constantinopoli Concilium oecumenicum octavum. De istis eventibus inferius agetur. — Magnam benignitatem et indulgentiam Hadrianus II ostendit variis adversariis s. Sedis, qui sub Nicolao vel exilio affecti vel excommunicatione puniti erant. Sed quantopere procerum perversitas severitatem exigeret, mox Pontifex tristi experientia edoctus est. Filia enim ipsius, quae cum matre vivebat, ab Eleutherio nobili Romano, quum alteri jam desponsata esset, (a. 868) rapta, cum matre Beneventum deducta est, et vi ad matrimonium cum Eleutherio ineundum coacta. Arsenius Eleutherii pater protectionem Ingelbergae Imperatricis thesauris suis filio comparaturus, etiam Beneventum properavit, sed celeri morte ibi abreptus est. Hadrianus postulavit, ut Beneventi a judicibus imperialibus Eleutherius in judicium vocaretur et justae poenae addiceretur; sed Eleutherius, quum ad tribunal judicum citaretur, tum mulierem raptam tum ejus matrem occidit; dein vero ipse a tribunali damnatus, ultimo supplicio affectus est. Accusatus autem fuit Anastasius Cardinalis, quod eo in negotio consiliis suis Eleutherio consobrino adfuisset, unde iterum depositus et excommunicatus est, *donec in synodo rationem poneret.* Refert annalista Ber- Turbae Romae exortae.

[1]) Vita Hadriani II. c. 6.

tinianus sententiam Hadriani Papae adversus Anastasium in synodo latam, in qua Pontifex ait, Nicolaum Papam eum in gremio Ecclesiae suscepisse, sed eum depraedatum esse patriarchium et furatum synodales scripturas contra ipsum factas, ac modo Eleutherio consilia homicidii dedisse.[1]) — Sed videtur Anastasius probasse innocentiam suam. Nam anno 869 consentiente Pontifice missus est ut legatus Ludovici II Constantinopolim, imo etiam ab Hadriano varia negotia ibi gerenda ei commissa sunt, et tum sub Hadriano tum sub ejus successore Bibliothecarius fuit.[2])

Joannes VIII. 37. Defuncto circa finem mensis Novembris anni 872 Hadriano II, electus est in Pontificem *Joannes VIII* Romanus et ecclesiae Romanae archidiaconus, qui Ecclesiae praefuit usque ad annum 882. Anno 875 die 12 Augusti Ludovicus II Imperator Mediolani mortem oppetiit, et exinde tempora successerunt turbulenta, ac motibus internis calamitatibusque externis funesta. Quum Ludovicus prolem virilem non reliquisset, magna pro imperio et regno Italiae adsciscendo certamina concitata sunt. Etenim ad hunc usque diem ejusmodi decus a patre vivente, consentiente procerum conventu, maximo natu filio deferri, subsequente Pontificis consecratione consueverat. Modo Carolus Calvus Franciae, et Ludovicus Germaniae reges, Ludovici Imperatoris defuncti patrui, certatim animum ad Italiam et ad Imperium adjecerunt. Romae vero factiones nobilium majora parabant Pontificum libertati pericula. Familiae variae ad permagnam potentiam pervenerant, contribuente ad hoc earum cum praecedentibus Pontificibus propinquitatis vel affinitatis connexione. Jam alii proceres Francis orientalibus Galliae et Carolo Calvo, alii Francis occidentalibus seu Germanis ac Ludovico favebant, et acrius alterutrius partem defendebant. — In Italia Saracenorum incursus ingenti erant periculo; in Gallia

---

[1]) Pertz, M. G. I. 479.

[2]) Plura de identitate Anastasii Card. et Anastasii Bibl. vide apud Hergenröther l. c.

jam ex aliquot decenniis Normanni irruptiones funestas faciebant, ac status ecclesiarum valde turbatus erat; in Germania pariter res ecclesiasticae multum declinaverant, dum episcopi saecularibus magis studerent, et principes bellis contra Slavos aliasque finitimas gentes detinerentur.

58. Joannes VIII multis in angustiis constitutus animo non despondit, sed ea qua potuit prudentia res disponere nisus est. Quae feruntur in eum accusationes vel animi nimis infirmi, vel nimii rigoris, vel artis callidioris in rebus politicis, solidum fundamentum non habent; imo laus non mediocris Pontifici tribuenda est, quod quum omnia ruere viderentur, animo virili et vigore impigro rebus providere conatus sit, quamvis infructuoso passim labore. — Ob varia motiva eademque gravia Ludovico Germanico senescenti ac infirmo in concedendo Imperio praetulit Carolum Calvum, eumque die Natalis Domini anni 875 Romae in Imperatorem unxit et coronavit. Auctoritatem Pontificis in eligendo Imperatore hac ratione Joannes VIII solemni modo ostendit. Imminutus etiam est influxus Imperatoris in res civiles Romanorum, et jura Pontificis firmata sunt. Carolus II Imp.

59. Optime sperabat de Carolo Imperatore Joannes, et indesinenter eum excitavit, ut Italiae, cujus rex etiam electus fuit, et Ecclesiae opem ferret contra Saracenos. Sed Carolo ad res magnas gerendas nec mentis ingenium, nec cordis robur, nec vitae adfuit tempus. Quum anno 877 cedens Joannis VIII adhortationi iter in Italiam suscepisset et cum Pontifice convenisset, mox infectis rebus, quum bellum contra eum a Carolomanno Ludovici Germanici filio pararetur, discessit; et in Galliam rediens morbo violento correptus, prope Alpes in loco qui Brias dicebatur exstinctus est. Imperium dein vacavit usque ad a. 881; in Francia successit Carolo Calvo ejus filius Ludovicus Balbus; Longobardiam autem occupavit Carolomannus, filius Ludovici Germanici.

60. Interim Joannes VIII magnas habuit difficultates ex factionibus procerum Romanorum aliorumque Italiae

principum. Jam a. 876 Joannes plures nobiles Romanos ob varia crimina ac conjurationem politicam, Romae coacta synodo in ecclesia s. Mariae ad Martyres damnavit. Inter eos recensentur Gregorius Nomenclator, Stephanus Secundicerius, Georgius, Gregorii cujusdam Primicerii filius, Sergius magister militum et ex uxore Nicolao Pontifici affinis, et Constantia Gregorii Nomenclatoris filia. Jam Roma omnes isti discesserant, ac Joannes VIII eos, nisi statuta die Sedi Apostolicae se sisterent rationem redditurì, a communione christiana suspendit, litterasque de eorum damnatione misit in Galliam et Germaniam. Etiam motus politicos contra Carolum Calvum atque in favorem Ludovici Germanici illi excitaverant, hisque motibus implexum fuisse dixeris *Formosum* episcopum Portuensem ac postea Pontificem. Hic in ea synodo depositus est, et praeter alia motiva depositionis et condemnationis ipsius illud affertur, quod sine licentia Pontificis deseruerit propriam ecclesiam, ab Urbe discesserit, et contra salutem reipublicae et Imperatoris cum suis fautoribus conspiraverit. Reliquae accusationes in eum latae haud fundatae videntur, et ex errore vel falsis relationibus ortae; alias ista de quaestione agemus.

Difficultates Romae.

61. Quum Saraceni tristem in modum Italiae provincias vastarent, et urbi Romae continuo minitarentur, varii principes Italiae magis stabiliendae propriae independentiae et augendis ditionibus, quam gerendo bello contra Saracenos intenti, cum his foedera inibant, et Joanni R. Pontifici, qui frustra omnes principes ad reprimendos hostes conjungere nitebatur, aerumnas potius quam solatium concitarunt. Quinimo Lambertus dux Spoletanus et Adalbertus marchio Tusciae, qui factionis Germanicae partes tuebantur, armata manu agrum Romanum praedati sunt, et specie protectionis urbem ingressi, dominationem ambierunt et Joannem VIII injuriis affecerunt. Magna constantia Pontifex eis restitit, quumque infectis rebus demum Urbem reliquissent, eos excommunicavit cum complicibus ipsorum. Quum vero arma contra Pontificem pararent, ipse itinere maritimo ad implorandum regum Francorum

auxilium in Galliam profectus est. Plures ibidem synodos habuit, quibus rebus ecclesiasticis apte providit. Trecis coronavit Ludovicum Balbum in regem Galliae, et ad defensionem Urbis et ecclesiae Romanae eum hortatus est. Verum Ludovicus jam morbo correptus anno sequente vita excessit. Pontifex Romam reductus est a Bosone duce Provinciae, quem in filium et defensorem suum adoptavit.[1])

62. Anno 880 obiit Carolomannus Ludovici Germanici filius, quum jam res eo vergere viderentur, ut ipse qui magnam sui spem excitabat, a Joanne VIII in Imperatorem crearetur. Tunc Italiae seu Longobardiae regnum accepit *Carolus Crassus* ejus frater, et regno Germaniae potitus est Ludovicus junior, alter Carolomanni frater. Joannes VIII, ut Ecclesiae et Urbi maxime contra Saracenos protectorem suscitaret, anno 881 Carolum Crassum Romae in Imperatorem coronavit. Sed Pontifex in sua spe frustratus est; Carolus enim Imperio gerendo se parum aptum ostendit, et quum dominationem imperialem in ditionem Pontificis vehementius urgeret, in Germaniam regressus Italiam Saracenorum direptioni et magnatum factionibus expositam reliquit. — Quae Joannes fecerit quoad schisma Photianum, alia Dissertatione videbimus. Obiit ipse anno 882 die 15 Decembris; censent quidam auctores, in aliqua nobilium conjuratione eum violenta morte succu- Carolus III Imp.

[1]) Operae pretium est advertere, Joannem noluisse coronare Adelaidem reginam, quantum videtur quia eam haud agnovit ut uxorem legitimam. Etiam in matrimoniis Ludovici Balbi apparet disciplina laxior Francorum quoad indissolubilitatem matrimonii. Ludovicus duxit jam anno 862 in uxorem Ansgardem, ex qua habuit duos filios Carolomannum (864) et Ludovicum (866). Sed anno 867 adegit eum Carolus Calvus pater, ut Ansgardem dimitteret, eo quod ipsam inscio patre et sine ejus consensu duxisset. Hinc secundum leges familiae matrimonium istud esse solvendum. Mandante patre tunc duxit Adelaidem. Post mortem vero patris Ludovicus cogitavit de dimittenda Adelaide et resumenda Ansgarde, sed inhibitus est a proceribus. Episcopi autem, inter quos praecipue Hincmarus Rhemensis, videntur matrimonium cum Adelaide ut validum habuisse. Cfr. Damberger, B. III. p. 364, 696, 697, 705.

buisse. *Romae*, scribit Annalista Fuldensis, *praesul apostolicae Sedis Joannes prius de propinquo suo veneno potatus, deinde quum ab illo simulque aliis suae iniquitatis consortibus, longius victurus putatus est, quam eorum satisfactum esset cupiditati, qui tam thesaurum suum, quam culmen episcopatus rapere anhelabant, malleolo, dum usque in cerebro constabat, percussus exspiravit.*[1]) Inter innumeras difficultates pontificatum cum magno animi vigore et indefessa solertia gessit. Sed infaustissima erant tempora; ultimorum enim Carolingorum socordia et ignavia magis magisque regna dissolvebantur, factiones Romae et in Italia perniciosam acquirebant potentiam, Saracenorum ac Normannorum feroces turbae christianas regiones devastabant.

Marinus R. P. 63. Successit Joanni VIII versus finem mensis Decembris anni 882 *Marinus* Pontifex, Etruscus, antea Romanae ecclesiae archidiaconus, et sub Nicolao I, Hadriano II et Joanne VIII legationibus Constantinopolim adversus Photium invicta constantia functus. Is Formosum a sententia decessoris sui absolvit, eique ecclesiam Portuensem restituit. Brevis autem fuit Marini Pontificis dignissimi pontificatus, nam mense Majo anni 884 ad meliorem vitam
Hadrianus III. translatus est. — Suffectus est ei *Hadrianus III* Romanus. Hunc frustra tentavit Imperator graecus, ut Photium in Ecclesiae communionem reciperet; firmus stetit Hadrianus. Dum autem propter pietatem suam et rei ecclesiasticae studium omnibus magnarum rerum spem faciebat, altero pontificatus sui anno (885) morte praereptus est. Referunt Annalistae, eum mortuum esse, quum aggressus esset iter in Franciam, ut cum Carolo Crasso negotia ecclesiastica disponeret. — Electus fuit in locum ipsius
Stephanus V. *Stephanus V* Romanus; qui Hadriano II familiaris, Marino Papae amicissimus fuit, a quo Presbyter Cardinalis tituli ss. quatuor Coronatorum creatus est. Pietate erat insignis, negotia cum Graecis in causa Photii magna cum pru-

---

[1]) Cfr. Damberger, B. III. p. 797. et Kritik p. 368

dentia et constantia disposuit, Ecclesiamque laudabiliter gubernavit usque ad annum 891.

64. Interea res politicae ubique valde perturbatae sunt, regna sunt dissoluta, Imperatoresque ex genere Caroli M. defecerunt. — In Gallia anno 879 regnum Ludovici Balbi inter se partiti sunt duo ejus ex Ansgarde filii adolescentes, Ludovicus III et Carolomannus. Eodem anno Boso e duce factus est rex Provinciae seu Burgundiae Cisjuranae, regnique sui sedem constituit Arelate. Ludovicus et Carolomannus fortiter dimicarunt contra Normannos, sed prior anno 882, alter anno 884 obiit. Proceres Galliae, praetermisso Carolo Simplici Ludovici Balbi ex Adelaide filio, quod puer esset septem annorum adeoque impar ad regnum contra Normannos tuendum, illud obtulerunt Carolo Crasso Imperatori. Sic Carolus III iterum Italia, Gallia, Germania potitus, vastum Caroli Magni Imperium possedit, sed parum aptus fuit ad illud regendum. Ne Galliam quidem tueri potuit contra Normannos, et quum a. 887 in Germaniam profectus esset, ibidem in comitiis Tribure habitis a proceribus depositus est. Subsequenti anno 888 Carolus obiit die 13 Januarii, atque ita antequam saeculum esset elapsum, Imperatores ex stirpe Caroli M. exstincti sunt. Mors Caroli III.

65. Post Carolum Crassum in Germania regnavit *Arnulphus* antea Carinthiae dux, genitus ex Carolomanno filio Ludovici Germanici. — Francorum rex electus est *Odo* comes Parisiensis, qui pluries Normannos magna clade affecit. Anno autem 895 multi proceres ad regnum evocarunt *Carolum Simplicem,* bellumque civile exarsit, donec anno 898 mortuo Odone solus Carolus regno potitus est. — In Italia de regno Longobardico certarunt *Berengarius* marchio Forojuliensis et *Guido* dux Spoletanus. Guido praevaluit, et hortante universa Italia, die 21 Februarii anni 891 a Stephano V in Imperatorem coronatus est; in grati animi signum donationes a Pipino aliisque principibus Ecclesiae factas confirmavit. Sed sub ipso ac successoribus ejus Imperium non illam habuit majestatem,

gloriam et potentiam, qualem ante habuerat, ac diuturno tempore respublicae vehementer turbatae fuerunt. Pro Sede quoque Apostolica ultimis annis saeculi noni inceperunt tempora parum fausta; per plura enim decennia factiones nobilium Romanorum in electionem Pontificum influxum perniciosum acquisiverunt, indeque accidit, quod aliqui viri minus digni Sedem Petri occupaverint.

Dissertatio decima sexta.

De aliquot causis celebrioribus saeculo nono agitatis, ac de Decretalibus Pseudo-Isidorianis.

---

1. Carolum Magnum non solum fortitudine bellica et sapienti administratione regnorum eminuisse, sed insigni etiam sollicitudine promovisse litterarum, scientiarum et artium studium, tum coaevi, tum auctores subsequentium temporum magna cum laude referunt. Eginhardus concinna brevitate: *Artes liberales,* scribit, *studiosissime coluit; earumque doctores plurimum veneratus magnis afficiebat honoribus.*[1]) Et sane in urbibus et pagis scholas excitari curavit; cum episcopis et abbatibus egit ad erigendas sacrarum litterarum et disciplinarum scholas in ecclesiis cathedralibus et monasteriis; bibliothecas existentes auxit novasque creavit, viros eruditos in suum regnum evocavit, magistros constituit, praemio et honore affecit. Quamvis autem Caroli successores haud eodem fervore ac ipse hac in re praediti essent, nec Ludovico Pio tamen nec hujus filiis studium promovendi litteras penitus defuit. Unde *aetate illa Carolina* non pauci floruerunt viri docti et in disciplinis sacris atque profanis bene versati, nec minima haec est Francorum illius temporis gloria.

Indoles Dissertationis.

2. Ex hac vero florenti litterarum ac studiorum conditione evenit, ut non solum in controversiis aliis in regionibus ortis, qualis fuit illa de cultu sacrarum imaginum,

---

[1]) Einharti Vita Caroli c. XXV. Ap. Jaffé Monum. Carol. p. 531.

Galliarum praesules suas agerent partes, sed et in ipsa Gallia quaedam de rebus theologicis agitarentur quaestiones. Eruditorum videlicet ingenia, quamvis plerumque in fidei dogmate concordia, in varias de eo quaestiones variasque illius explicandi rationes distrahi coeperunt. Eo spectant controversia quae *de praesentia Christi Domini in eucharistia* exorta est, necnon quaestiones arduae *de praedestinatione* eo tempore excitatae. — Sed et aliae quaedam ea aetate agitatae sunt causae celebriores, quae ex decretis juris ecclesiastici discutiendae ac solvendae erant. Inter ipsos praesules identidem dissensiones vehementiores ac lites exarserunt, atque passim etiam pro officio suo episcopi in causis principum intervenerunt. Huc spectat maxime causa *de divortio Lotharii*; quoad praesulum lites autem celebriores sunt causae variae in quibus praecipuas partes egit *Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus*, vir inter omnes Galliarum praesules praepotens et insignis. Factum vero est tum ob rerum gravitatem et difficultatem, tum ob personarum quae litigabant dignitatem et perseverantem causarum defensionem, ut frequentius recursus ad Sedem Apostolicam haberetur. Atque ita Romanorum Pontificum auctoritas saluberrimusque in societatem influxus eximia ratione in variis istis negotiis conspicitur.

Variae causae celebriores.

3. Mediante porro saeculo nono vulgata est *Collectio* illa famosa *Decretalium*, quam *Pseudo-Isidorianam* dicere consueverunt, et in litibus istis prima ejus vestigia nobis occurrunt. Unde et opportune hoc loco de eadem Collectione tractabimus. Quaestio enim de Decretalibus Pseudo-Isidorianis jam dudum inter viros eruditos non mediocri animorum commotione agitata est, ac de hujus Collectionis auctore, scopo, indole, ejusque influxu in disciplinam Ecclesiae et rerum ecclesiasticarum conditionem, admodum diversa fuit scriptorum sententia. Convenit igitur haec capita accurato discutere examine.

Decretales Pseudo-Isidorianæ.

Consuli possunt de his quaestionibus, praeter varios auctores quos in decursu Dissertationis citabimus, Baronii *Annales* in saeculum IX, cum Pagii *Critica;* Pagii *Breviarium historico-chronologicum* etc.; Natalis Alexander, *H. E.*

Auctores consulendi.

in saec. IX et X, Dissertat. V—XIII; Hefele, *Conc. Gesch. B. IV;* F. Kunstmann, *Hrabanus Magnentius Maurus,* Mainz 1841; M. Sdralek, *Hinemars von Rheims kanonistisches Gutachten über die Ehescheidung des Königs Lothar II,* Freiburg 1881; F. Sprotte, *Biographie des Abtes Servatus Lupus von Ferrières,* Regensburg 1880; *Hincmari Opera ed. Sirmond,* Paris 1645; P. Hinschius, *Decretales Pseudo-Isidorianae et Capitula Angilramni,* Lipsiae 1863; C. De Smedt, *Les fausses Décrétales, l'Episcopat Franc et la Cour de Rome du IXe au XIe Siècles,* Etudes historiques 1870; Reumont, *Gesch. der Stadt Rom, B. II;* F. Walter, *Lehrbuch des Kirchenrechts, Buch II, Cap. II;* Hergenröther, *Anti-Janus VIII; Kirche und Staat, p. 358 sqq.; K. G. B. I. p. 586 sqq. et p. 694 sqq.; B. III. p. 211 sqq. et p. 235 sqq.,* ubi et alii auctores consulendi citantur.

I.

Causae aliquot celebriores saeculo nono agitatæ.

4. Inter catholicos scriptores, uti innuimus, mediante saeculo nono tractata fuit quaestio *de modo praesentiae Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia,* et quamvis revera omnes in fide convenirent, tamen ob modum loquendi acrius etiam inter se disceptarunt. Paschasius Ratbertus, monachus et postea abbas monasterii Corbeiensis Ord. s. Benedicti, vir eruditione et vitae sanctimonia clarus, anno 831 librum edidit *De Sacramento Corporis et Sanguinis D. N. Jesu Christi,* in quo totus in eo incubuit, ut doceret haec tria: 1° Verum Christi corpus et sanguinem in Eucharistia existere; 2° Panis et vini substantiam facta consecratione non superesse; 3° Corpus Christi in Eucharistia esse illud ipsum quod de Maria Virgine natum in cruce passum est, et de sepulchro resurrexit. *Licet,* inquit c. 1, *figura panis et vini hic sit, omnino nihil aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credenda sunt. Unde ipsa veritas ad discipulos: Haec, inquit, caro mea est pro mundi vita. Et ut mirabilius loquar, non alia plane quam quae nata est de Maria et passa in cruce et resurrexit*

Controversia de Eucharistia.

de sepulchro. — Quoad ultimum hoc doctrinae caput, aliquibus modus loquendi immerito visus est novus et rejiciendus, quamvis Paschasius s. Augustini testimonium adduxisset; nec isti viri aliquid carpendum hac in re invenissent, si plurium omnino ss. Patrum dicta perspecta habuissent.

Modus praesentiae. 5. Oppugnaverunt igitur Paschasium Rabanus Maurus, Ratramnus, duo anonymi Gemblacenses quorum unum Mabillonius putat esse ipsum Rabanum, et Ratherius Veronensis. „Opponebant, ait Em. Franzelin, contra Paschasium, a s. Hieronymo dupliciter, a s. Augustino etiam tripliciter Christi corpus dici, atque ideo non simpliciter corpus Christi in Eucharistia esse dicendum idem corpus, quod natum est de Maria Virgine. Attamen et ipsi fatebantur, vere ac realiter in Eucharistia esse corpus Christi.“ Modum loquendi Paschasii, quem novum censebant, rejicientes dicebant, esse quidem corpus Christi natum ex Maria Virgine et corpus Christi in Eucharistia *idem naturaliter, non tamen idem specialiter. — Manifestissime cognoscetis,* scribit anonymus (Rabanus), *non quidem, quod absit, naturaliter, sed specialiter aliud esse corpus Domini, quod ex substantia panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum sanctum consecratur, et aliud specialiter corpus Christi, quod natum est de Maria Virgine, in quod illud transfertur.* Sed ea distinctione nihil aliud illi auctores catholici voluerunt, nisi quod *unum* corpus agnoscerent secundum substantiam, et diversitatem assererent secundum *species visibiles,* et secundum *modum existendi,* unum *connaturalem,* alterum *sacramentalem.* „Insistebant autem, ita Em. Franzelin, huic distinctioni eo magis, quod videntur adscripsisse suis adversariis sententiam, quasi hi ipsas species visibiles putassent esse corpus Christi,“ vel forte eam consequentiam ex modo loquendi Paschasii falso deduxerunt. „Ratramnus videlicet quaestionem cum suis adversariis hanc esse ait: utrum Eucharistia aliquid secreti contineat quod oculis fidei solummodo pateat, an sine cujusque velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus inspiciat interius, ut

totum quod agitur in manifestationis luce clarescat."[1]) — Paschasius Radbertus talem sententiam non protulerat, attamen Haymo episcopus Halberstadiensis in suo opusculo *de Corpore et Sanguine Domini* dixerat, in Eucharistia non contineri mysterium nec signum, eo quod Corpus et Sanguis Christi vere praesentia sunt. Etiam hac in re nonnisi quoad modum loquendi et confusionem quarumdam notionum Haymo reprehendi potest, caeterum dogma orthodoxum tenebat.

6. Disputarunt quoque ea occasione theologi de aliis quibusdam adjunctis, quae ad Eucharistiam spectant, uti de specierum corruptione; vestigia enim ejusmodi disceptationis in scriptis illorum auctorum occurrunt. Caeterum in dogmate omnes conveniebant, et immerito Protestantes quidam controversiam istam catholicae doctrinae de ss. Eucharistiae sacramento opposuerunt. Unus forte Joannes Scotus Erigena eo tempore quaedam de Eucharistia tenuit a recta doctrina aliena; non desunt tamen, qui ipsum quoque ab errore Sacramentariorum vindicant.[2])

7. Vehementiores motus excitavit *controversia de praedestinatione*, quae medio saeculo IX auctore *Godeschalco* monacho exarsit; sed etiam quoad hanc quaestionem episcopi et theologi catholici, qui ex diversa parte visi sunt stare, potius in modo loquendi quam in re, quantum ad dogma attinet, dissentiebant. — Godeschalcus ex nobili Saxonum familia oriundus, a parentibus puer *oblatus* erat monasterio Fuldensi ibique educatus; sed postea vitae monasticae pertaesus petiit, ut dimitteretur, quod haud propria libertate statum religiosum elegisset. Obtinuit dimissionem hanc a. 826 a synodo Moguntina sub Otgario archiepiscopo. Sed Rabanus Maurus, tunc abbas Ful- Godeschalcus.

---

[1]) V. Franzelin, De Eucharistia Thesis X, Corollarium.

[2]) Cfr. de controversia exposita: La perpétuité de la foi de l'Eglise catholique touchant l'Eucharistie, L. VIII. ch. 8 sqq. — Natalis Alex. Dissert. in saec. IX—X, diss. XI—XIII — Franzelin, De Eucharistia. Thesis X. Corollar. — Wouters, Dissert. Tom III. diss. XXIII — Mabillon. Praefat. in part. II. saec. IV. Benedict. — Hergenröther. K. G. B. I. S. 708.

densis, minus provide severioribus principiis inhaerens, nec suae sententiae consequentias periculi plenas perpendens, Godeschalci dimissioni se opposuit, scriptoque opusculo demonstrare nisus est, eos qui pueri a parentibus ad vitam religiosam oblati erant, debere etiam contra propriam inclinationem in ejusmodi statu religioso remanere; quam sententiam etiam synodi Toletanae tertia et decima emiserant.

Godeschalci doctrinae.

8. Obtinuit Rabanus a Ludovico Pio, ut Godeschalco egressus ex ordine Benedictino non permitteretur; sed ut tantum concederetur mutatio monasterii, quatenus exinde in abbatia Orbacensi dioecesis Suessionensis monachus esset. Ibidem vir animi irrequieti ss. Augustini et Fulgentii scripta perlustrans at non intelligens, ex abruptis eorum sententiis erroneam de praedestinatione doctrinam concinnavit moxque propagare coepit. Presbyter ordinatus, inscio Rothadio Suessionensi, a Richboldo chorepiscopo Rhemensi, iter suscepit peregrinationemque Romanam. Ex Urbe rediens diversatus est apud Eberhardum comitem Forojuliensem, virum insignem ac generum Ludovici Pii, cujus filiam Giselam in matrimonium duxerat. Ibi invenit etiam Nottingum electum episcopum Veronensem, et cum eo collationem habuit *de duplici praedestinatione, sive electorum ad vitam, sive reproborum ad mortem.* Nottingo Godeschalcus visus est minus recte sentire; quamobrem eum denuntiavit Rabano Mauro, Otgarii in archiepiscopatu Moguntino successori, qui adversus ejus errores litteras scripsit ad Eberhardum et Nottingum. His litteris pulsatus Godeschalcus Eberhardi domo excessit, peragratisque Norico, Suevia et aliis quibusdam Germaniae partibus, anno 848 venit Moguntiam.

9. Tunc Rabanus Maurus synodum coëgit, cui praeter Rabanum plures episcopi et Ludovicus rex Germaniae interfuerunt. Godeschalcus damnatus est et remissus ad suum metropolitanum Hincmarum Rhemensem. Ex litteris ad Hincmarum a Rabano datis sententia synodi de Godeschalco colligitur. *Notum sit,* scribit praesul, *Dilectioni vestrae, quod quidam gyrovagus monachus nomine Godeschalk, qui*

se asserit sacerdotem in vestra parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones et noxiam doctrinam de praedestinatione Dei introducens et populos in errorem mittens; dicens, quod praedestinatio Dei sicut in bono fit, ita et in malo, et tales sint in hoc mundo quidam, qui propter praedestinationem Dei, quae eos cogat in mortem ire, non possint ab errore et peccato se corrigere, quasi Deus eos fecisset ab initio incorrigibiles, et poenae obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in synodo apud Moguntiam habita ab eo audientes et incorrigibilem reperientes, annuente atque jubente rege nostro Ludovico decrevimus, eum cum perniciosa doctrina sua damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in vestra parochia, unde primum inordinate discessit, et non sinatis eum amplius errorem docere et seducere populum christianum.[1])

10. Anno sequente (849) Godeschalcus ad synodum a Carolo Calvo in Carisiaco palatio indictam, cui Hincmarus Rhemensis et alii episcopi duodecim pluresque abbates adfuerunt, adductus est. *Ubi multis audientibus*, scribit Hincmarus Rhemensis, *nihil dignum ratione vel dixit vel interrogatus respondit: sed ut arreptitius, cum quid rationabiliter responderet non habuit, in contumelias singulorum prorupit.*[2]) Quapropter tanquam haereticus et inemendabilis damnatus, honore sacerdotali privatus, virgis secundum morem aevi castigatus, et custodiae in monasterio Antivillarensi traditus fuit.

11. Godeschalcus in custodia detentus duas edidit confessiones, breviorem unam, prolixiorem alteram. In utraque propugnat duplicem seu geminam praedestinationem, gratuitam electorum ad vitam, et impiorum ad mortem propter praescita eorum merita. Eodem tempore etiam misit nonnulla ex suis scriptis excerpta ad Amolonem archiepiscopum Lugdunensem, ejusque sententiam de iis postulavit. Si forte ambiguo modo suam de praedestinatione doctrinam Godeschalcus proponebat, ex responso Controversia augetur.

---

[1]) Labbé, VIII. 52.

[2]) Epist. ad Lugdunens. ecclesiam in libro S. Remigii de tribus epistolis c. 24. ap. Migne P. L. Tom. 121. col. 1027.

Amolonis tamen colligitur, plura in illius scriptis fuisse quae perversam doctrinam prae se ferebant. *Imprimis*, scribit Amolo, *displicet nobis valde, quod dicis et asseris, neminem perire posse Christi sanguine redemptum. . . . Baptismum et alia sacramenta frustratorie et perfunctorie iis dari, qui post eorum perceptionem pereunt, et qui ex numero fidelium pereunt Christo et Ecclesiae incorporatos non fuisse, quando ad percipienda regenerationis mysteria accesserunt. Displicet nobis valde, quod tam dure et indisciplinate et immaniter de divina praedestinatione sentis et loqueris, ut omnes illi qui ad sinistram ponendi sunt in die judicii . . . ita sint divinitus ad interitum praedestinati, ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse. . . . Non minus detestamur et horremus, quod ita exarsisti adversus eos qui aeterno interitu sunt digni, ut dixeris, eos tam irrevocabiliter et incommutabiliter perditioni esse praedestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis et inconvertibilis est.* — Ex his sane colligas, perversam fuisse doctrinam Godeschalci.

12. Ipse tamen in confessionibus suis errores de praedestinatione *necessitante* et de praedestinatione reproborum ad *culpam ipsam*, quorum illum Rabanus, Hincmarus aliique accusabant, non exprimebat, continuo provocabat ad s. Augustinum, de judicibus suis vehementer expostulabat, et contendebat, adversarios suos convellere doctrinam s. Augustini, et Semipelagianismi renovare errores. Fuerunt praeterea qui Hincmarum ob Godeschalci flagellationem atque custodiam nimiae in monachum istum severitatis accusabant, eo facilius, quod Hincmarus a multis haberetur ut vir vehementioris animi ac dominandi cupidus, adeoque iis esset parum acceptus. Evenit igitur, ut plures viri docti in Gallia existimarent, Godeschalcum esse ab erroribus praedestinationis immunem, et ab ejus adversariis doctrinam s. Augustini impeti. Hinc discussiones de praedestinatione in Gallia acres exortae sunt. Praecipui qui de hac quaestione disputarunt fuere ex una parte archiepiscopi Rabanus Maurus, Hincmarus Rhemensis, et Amolo Lugdunensis; ex altera parte Prudentius episcopus Trecensis, Servatus Lupus abbas Ferrariensis, Ratramnus

Dissensio theologorum.

monachus Corbeiensis, et Remigius in archiepiscopatu Lugdunensi Amolonis successor. Litem auxit, quod Scotus Erigena, quum partes Hincmari Rhemensis propugnaret, hujus suasu librum edidit de praedestinatione, in quo revera errores Pelagianos aliosque multos pro fallaci sua ac pantheistica philosophia proponebat. Synodi etiam plures in ista controversia habitae sunt, aliae aliis specietenus oppositae.

13. Quaestiones praecipuae, quae agitatae sunt, erant de *unica* (electorum) vel *gemina* (electorum et damnatorum) praedestinatione, de salvifica voluntate Dei, de morte Christi pro omnibus, et de libertate ac gratia. Vides, disceptatum fuisse de quaestionibus illis difficillimis, quae etiam posteriore aetate passim theologos commoverunt. Caeterum brevi post satis patuit, in dogmate illos episcopos virosque doctos Galliae non dissensisse. Proveniebat videlicet dissensio ex confusione terminorum, qui postea magis fuerunt definiti, quando praedestinationem et reprobationem, voluntatem Dei antecedentem et consequentem, satisfactionem Christi sufficientem et efficacem, opera bona naturalia et supernaturalia, scholae accurate etiam in ipsa terminologia distinxerunt, ac determinatus loquendi modus communior factus est. Ita in acri illa controversia de *unica* vel *gemina* praedestinatione manifeste dissensio provenit ex confusione quadam et modo loquendi. Generatim praedestinatio, uti notum est, dici potest omne consilium Dei, quo disponit et vult existentiam cujuscumque sui operis ad extra. Sensu magis stricto tamen et usu communi nomen praedestinationis non adhibetur, nisi de dispositione operum Dei in ordine ad salutem aeternam creaturarum rationalium. Antiqui autem interdum nomine hoc etiam utebantur, ut designarent decretum Dei aeternum puniendi peccatores, quibus ex praevisis peccatis damnationem praedestinatam esse dicebant.[1] Atque hoc modo Prudentius Trecensis et qui cum ipso erant geminam praedestinationem asserebant. Frequentiori usu qui postea com- **Indoles controversiae.**

---

[1] Cfr. tractatum nostrum *De Deo uno* P. II. C. III. et IV.

munis factus est, constitutio poenae dicitur *reprobatio*, et vocabulum praedestinationis reservatum est ad designandam dispositionem operum Dei, quae conducunt ad vitam aeternam, necnon ipsius vitae aeternae. Unde vides, quomodo Hincmarus Rhemensis unicam praedestinationem propugnaverit.

14. Dissensio aucta est eo, quod alii aliorum sententias male intelligerent et interpretarentur, et diversis regibus inter se dissidentibus partes oppositae convenire non possent, ut sensus suos pacifice conferrent et explicarent. Simul ac vero episcopi, sopitis regum Galliae et Germaniae discordiis, convenire, de sententiis variis agere easque exponere possent, mox pacem et concordiam inierunt et controversiae finis institutus est. Anno videlicet 860 mense Octobri plures episcopi ex quatuordecim provinciis Tullum in Lotharingia convenerunt, atque ibidem communi sententia ediderunt epistolam synodalem ab Hincmaro confectam, in qua doctrina catholica contra Pelagianos simul et Praedestinatianos apte proposita fuit.[1] Godeschalcus tamen usque ad mortem ipsius, quae contigit anno 868, in sententiis suis perstitit. Hincmarum etiam impugnavit eo, quod in hymno Ecclesiae verba *Te trina Deitas* expunxisset, quum ea tritheismum vel Arianismum sapere censeret, illumque Sabellianismi accusavit. Qua in re certe erravit; verba illa tamen, quae ab aliis defendebantur quod recte exponi possint, in Officio ecclesiastico remanserunt. — Auctores quidam, uti Gilbertus Mauguin in sua Dissertatione: *Vindictae praedestinationis et gratiae*, et Roncaglia: *Animadv. in Dissert. V. Natalis Alexandri in saec. IX—X*, existimant, Godeschalcum immunem fuisse a Praedestinatianorum haeresi, cujus ab adversariis accusatus est. Sed plerique auctores, uti Natalis Alexander et Sirmondus, ejus doctrinam fuisse haereticam censent, meritoque Hergenröther animadvertit, tum ex operibus adversariorum Godeschalci tum ex fragmentis scri-

Consensus Praesulum.

---

[1]) V. Concil. Tullense ap. Labbé VIII. 702. — Cfr. de causa Godeschalci Hergenröther, K. G. I. S. 694—703; Sprotte, Serv Lupus, §. 12.

ptorum ipsius quae supersunt, colligi, eum tenuisse sententiam de praedestinatione absoluta reproborum ad mortem.[1])

15. Jam de *causa Lotharii regis ejusque divortio* paucis agamus. — Lotharius II, Lotharii quondam Imperatoris filius, Lotharingiae adjunctarumque regionum rex, Teutbergae legitimo matrimonio junctus, sed Waldradae quae ipsi ab adolescentia in deliciis fuerat amore abreptus, eo perductus est, ut de Teutberga repudianda et Waldrada ducenda serio cogitaret (a. 857). — Erat autem Teutberga Bosonis comitis Burgundiae filia, fratremque habebat nomine Hucbertum, comitem qui etiam abbas dicitur esse, quia initio statui clericali addictus abbatiam s. Mauritii acceperat, quam postea in commendam retinuit.[2]) Contin- Lotharii causa.

---

[1]) Qualis fuerit in custodia detentus Godeschalcus, colligitur ex epistola Hincmari ad Egilonem: „Et si aliquis, scribit, vos interrogaverit de custodia, talem esse veraciter illi respondere potestis: Quidquid fratres in cibo et potu habent, hoc ei quotidie sine ulla negligentia ministratur; vestimenta . . . ligna . . . illi sufficienter dantur. . . . Lavacra illi non denegantur; sed postquam in eandem mansionem intravit, non solum corpus lavare noluit, verum nec manus, nec faciem.“ Ap. Migne P. L. T. 126. col. 70. — V. Sprotte l. c. p. 93.

[2]) Haud claret, utrum Hucbertus ordinibus majoribus insignitus fuerit, ac varia sunt hac de re auctorum judicia. De ejus vita dissoluta ac facinoribus agitur in epistola Benedicti III a. 856 vel 857 ad episcopos Galliae data. In eadem dicitur: „Quibus (facinorosis) Hucbertum clericum quondam Bosonis filium relatione similem cognovimus. Qualiter olim sacrorum fuit conjunctus numero clericorum a Deo, ut in divinis celebrandis mysteriis more subdiaconorum sacras lectiones conscendens ambonem populis nuntiaret: nunc autem (quod lacrymantes referimus) iniquorum sceleratissimorumque hominum conversationibus sociatus infaustae vitae iniquus, et multis piaculis criminibusque plenus, ad periclitationem suae, quo non debuerat, animae, iniquo certamine tendit, et cruenta tyrannide perseverat.“ Citatur porro a Pontifice Romam sub poena excommunicationis. V. epistolam ap. Baronium ad an. 756. n. 24. — Ex hisce colligi posse videtur, Hucbertum subdiaconum fuisse, uti etiam Ill. Hefele existimat C. G. IV. §. 463. Sed verba ita intelligi quoque possunt, ut Hucbertus fuerit tantum in ordinibus minoribus, etsi sacra lectio, quae plerumque a subdiaconis peragi solebat, ipsi honoris gratia concederetur. Clericus etiam ab Hincmaro Rhemensi in Annalibus Bertinianis ad a. 862 et 864 dicitur.

xerunt igitur contra Teutbergam crimen nefandum, eamque velut incestus accusarunt occultique flagitii cum Hucberto fratre suo ante matrimonium perpetrati, ex quo concepisset atque hausta potione foetum exstinxisset. Stupido mendacio, quo crimen gravius appareret et turpius, talia adjuncta addebant, ut conceptus impossibilis fuisset; modo videlicet qui naturae ordini contrarius est eam ab Hucberto cognitam esse. Regina in episcoporum procerumque conventu flagitium negavit, et laicorum nobilium judicio, episcoporum consilio, ac regis ipsius assensu procuratorem, qui se obtulit, misit ad judicium aquae ferventis, ut suam innocentiam Deo probandam et vindicandam permitteret (a. 859). Aquae ferventis ordalium homo illaesus pertulit, ideoque regina innocens conclamata et regio conjugio digna judicata est. Sed rex Lotharius in suis consiliis perstitit, et quamvis judicio aquae fervidae consensisset, postea contra illud opposuit, quod legibus ecclesiasticis reprobaretur.

Synodus Aquisgrani habitae.

16. Anno 860 Lotharius Aquisgrani duas fecit celebrari synodos variorum episcoporum, inter quos eminebant Guntherus Coloniensis, regis archicapellanus, et Teutgaudus archiepiscopus Trevirensis. Postquam arte quadam et violentia species confessionis a Teutberga obtenta fuit, in prima synodo, mense Januario habita, episcopi renuntiarunt regi, incestuosam ipsum uxorem retinere non posse; in altera vero, mense Februario habita, Teutbergae publicam poenitentiam decreverunt. Teutberga autem eodem anno aufugit ad Hucbertum fratrem et regem Carolum Calvum, litterasque et legatos misit ad Nicolaum Papam, ut de judicio in ipsam lato conquereretur, et ad illum appellaret. Lotharius dein anno 862 tertiam Aquisgrani synodum eadem de causa convocavit, libellum supplicationis episcopis obtulit, licentiamque alterius conjugii ineundi rogavit, quoniam Teutbergam in conjugali thoro retinere non posset, ut ipsi ante biennium judicaverant. Major pars episcoporum, ducibus Gunthario Coloniensi et Teutgaudo Trevirensi, eam tulerunt sententiam, Lotharium novum conjugium inire posse, priore cum Teutberga

dirempto. Duo tantum ex illis episcopis (octo) oppositam sententiam edito libello vindicarunt.[1])

17. Qua ratione illi episcopi in hac causa se gesserint, jam advertatur. Servili obsequio regi obsecundantes de *quaestione facti* sine vera probatione ac praecipitanter sententiam tulerunt, videlicet inquinatam esse Teutbergam incestu ante matrimonium cum fratre commisso. Hinc eam poenitentiae addixerunt, usumque matrimonii illicitum pronuntiarunt, quum juxta Ecclesiae disciplinam is poenitentiae mancipatis interdicatur. Guntherus praesertim ista in causa pessime egit; figmenta enim quaedam juridica ad sententiam contra reginam ferendam congessit, reliquosque praesules ignavos ad suas partes traxit.[2]) — Quum vero rex alteras nuptias cum Waldrada concubina vehementius expeteret, restabat *quaestio juris*, utrum dissoluta anteriore cum Teutberga unione, matrimonium cum pellice Lothario liceret. Difficilior et implicata apparuit illa quaestio, sed praesules sibi visi sunt in Scriptura et in Ecclesiae decretis plura invenire, ex quibus collegerunt, irritum fuisse matrimonium Lotharii cum Teutberga ob foedam pollutionem, quam femina ante commiserit vel passa fuerit, aliasque nuptias regi licere. In sua *Sententia* inter alia dicunt: „Feminam sibi (Lothario) uxoris nomine et improbo conamine injectam potius quam legitime conjunctam pluribus didicimus documentis, et conjugem esse non potuisse, quam plurimis attestationibus, imo detestationibus,

Praesulum conniventia.

---

[1]) Cfr. Labbé T. VIII. p. 738 sqq. — In libello episcoporum dissentientium singulare habetur quoad temporum mores testimonium. Dum probant, luxuria ante matrimonium commissa non dirimi subsequens matrimonium, scribunt: „Alioquin si quaecumque committuntur ante nuptias postquam nuptum fuerit in crimine detineantur, licentia non modica tribuitur et viro et mulieri solvendi matrimonium. Ut de mulieribus taceam, rarus aut nullus est vir, qui cum uxore virgo conveniat.“ L. c. p. 752.

[2]) Perhibetur Guntherus a Lothario seductus esse promissione, quod dimissa Teutberga neptem illius uxorem duceret. Res tamen dubia est; haud enim poterat episcopum latere, regem inhiare nuptiis cum Waldrada concubina contrahendis. Cfr. Sdralek, Hinkmar's von Rheims kanon. Gutachten etc. p. 60.

ad postremum spontanea confessione sua, liquidius agnovimus. Quomodo enim possit matrimonio copulari, quam juxta suam assertionem frater non pertimuit obstuprare. . . Hinc alia Scriptura dicit: *Qui tenet adulteram, stultus et impius est.* . . . Hinc et in concilio Agathensi cap. III ita dictum est: *Qui se incesti pollutione commaculant, placuit, quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia permittantur. Cum quibus etiam nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut Apostolus jussit, oportet.* . . . Porro eidem principi ac seniori nostro Lothario post excessuum cognitionem, et errorum suorum convenientem mira afflictione punitionem, scientes juxta ejusdem professionem aliam legem in membris repugnantem legi mentis suae, ne in deteriora labatur, uxorem ducere, filios procreare, vetare non possumus, dicente Apostolo: *Qui se non continet, nubat, tantum in Domino; melius est enim nubere, quam uri.* . . . Et nos ergo idcirco ista non omnimodis inhibere audemus, ut graviora facilius caveantur, et omnis indebita causatio sollicitiori deinceps custodia devitetur."[1]) — Vides, praesules eo tendere ut ostendant, personam quae incestum commiserit poenitentiae addicendam esse, et inhabilem fieri ad nuptias ineundas, ita ut matrimonium ab ea contractum invalidum habendum sit. Qua in re perperam interpretantur canonem 61um concilii Agathensis (a. 506.) In eo enim agitur de talibus, qui juncti sunt connubiis incestuosis, talesque uniones plane dissolvendas esse praescribitur; nullatenus autem agitur de iis, qui ante matrimonium initum crimen commiserint.[2]) Porro alia plura effata, quibus connubia quaedam interdicuntur, haud vero si concluduntur declarantur invalida, eo vertunt praesules, ut irrita talia matrimonia esse supponant. Universim eorum argumentatio in edita ab ipsis *Sententia* plane contorta est.

Praesulum error.

18. Satis mirandum est, in *quaestione juris* etiam Hincmarum Rhemensem archiepiscopum, virum doctrina celebrem, simili ratione, uti illi praesules, sensisse. Ad

---

[1]) V. Labbé VIII. col. 742 sqq. [2]) V. Labbé IV. col. 1393.

eum videlicet de causa Lotharii quaestiones varias miserunt „quidam ex ecclesiastico, quidam vero ex laicali ordine, et pro officii sui loco ac pro religionis merito nec non et pro devotionis atque nobilitatis suae cultu non contemnendae personae.“[1]) Has personas fuisse ipsos episcopos aliosve proceres regni Lotharii, alibi Hincmarus satis indicat.[2]) De tempore quo quaestiones illae ad Hincmarum directae sint, et Hincmarus suum *de Lotharii divortio* librum exaraverit, non una est auctorum opinio. Sed solidis rationibus nuperrime auctor, qui de illo Hincmari opere erudite scripsit, probavisse nobis videtur, anno 860 post alteram synodum Aquisgranensem quaestiones ad Hincmarum missas fuisse, eodemque anno ab ipso librum illum esse confectum.[3]) Hincmari sententia.

19. Hincmarus igitur modum quo actio contra Teutbergam instituta fuit graviter sugillat, crimina ei imputata nullatenus probata agnoscit, sed conficta habet, rationem agendi praesulum in duabus prioribus synodis Aquisgrani habitis acriter reprehendit, et postulat, ut modo legitimo gravis illa causa tractetur. Sed proposita etiam erat hypothetice Hincmaro *quaestio juris*, videlicet interrogatione 12ª: *Si deprehensa fuerit haec ante conjugium crimina perpetrasse, utrum in conjugio debeat aut valeat permanere;*[4]) et interrogatione 19ª: *Si ipsa criminibus obnoxia de quibus reputatur inventa fuerit, utrum idem rex alteri feminae conjungi valeat.*[5]) Hincmarus cum quadam eruditionis ostentatione quaestiones illas discutit, sed haud valde clare. Statuit tamen, si post matrimonium legitime initum carnis peccata, uti adulterium vel incestus committantur, matrimonii vinculum non rumpi; ejusque indissolubilitatem

---

[1]) De divortio Lotharii, Praef. ap. Sirmond Hincmari opp. t. I. p. 565.

[2]) In epistola ad Hildegarum episcopum Meldensem libri sui partem qua de ordaliis agit inserit, advertitque se „scripsisse ad interrogationem fratrum et coëpiscoporum nostrorum de regno quondam junioris Lotharii.“ Opp. Hincmari II. 676.

[3]) V. Sdralek, Hinkmar's von Rheims kanonisches Gutachten etc. I. Theil, §. 1.

[4]) Hincm. opp. I. p. 626. [5]) Ibidem p. 667.

bene vindicat. Sed ex altera parte eam profert sententiam, personam quae ante matrimonium incestum commiserit, jure ecclesiastico inhabilem fieri ad matrimonium ineundum. Matrimonium igitur ejusmodi feminae nullum esse, virum ab ea discedere aliasque nuptias concludere posse.[1])

20. Existimamus, uti innuimus, Hincmari libellum de divortio Lotharii jam ante synodum tertiam Aquisgrani habitam confectum esse et praesulibus transmissum. Quum vero Hincmarus quoad quaestionem facti et quoad rationem qua causa Teutbergae tractata erat, plane dissentiret ab illis episcopis, eosque acrius sugillasset, id praesules non attenderunt, sed in sua perstiterunt sententia, crimina reginae ante matrimonium commissa esse probata. Quoad quaestionem juris autem eamdem sententiam ac Hincmarus ipsi amplexi sunt, meritoque supponitur, hac in re illius libellum eis non modico usui fuisse. — Apparet ex hisce, principia juris Ecclesiae in re matrimoniali ea aetate minus perspecta fuisse Galliarum episcopis, ac facilius eos laxiora esse secutos. Haud improbabile est, id inde partim provenisse, quod nimium quid legibus civilibus ea in re concederetur, atque laxiori juri civili facilius ecclesiasticum praesules conformarent et miscerent.[2]) Attamen, uti jam diximus, in synodo tertia Aquisgranensi duo praesules dissidentes, qui videntur fuisse Arnulphus Tullensis et Hungarus Ultrajectensis[3]), in suo *libello* apte vindica-

Ratio agendi Episcoporum.

[1]) „In hoc loco, ait in responsione ad interrogationem XII, p. 643, de ea vel de eo agitur, qui ante initum legitimum conjugium perpetrato incestu, *legitimum quod habere poterat sibi tollit conjugium.*" Eo pertinent etiam ea quae dicit ad interrogationem XXI, utrum rex, si crimina uxoris probata sint, eam quam habuerat concubinam ducere possit. Id permissum esse statuit, „si aut uxor legaliter accepta et innoxia erga illum inventa, mortua fuerit corpore, vel si inventa fuerit animâ adeo mortua, ut ipsius cum ea copula incestus et nullo conjugii nomine deputandus legaliter comprobetur" (p. 672). In responsione ad interrogationem XIX ad rem perperam applicat etiam Hincmarus canonem 61 Concilii Agathensis de nullitate conjugiorum incestuosorum (p. 668). Cfr. Sdralek l. c. §. 26. p. 133.

[2]) Cfr. Sdralek l. c. §. 29.

[3]) V. Sdralek l. c. p. 150.

runt vera juris principia, ac propugnarunt, validum et legitimum esse Lotharii cum Teutberga conjugium, id dissolvi non posse, nec regi licere aliam uxorem ducere. Sed Lotharius, majoris partis sententiam secutus, die natali Domini anni 862 solemniter Waldradam in uxorem duxit, et in reginam fecit coronari. Ingens autem inde ortum est scandalum fidelium; opinio ea aetate vulgata erat, Lotharium a Waldrada maleficio affectum fuisse.

21. Teutberga iterato Sedem Apostolicam appellaverat, atque Nicolaus jam in eo erat ut legatos mitteret, qui rem accuratius examinarent. Postquam vero synodus tertia Aquisgranensis novum matrimonium regi concesserat, isque Waldradam duxerat, etiam Lotharius ipse ad Pontificem nuntios misit, petens ut quae gesta erant suo consensu firmaret. Quum multi regis gesta acriter reprehenderent, jamque a Teutberga negotium ad Sedem Apostolicam delatum fuisset, consultius videtur rex habuisse, ut et ipse ad Pontificem se verteret. Nicolaus Pontifex igitur concilium indixit Metis celebrandum, et sicuti Lotharius petierat, legatos a latere suo misit, qui negotium istud urgerent, rebusque gerendis praeessent, Rodoaldum Portuensem et Joannem Ficoclensem episcopos. Caeterum Nicolaus jam perspiciebat, regem adulterum libidine agi, uti ex epistolis Pontificis colligitur. Lotharius vero interea aliud motivum legitimi cum Waldrada matrimonii addidit, quod etiam in synodo Aquisgranensi tertia innuerat; sibi videlicet jam ante initum cum Teutberga conjugium, vivente et consentiente Lothario I patre, Waldradam rite desponsatam fuisse; postea vero se ab Hucberto fuisse coactum, ut ipsius sororem Teutbergam duceret. Matrimonium hoc igitur etiam inde fuisse invalidum.

Nicolai R. P. interventus

22. Anno 863 mense Junio indictum a Nicolao Papa Metense concilium episcopi regni Lotharii coram Apostolicae Sedis legatis Rodoaldo et Joanne celebrarunt; haud tamen, uti Nicolaus mandaverat, ex regnis quoque Ludovici et Caroli fratrum Lotharii bini episcopi ad synodum acciti fuere. Legati etiam ignave tolerarunt, ut Teutberga synodo non adesset, quum salvum conductum

haud accepisset. Cum legati Lotharium regem arguerent, quod Apostolicae Sedis judicium antevertens Waldradam, abjecta Teutberga, duxisset, consilio et auctoritate episcoporum id se fecisse respondit. Quod episcopi regi conniventes non negarunt. Imo verosimilium rationum fuco legatos quoque seduxerunt, qui divortium Lotharii et initum cum Waldrada conjugium approbarunt, muneribus potius quam rationibus victi. *In qua synodo,* scribit Hincmarus in Annalibus Bertinianis ad a. 863, *praefati missi corrupti muneribus, epistolas Domni Apostolici occultantes, nihil de his quae sibi commendata fuerant secundum sacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egisse, Guntharium Coloniensem archiepiscopum et Teutgaudum Trevirensem aeque archiepiscopum, cum veniis quas in eadem synodo subscripserunt episcopi Romam ire jusserunt, ut judicio Domni Apostolici ipsa causa diffiniretur.*[1])

Nicolai sententia.

23. Guntharius et Teutgaudus superba quadam arrogantia et ignorantia suae causae fidentes, intrepide Romam properarunt, et Nicolao Pontifici *libellum* de Lotharii negotio tradiderunt. Quum vero Nicolaus multa *profana et inaudita* in hujusmodi libello inveniret, mense Octobri anni 863 convocavit in Laterano synodum, in qua re ad examen revocata Pontifex justa ac sacra auctoritate plura decreta emisit. Synodum Metensem Nicolaus plane cassavit, Guntharium et Teutgaudum deposuit, omni exuit episcopali regimine et excommunicavit, et reliquos episcopos eorum complices eidem poenae subdidit, si cum illis conjurationem inierint; divortium vero Lotharii omnino damnavit. — Guntharius et Teutgaudus in Pontificem exardentes Ludovicum Imperatorem Beneventi agentem adierunt, eumque ita in Nicolaum commoverunt, ut cum exercitu Romam profectus Pontificem ad reparandam injuriam, quam fratris sui legatis illatam dicebat, compellere instituerit. Mediis in angustiis et periculis Nicolaus constans in suis decretis tuendis perseveravit. Opera maxime

---

[1]) V. Pertz M. G. I. 419—515. — De Annalibus Bertinianis cfr. Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen ed. 4. t. I. pp. 169. 238.

Ingelbergae Imperatricis, quae a Pontifice de illatis malis veniam petiit, concordia inter Nicolaum et Ludovicum restituta est. Imperator sermone Pontificis rem melius edoctus, Roma discessit, et Guntharium et Teutgaudum in Gallias redire jussit.

24. Episcopi Lotharingiae, directis Romam poenitentiae libellis, veniam a Pontifice postularunt et consecuti sunt. Lotharius quoque submissionis litteras ad Nicolaum misit, et anno 865 Arsenii episcopi Hortensis, quem Pontifex in Lotharingiam legaverat, monitis perterritus, Waldradam dimisit, et Teutbergam in conjugem et reginam recepit. Verum post legati pontificii discessum Teutberga iterum pessime a Lothario habita est. Hinc anno 866 honestam a Lothario recedendi occasionem captans, licentiam a Nicolao Pontifice veniendi Romam postulavit, atque declaravit, se sponte velle cedere regia dignitate et conjugio ac vitam continentem profiteri, ut Waldradam ducere rex posset, eo vel magis quod ipsa (Teutberga) sterilis esset. Hoc ubi intellexit Nicolaus, arguit Teutbergam per epistolam mense Januario anni 867 datam, de iis quae *coacte* scripsisset. Nequaquam consensit, ut Romam veniret, negavitque fieri posse quod suggerebat, ut vel ob sterilitatem, vel professione continentiae matrimonium dissolveretur, nisi etiam Lotharius maritus coelibem vitam promitteret. Lotharium quoque data epistola Nicolaus vehementer increpavit, quia iterum conceperat consilia dissolvendi matrimonii praetextu desponsationis anterioris cum Waldrada, et ob confictum aliquod Teutbergae adulterium. Licentiam autem Romam veniendi, quam Lotharius ad se purgandum petierat, ei denegavit.

25. Mortuus eo anno est Nicolaus eique successit die 14 Decembris *Hadrianus II*, qui eadem juris principia secutus est, quam magnus ejus praecessor, idque variis in litteris clare significavit. Pro charactere tamen suo miti atque benigno, forma quadam agendi minus severa usus est. Tum Teutberga tum Lotharius ab ipso impetraverunt licentiam Romam veniendi, ac Waldrada ab excommunicatione in eam lata soluta est. Quum anno 869 Hadrianus II.

Lotharius cum Hadriano in monasterio Montis Cassini convenisset, ibidem ipse testatus est, se mandato Nicolai obtemperasse et consuetudinem cum Waldrada amplius non habuisse; petebat tamen, ut causa matrimonialis ipsius per Pontificem vel ejus legatos iterum examinaretur, eo quod censeret, causas canonicas dirimendi matrimonii adesse. Hadrianus II ibidem coram Lothario missae solemnia celebravit, regemque et socios ejus ad sacram synaxim admisit. Lotharius rex dein Romam visitavit, sed receptione honorifica non dignatus est. Pontifex tamen ad convivium eum admisit, muneribusque ab eo oblatis quaedam munera reddidit. — Ex Hincmaro Rhemensi quoad causam Lotharii statutum est, ut Hadrianus Formosum episcopum Portuensem cum alio episcopo mitteret in Galliam ut legatos, qui accuratius rem inquirerent de eaque cum episcopis agerent. Dein in synodo Romana celebranda die 1 Martii anni 870, ad quam plures Galliae episcopi convenirent, definitiva sententia Pontificis res dirimenda erat.[1]) Roma Lotharius brevi discessit, sed quum in regna sua rediret, in itinere cum pluribus comitibus violenta febre correptus fuit, ac tum plures ejus socii interierunt, tum ipse die 8° Augusti prope Placentiam morte abreptus est. Plurimis ea aetate persuasum fuit, justa Dei vindicta hanc mortem inopinatam accidisse. A paucis servis qui superstites erant, Lotharius rex in ecclesia s. Antonini prope Placentiam sepultus fuit. Teutberga ingressa est monasterium s. Chlodesindis, cujus abbatissa fuit usque ad mortem; sed et Waldrada perhibetur usque ad obitum suum in monasterio Remiremonte ut monialis poenitentem vitam egisse.[2])

Hincmarus Rhemensis. 26. Romanis Pontificibus negotia pluries facessit etiam *Hincmarus Rhemensis episcopus*, illaeque causae eo celebriores sunt, quod earum occasione de Decretalibus Pseudo-Isidori actum sit. Hincmarus (a. 806—882) ex nobili

---

[1]) Annales Bertin. a. 869. Utrum haec jam in Monte Cassino, vel Romae statuta fuerint, controvertitur; ea de re inferius agetur.

[2]) De causa Lotharii cfr. praecipue Hefele, C. G., B. IV; Damberger, B. IV; Pagi Breviarium sub Nicolao I et Hadriano II; Sdralek op. cit.

genere natus, eruditione fuit valde insignis, ac disciplinam ecclesiasticam sollicite tuitus est, sed vir erat dominandi cupidus, animo elatus, atque ad lites et vindicanda jura quae sibi convenire opinabatur ultra modum intentus. Quum jam prima adolescentia abbatiam s. Dionysii esset ingressus, et a regibus Galliae variis in negotiis adhibitus, a. 845 archiepiscopus Rhemensis factus est. — Ante ipsum hujus ecclesiae praesul fuit Ebbo magni caeterum meriti vir, sed dissidiis Ludovicum Pium inter et filios implicatus. Ipse filiorum partes sequens, anno 833 cum aliis episcopis in conventu apud Compendium habito Ludovicum publicae addixerat poenitentiae. Ludovicus anno sequente Imperio restitutus, Ebbonem interceptum monasticae vitae tradidit. Anno 835 in generali placito apud villam Theodonis habito, Ebbo abdicationis libellum obtulit episcopis, eorumque sententiis a pontificali ministerio abstinere jussus, in monasteriis vitam egit usque ad a. 840, quo obiit Ludovicus Pius. Tunc edicto Lotharii, cui episcopi viginti subscripserunt, Ebbo in sedem Rhemensem, quae ab ejus abdicatione vacabat, restitutus est; et contestatus abdicationem suam non fuisse liberam, pontificale ministerium resumpsit eoque sicut antea functus est. Biennio post, Carolo Calvo rege Galliae contra fratrem suum Lotharium bellante, Ebbo relictis Rhemis confugit ad Lotharium, et cum eo profectus est in Italiam. Anno 847 a Ludovico Germanico episcopatum Hildesiensem obtinuit, eique ecclesiae praefuit usque ad mortem (a. 851).

27. Ad archiepiscopatum Rhemensem a. 845 evectus est Hincmarus, isque clericos, quos Ebbo post recuperatum a. 840 archiepiscopatum ordinaverat, suspendit, eo quod illegitime ordinati essent. Hanc suspensionem acriter Hincmarus tuitus est, quoniam verebatur, ne si illi clerici ut legitimi ordinati haberentur, etiam recuperatio archiepiscopatus per Ebbonem legitima censeretur, adeoque ipsius (Hincmari) evectio ad archiepiscopatum Rhemensem vitio appareret affecta. Sed gravissima lis ex hoc negotio exarsit; ad quam dirimendam anno 853 habita est synodus Suessionensis. Praefati clerici, videlicet Wulfadus et tres **Causa Wulfadi.**

alii canonici Rhemenses atque aliquot monachi, synodo supplicarunt, ut in ordinem suorum ministeriorum restituerentur, contestati, se bona fide ab Ebbone ordines suscepisse; se enim existimasse rem bene habere, eo quod sciverint, eum ab episcopis in ecclesia sua restitutum fuisse, ipsumque viderint nullo contradicente solemniter ac pacifice sacra celebrantem. Petitionem suam fulciebant quoque eo principio juris canonici, episcopum ab aliqua synodo sine auctoritate Romani Pontificis non potuisse deponi (Pseudo-Isidor.), adeoque Ebbonis depositionem non fuisse legitimam. Attamen Hincmarus cum aliis synodi episcopis decrevit, ut Wulfadus ejusque socii gradibus ecclesiasticis privati manerent.

28. Hincmarus studuit a Sede Apostolica obtinere synodi confirmationem, forte hac in re pariter sequens regulam juris in Pseudo-Decretalibus contentam. Sed renuit Pontifex Leo IV, tum quod acta illius synodi non fuissent ad Sedem Apostolicam transmissa, tum quod Wulfadus ejusque socii per proprias litteras eamdem Sedem appellassent. Praecepit autem Leo Papa, ut Hincmarus cum dictis clericis recurreret ad synodum, ad quam ipse Petrum episcopum Spoletanum e latere legaret ad renovandum vice sua judicium, ita quidem ut si in ea depositionem praefatorum clericorum confirmari contingeret, et illi iterum ad Apostolicam Sedem appellarent, illis licentia ad eam veniendi concederetur, ne ejusdem sacrae Sedis dissolveretur privilegium; Hincmarus vel ejus procurator cum illis Romam veniret, quatenus collato cum fratribus suis episcopis consilio, utraque parte conveniente, causa a sancta Sede finiretur.[1])

Benedictus III.

29. Anno 855 defuncto Leoni IV successit Benedictus III, et ab eo Hincmarus *conditionatam* confirmationem synodi impetravit, videlicet, si omnia se haberent uti ab ipso exposita erant.[2]) Per obreptionem etiam a

---

[1]) Cfr. Pagii Critic. Baron. ad a. 853 n. 3; Nicolai I epist. ad Hincmarum Rhemensem datam a. 866, ap. Labbe T. VIII. col. 851.

[2]) „Definitiones fraternitatis tuae et caeterorum episcoporum, quas in praefato synodo apostolicis canonicisque auctoritatibus propriis digitis

Nicolao I a. 863 similem synodi confirmationem obtinuit, *salvo tamen Romanae Sedis in omnibus jussu et judicio.*[1]) At brevi post animadvertit Nicolaus, ab Hincmaro non accurate res esse relatas. Renovavit videlicet Wulfadus, quem Carolus Calvus ad episcopatum Biturigarum (Bourges) evehi desiderabat, a. 866 appellationem ad s. Sedem. Tunc Nicolaus acta synodi Suessionensis ad ipsum transmissa diligenter expendit, et multa in iis reprehendenda invenit. Significavit igitur Hincmaro, ex Actis non colligi, clericos illos jure depositos esse, adeoque se ipsum hortari, ut eos restituat; quod si facere nolit, a nova synodo magna Suessionibus convocanda examen rei instituendum esse.

30. Synodus haec habita est anno 866. In eadem episcopi, quamvis Hincmarus aliquantisper reluctaretur, decreverunt, ut illi clerici restituerentur, non quidem quod jus haberent, sed per viam gratiae venia ipsis data, quum bona fide ab Ebbone sacros ordines suscepissent. Episcopi una cum Hincmaro Rhemensi epistolam synodicam ad Nicolaum Pontificem dederunt, in qua professi sunt, se totam causam submittere ejus judicio et fideliter executuros esse, quidquid ipse decrevisset. Pontifex comprobavit, quod clericos illos in suos gradus receperint. Postulavit tamen, ut omnia in causa depositi Ebbonis et illorum clericorum acta ad ipsum mitterentur, Hincmarumque arguit, quod prioris synodi Suessionensis acta plura corruperit et obreptitio modo confirmationem illius obtinuerit.[2]) Restitutio clericorum.

31. Convenerunt igitur mandante Pontifice iidem episcopi anno 867 Trecis, relationemque completam de causa Ebbonis ad Nicolaum mittendam composuerunt. Sed Carolus Calvus, ex cujus gratia interim Hincmarus exciderat,

---

roborasti: *si ita est nostroque ut scriptis praesulatui intimasti et gestorum serie demonstrasti*, ratas quidem eas definitiones apostolica promulgamus fore auctoritate, semperque manere statuimus." Ap. Baron. ad a. 853 n. 15.

[1]) V. Baron. ad a. 863 n. 64.

[2]) Cfr. epp. Nicolai ad episcopos synodi, et ad Hincmarum Rhemensem; Labbe VIII. col. 843 et 851.

retinuit haec scripta episcoporum, aliamque misit relationem, qua Hincmarus magis gravabatur. Verum etiam Hincmarus Romam misit legatos et litteras, ut se vindicaret ab accusationibus quae contra ipsum ferebantur. Qui quum Romam venirent, Nicolaus jam obierat. Hadrianus II vero rem ita composuit, ut omnes contra Hincmarum accusationes seponerentur, ex altera vero parte Wulfadus episcopus fieret Bituricarum; Ebbonis autem causam, quod prae longo temporis jam elapsi spatio quae in illa acta essent vix nosci possent, et de his qui ad Dominum migrarunt facile judicare non liceret, silentio obtegi jussit. A quo tempore nullum amplius negotium Wulfado et sociis ejus creatum est.[1])

Causa Rothadii.

32. Eodem fere tempore *causa Hincmari adversus Rothadium* episcopum Suessionensem vehementius agitata est. — Rothadius ad ecclesiae Suessionensis regimen assumptus circa annum 832, parum acceptus erat Hincmaro Rhemensi ipsius metropolitano. Eum passim arguit Hincmarus *negligentiae et diutinae in sacro ministerio inutilitatis*[2]), et *hominem singularis amentiae* in continuatione Annalium Bertinianorum appellat[3]), ita ut compertum sit, variis de causis Hincmarum ei infensum fuisse. Difficile vero est colligere, quousque hac in re aliqua fuerit Rothadii culpa. Caeterum litis vehementioris contra Rothadium haec fuit occasio. Rothadius presbyterum quemdam suae dioecesis in flagitio deprehensum et mutilatum deposuit, concurrente sententia triginta trium episcoporum, aliumque in loco ejus constituit. Hincmarus Rhemensis, ad quem depositus presbyter confugit, ejus causam suscepit, et post tres annos eum jussit restitui; sacerdotem vero, qui locum illius obtinuerat, Rhemas deduci fecit, eumque custodiae tradidit. Contendit autem Hincmarus, depositionem illam, inscio metropolitano factam, irritam esse, neque sententia aliorum episcoporum eam posse

---

[1]) Cfr. Wouters Diss. T. III. Diss. XXV. — Hefele C. G. B. IV.
[2]) Epist. ad Nicol. Pap. Opp. Hincmari (edit. Sirmondi) t. II. p. 244.
[3]) Pertz M. G. I. p. 487.

valorem acquirere, quum synodus episcoporum nonnisi per metropolitam convocari et haberi liceat.[1]) Rothadius Hincmari sententiae refragatus est; ille vero a. 861 in synodo provinciali Suessionibus habita Rothadium ut contumaciae reum episcopali communione privavit, donec obediret.

33. Quum altero anno 862 Carolus Calvus rex placitum et synodum episcoporum convocasset Pistis, venit etiam Rothadius. Quum vero Hincmarus et episcopi qui ex parte ipsius stabant, eum ad synodum admittere nollent, imo urgente Hincmaro res in eo jam esset, ut a synodo deponeretur, Rothadius appellavit Romanum Pontificem, quemadmodum id secundum canones Sardicenses poterat. Appellatio a synodo admissa est, ac Rothadio terminus statutus, quo Romam proficisceretur. Rothadius synodo relicta Suessiones regressus est, indeque quum varia pro futuro itinere disponeret, epistolam quoque scripsit ad episcopum quemdam amicum, quem adhuc Suessionibus in synodo adesse supponebat. Petebat, ut ipse et alii amici ejus causam suam contra adversarios propugnarent. Haec epistola incidit in manus Hincmari, qui eam synodo communicavit, et ex eadem argumentum collegit vel praetextum, Rothadium renuntiare appellationi et velle, ut causa ipsius per *electos judices* dirimeretur. Rothadius postea omnino negavit, hanc ejus mentem fuisse; sed major pars episcoporum et Carolus Calvus rex sententiam illam Hincmari amplexi sunt. Synodus Pistensis.

34. Quum igitur tempore auctumnali illius anni 862 per Carolum Calvum Pistis translata esset synodus episcoporum in suburbium civitatis Suessionensis, ad hanc synodum ter citatus est Rothadius, qui recusavit synodi subire sententiam, pendente sua appellatione ad Sedem Ro- Synodus Suessionensis.

---

[1]) Examinare non vacat, utrum depositio illa canonica fuerit. Canonicam dicunt varii auctores, uti Natalis Alex. (Diss. VI. in saec. IX.), Pagi (Breviar. sub Nicolao), Wouters (Diss. Tom. III. Diss. XXV); alii autem auctores uti Hefele (C. G. B. IV. §. 468) regulas juris canonici revera violatas esse animadvertunt. Caeterum haec quaestio in hoc negotio omnino secundaria est.

manam. Sed ab Hincmaro et congregatis cum ipso episcopis veluti contumax depositus et in monasterium relegatus fuit. Hincmarus tam regio quam suo nomine Odonem Bellovacensem episcopum Romam misit, qui synodi Suessionensis et depositionis Rothadii, quasi a judicibus ab eo electis factae, confirmationem a Sede Apostolica peteret. Sed jam ante adventum Odonis ad Nicolaum delatae sunt Rothadii de rebus gestis querelae et appellatio ejus ad Sedem Apostolicam. Plures igitur in hoc negotio Pontifex dedit litteras magni momenti tum ad Hincmarum, tum ad alios episcopos ejus socios et ad Carolum Calvum. Rescidit Pontifex Acta synodi Suessionensis, quod Sardicenses canones de appellationibus episcoporum accusatorum violati essent; et mandavit, Rothadium ab exilio revocarent, et ad Sedem Apostolicam proficisci permitterent cum illorum legatis, ut Romae judicium illud retractaretur. Tum Hincmaro tum aliis episcopis poenas canonicas magna cum auctoritate minatus est, nisi obtemperarent, regem vero monuit, ut Rothadium suo adjutum solatio Romam dirigeret, Sedisque Apostolicae privilegia in suo regno firmaret.

Rothadius restituitur.

35. Rothadius, accepta a rege libertate, a. 864 post varia superata impedimenta Romam pervenit, ac Nicolao *libellum proclamationis* obtulit, quo Pontifici totius negotii seriem exposuit.[1]) Legati episcoporum et Caroli Calvi ab Imperatore Ludovico II impediti fuere, quominus Romam iter prosequerentur, et ista de re occulte Nicolaum certiorem reddiderunt. Pontifex tamen potius suspicatus est, eos effugio quodam uti, et quum per sex menses accusatores sive expostulatores contra Rothadium exspectasset, in pervigilio Nativitatis Domini anni 864 in basilica B. Mariae Virginis ad Praesepe coram episcopis, presbyteris et diaconis, causam Rothadii Allocutione habita exposuit, et de omnium judicio vestimentis episcopalibus eum ornari jussit. Die vero 22 januarii a. 865 in synodo Rothadium in pristinum gradum restituit, et ad sedem suam

---

[1]) V. Labbe T. VIII. col. 785.

cum litteris apostolicis remisit. Cum ipso deputavit ut legatum suum in Galliam Arsenium episcopum Hortensem, eique litteras dedit ad Carolum regem, ad episcopos Galliae, atque ad Hincmarum. Huic depositionem minatus est, si restitutioni Rothadii sese opponeret. Rothadius vero in Galliam redux reapse ab Arsenio legato Pontificis in sedem suam restitutus est, eamque usque ad obitum suum pacifice possedit.[1])

36. Illud modo advertere juvabit, ex Nicolai Pontificis litteris et Allocutione in pervigilio Nativitatis Domini a. 864 habita apprime colligi, quaenam ipse in vindicanda auctoritate Sedis Apostolicae principia secutus sit; ex Hincmari autem epistolis, qua in re cum Nicolao consenserit, qua in re discrepaverit. Nicolaus 1⁰ universim proclamat *auctoritatem et privilegia* Sedis Apostolicae remedia esse totius Ecclesiae catholicae, ac munimen episcoporum et arma contra omnem pravitatem. Sic scribit Carolo regi: *Quomodo putatis, si opportunitas exegerit, ut vestro regno, vestris nisibus, vestri regni ecclesiis aliquod praestemus solatium, aut contra adversarios protectionis clypeum proferamus, si quantum in vestri regni partibus est, quoniam illa* (privilegia Sedis Apostolicae) *omnino scindi non possunt, ea vos aliquatenus minorari sinatis, quibus usi patres vestri omne suarum dignitatum incrementum, omnemque gloriam perceperunt? Privilegia namque Romanae ecclesiae totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia ecclesiae catholicae. Privilegia, inquam, Petri arma sunt contra omnes impetus pravitatum, et munimenta atque documenta Domini Sacerdotum, et omnium prorsus qui in sublimitate consistunt, imo cunctorum, qui ab iisdem potestatibus diversis afficiuntur incommodis.*[2]) — 2⁰ Statuit, eum qui appellavit ad Sedem Apostolicam nec impediri posse legibus civilibus, nec posse, mutata sententia, ad inferiores iterum se vertere judices.[3]) — 3⁰ Statuit, episcopos etiamsi non appellave-

Nicolai principia.

---

[1]) Cfr. Hefele C. G. IV. §§. 468. 472. 473

[2]) Nicolai ep. XXX. ap. Labbé VIII. 409.

[3]) V. Nicolai Allocutionem, et epistolam ad Carolum regem; Labbe VIII. 789. 791.

rint ad Sedem Apostolicam non posse illa inconsulta deponi, eo quod episcoporum causae inter majora negotia censeantur, de quibus ad Sedem Apostolicam referendum sit. Id vero praecipue deducit inde, quod institutione divina Romano Pontifici universalis Ecclesiae cura commissa est. In initio epistolae ad episcopos Galliae de restitutione Rothadii scribit, citans textum s. Leonis ad Anastasium: *Verum et inter beatissimos Apostolos, (sicut et ille magnus Leo scribit), in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et cum omnium par esset devotio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret. De qua forma episcoporum quoque est orta distinctio. Et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem ejus susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confiueret, et nihil unquam a capite suo discederet. Quod si quidam ex vobis ullo interiori comprehendissent obtentu, nunquam Rothadium episcopum Suessionicae urbis sine consensu nostro deposuissent. . . . Nam quomodo non omnes omnia vobis vindicatis, qui judicia episcoporum, quae merito inter majora numerantur negotia, vestrae deliberationi tribuistis?*[1]) — Ex antiquis decretis et statutis idem deducit in Allocutione: *Quamquam,* inquit, *etsi nunquam* (Rothadius) *provocasset, nunquam omnino praeter scientiam nostram deponi debuerit, quia sacra statuta et veneranda decreta episcoporum causas, utpote majora negotia, nostrae definiendas censurae mandarunt.*[2])

Hincmari sententia.

37. Hincmarus vero in epistola ad Nicolaum data asserebat: 1⁰ Causas episcoporum per se ad Romanum Pontificem referendas non esse, atque in hoc capite juris a Nicolao dissentiebat. Postea tamen Pontificis auctoritate cessit. In epistola scribebat: *Absit a nobis, ut privilegium primae et summae Sedis sanctae Romanae ecclesiae Pontificis pro sic parvo pendamus, ut controversias et jurgia*

[1]) Labbe, VIII. 797. [2]) Ibidem col. 789.

tam superioris quam etiam inferioris ordinis, quae Nicaeni et caeteri sacrorum Conciliorum canones, et Innocentii atque aliorum sanctae Romanae Sedis Pontificum decreta, in synodis provincialibus a metropolitanis praecipiunt terminari, ad vestram summam auctoritatem fatigandam ducamus.[1]) Dein 2° convenit, ad sanctam Sedem recurrendum in re dubia; vel si episcopus non provocaverit ad electorum judicum sententiam, sed appellaverit summum Pontificem, tunc secundum septimum canonem Sardicensem ad Pontificis dispositionem spectare, ut renovetur examen. Videtur autem innuere, Pontificem non debere Romam evocare litigantes, sed potius judices in provincia destinare, vel e latere suo mittere. Et quoad Rothadium contendebat, eum ad *electos judices* appellasse.[2]) Demum 3° *De metropolitano*, ait, *per sacras regulas constituto, qui ex antiqua consuetudine ab Apostolica Sede pallium accipit, sicut Leo ad Anastasium, quod et Nicaenum Concilium innuit, et caeteri Romanae Sedis Pontifices in decretis suis ex sacris canonibus monstrant, Sedis ipsius Pontificis etiam ante judicium est sententia praestolanda.*[3]) 4° *Nos metropolitani*, inquit, *controversias carnalium in synodis provincialibus laborantes dirimimus, et de majoribus ac majorum causis ad examen summae Sedis Pontificis post judicium referre curamus.*[4]) Sed illas restrictiones Nicolaus non admisit, auctoritatem vero suam strenue vindicavit, cui etiam Hincmarus cessit. An vero in his controversiis Pseudo-Isidori Decretales influxum habuerint, inferius videbimus.

38. Restat ut agamus *de causa Hincmari Laudunensis* episcopi, ex qua maximae simultates exortae sunt inter Hadrianum Papam, Carolum Calvum regem et Hincmarum Rhemensem alterius Hincmari avunculum. — Mortuo Pardulo Laudunensi episcopo versus a. 856, Hincmarus Rhemensis archiepiscopus hunc episcopatum Hincmaro juniori, ex sorore nepoti, regis favore impetravit. Sed anno 868 ob aliquod beneficium ecclesiasticum magna orta est lis Hincmarus Laudunensis.

---

[1]) V. Hincmari ep. XVII; ed. Sirmondi t. II. (p. 244.) p. 247.
[2]) Ibidem. [3]) Ibidem p. 248. [4]) Ibidem.

inter regem et Hincmarum Laudunensem. Hic a rege ante judices laicos citatus, sese iis sistere merito recusavit; rex vero ira exardescens proventus episcopatus Laudunensis inhibuit et fisco addixit. Intervenit tunc in favorem nepotis Hincmarus Rhemensis, qui ad regem dedit epistolam, qua cleri immunitates vindicavit. Provocabat in hac epistola ad Urbani, Lucii et Stephani RR. Pontificum decreta, quae inter Decretales Pseudo-Isidori continentur; ex quo colligitur, Hincmarum non dubitasse has Decretales ut genuinas proponere.[1]) — Hincmaro juniori bona restituta sunt, donec legitimo judicio lites omnes finirentur.

Lites augentur. 39. Sed brevi post, anno 869, vehementiores exarserunt lites non solum cum rege, sed etiam cum Hincmaro Rhemensi. Hincmarus junior a rege iterum occasione cujusdam feudi impetitus, ante synodum Verberiae habitam citatus est, et ad Pontificem appellavit; sed nihilominus a rege custodiae mandatus est. Tunc ipse, clero suo consentiente, dioecesim Laudunensem interdicto subjecit; sed interdictum ejusmodi solvit Hincmarus Rhemensis metropolitanus, qui jam nepoti ob ejus imprudentem audaciam succensebat. Studuit autem Hincmarus Rhemensis jus suum in solvendo interdicto probare, exhibita collectione legum ecclesiasticarum de juribus metropolitani. Opposuit Hincmarus junior, brevi post libertati redditus, aliam collectionem legum, quibus auctoritas metropolitae restringebatur; constabat autem haec collectio variis Decretalibus Pseudo-Isidori. Mox variae aliae lites inter Hincmarum Rhemensem et Hincmarum juniorem ortae sunt, atque quum anno 870 in synodo Attiniacensi de ejusmodi causis ageretur, hic contra avunculum suum alteram collectionem Pseudo-Decretalium Isidori protulit, maxime ut ostenderet, episcopum non posse deponi sine consensu Romani Pontificis, et Romam appellari posse ante sententiam synodi provincialis prolatam, si synodus ob studium partium esset suspecta.[2]) — Opposuit Hincmarus Rhemensis celebre

---

[1]) V. Hincmari Opp. t. II. p. 316.

[2]) V. Hincmari Opp. t. II. p. 355.

Opusculum quinquaginta Capitum[1]), quo subordinationem episcoporum sub metropolita vindicat. Etiam ipse praesertim cap. XV Decretales plures Pseudo-Isidori affert. Supponit vero errore quodam, in Collectione genuina Isidori Hispalensis eas haberi. Nepotis autem collectionem non inde impugnat, quod documenta supposita afferat, sed valorem canonum ac legum illis documentis denegat, eo quod non convenirent cum decretis magnorum Conciliorum.

40. In synodo Attiniacensi Hincmarus junior regi fidelitatem et Hincmaro Rhemensi metropolitae obedientiam secundum sacros canones promisit; iterum autem ad Sedem Apostolicam appellavit. Licentia Romam proficiscendi a Carolo Calvo haud concessa est Hincmaro: caeterum hic in pluribus ut virum animi irrequieti et levioris sese ostendit. Anno 871 in synodo apud Duziacum habita tum rex tum Hincmarus Rhemensis iterum multas in Hincmarum juniorem accusationes protulerunt, ac demum, quamvis Hincmarus Pontificem appellaret, episcopi sententiam rogati illum depositione dignum dixerunt, *salvo per omnia Apostolicae Sedis judicio.* Tunc ab Hincmaro Rhemensi depositionis sententia lata est, et a praesentibus episcopis signata. De re gesta epistola synodica Romam fuit missa ab Hincmaro Rhemensi (ut videtur) confecta. Ex eadem colligitur, quamvis Nicolaus in causa Rothadii jam aliam agendi rationem cum auctoritate vindicasset, Hincmarum aliosque episcopos adhuc cum quadam pertinacia inhaesisse regulis, quas ex canonibus Sardicensibus deducebant. Scribunt videlicet ad Hadrianum II Pontificem, Nicolai successorem: *Judicia terminavimus, reservato per omnia juris privilegio Apostolicae Sedis ac vestro judicio, sicut sacri Sardicenses canones et decreta Sedis Apostolicae Pontificum, Innocentii, Bonifatii, et Leonis, ex iisdem sacris canonibus promulgata, decernunt. . . . Unde obnixe precamur vestram auctoritatem, ut a tanto hujus incorrigibilis pestis taedio nos etiam suo judicio . . . liberet: secundum decreta Bonifatii et Leonis, ea quae juxta ecclesiasticum morem*

Hincmari depositio.

[1]) Ibidem p. 377.

prout intelleximus . . . juste et rationabiliter definivimus, vestra quoque sententia roborando. Et si forte, quod non putamus, visum vobis necessario fuerit, ut secundum Sardicenses canones renovetis judicium, et detis judices, scribendo episcopis qui in finitimis et vicinis provinciis sunt, ut et ipsi diligenter omnino requirant et juxta fidem veritatis diffiniant. Vel si decreveritis mittere a latere vestro habentes auctoritatem vestram, qui cum episcopis judicent, eo in gradu adhuc non restituto, sicut sacri Sardicenses canones praecipiunt, non abnuimus. Licet, quantum possumus, ad laborem quo diu vexati sumus, refugere cupiamus. . . . Verumtamen quanta possumus devotionis humilitate deposcimus, ut etiam in hac causa nobis canonicam definitionem servetis. Videlicet, ut si, quod non credimus, ea quae regulariter diffinivimus, prout sacras regulas intelleximus, vobis praesentialiter non placuerit vestra sententia roborare, non antea communioni sacerdotali a qua separatus est restituatur, antequam secundum regulas et leges in provincia, in qua causae gestae et judicatae sunt, requirantur. Quia usque ad nostra tempora nulla patrum diffinitione hoc ecclesiis Gallicanis et Belgicis est derogatum: praesertim quia decreta Nicaena sive inferioris gradus clericos, sive episcopos ipsos, ut Africanum scribit concilium, suis metropolitanis aptissime commiserunt.[1]) — Iterum dein postulant, ut Gallicanae ecclesiae privilegia serventur.

Hadrianus R. P. se opponit.

41. Sed Hadrianus synodum Duziacensem et sententiam in Hincmarum Laudunensem latam noluit confirmare, quod cum clamaret in synodo, *se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire, atque in praesentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum fuerit prolata sententia.*[2]) Haud igitur admisit Pontifex, etiam facta appellatione a synodo provinciali in episcopum posse ferri sententiam. Jussit praeterea Hincmarum Laudunensem Romam mitti, et cum eo procuratorem idoneum, ut cum synodali conventu judicium secun-

---

[1]) V. Labbe VIII. 1654.

[2]) V. Pagii Crit. Baronii ad a. 871. n. 16.

dum morem retractaretur. Proinde etiam hac in re non cessit episcopis Galliae, qui alium modum examinis in provincia instituendi postulaverant. Vetuit praeterea Hadrianus, ne quousque causa esset finita alius episcopus in ecclesia Laudunensi ordinaretur. Scripsit Hadrianus litteras tum ad Hincmarum tum ad Carolum Calvum regem; sed Hincmarus amara mente respondit, atque acerbius etiam Carolus Calvus epistolâ, quam Hincmarum Rhemensem composuisse conveniunt. Contenderunt, causam Hincmari Laudunensis secundum canones tractatam, hujusque culpam manifestam esse; Carolus in litteris suis etiam conquestus est, quod ipse in Pontificis epistola, quam a malevolo aliquo compositam fingit, plane injuste tractetur, quum praedecessores ipsius a Romanis Pontificibus semper amicitiae signa praeclara obtinuerint.[1]) Hadrianus oeconomia prudenti alia epistola regem compescere studuit, suamque in ipsum benevolentiam testatus est;[2]) brevi post autem Pontifex obiit.

42. Interim nec Hincmaro Laudunensi permissio data est Romam proficiscendi, nec adversarii procuratores miserunt. Imo Carolus rex Hincmarum custodiae mandavit; quum vero partes in aliqua conjuratione ipse supponeretur habuisse, oculis quoque fuit orbatus. Attamen non ausi sunt Carolus et episcopi Galliae alium loco Hincmari substituere ecclesiae Laudunensis episcopum, antequam summus Pontifex sententiam synodi Duziacensis confirmasset. Haec confirmatio demum obtenta est a Joanne VIII anno 876, quum Carolus pro corona imperiali Romam venisset. Tunc ecclesiae Laudunensi episcopus electus et consecratus est Hedenulfus presbyter. Quum vero anno 878 post mortem Caroli Calvi Joannes VIII in Galliam venisset synodumque Trecis celebraret, accessit Hincmarus Laudunensis et obtulit *libellum reclamationis* contra Hincmarum Rhemensem suosque adversarios. Ea occasione quidem causa Hincmari junioris haud iterum in judicium vocata, ex gratia autem ei concessum est, ut Mis-

Hincmar Laud. fata.

[1]) V. Hincmari Opp. t. II. p. 689. 701. [2]) V. Labbe VIII. 936.

sam cantaret, episcopalem daret benedictionem, et parte proventuum episcopatus foveretur. Hedenulfus tamen, qui ei substitutus erat episcopus, quum licentiam peteret deponendi onus episcopatus, eam non obtinuit.[1]) — Obiit Hincmarus Laudunensis non ita multo post, adhuc vivente avunculo Hincmaro Rhemensi. Hic vero e vita cessit die 21 Decembris anni 882, quum ultra triginta et septem annis sedem Rhemensem tenuisset. Inter Galliae praesules ea aetate sane Hincmarus Rhemensis emicat. Eum scriptores varii canonicae jurisprudentiae notitia excellentissimum praedicant, necnon ob prudentiam animique fortitudinem laudant. Verum sicut non desunt, qui ipsum effusissime colant, ita et qui ipsius doctrinam in argutias, prudentiam in astutiam, fortitudinem in pertinaciam aliquando degenerasse dicant.[2]) Unde, non incongrue, etsi forte severius, a Cardinali Joanne Bona dicitur, „episcopus doctus, sed dubiae famae, dubio vitiorum ac virtutum temperamento."[3])

II.

De Collectione Decretalium Pseudo-Isidori.

Quaestionis indoles.

43. Jam vidimus, in variis controversiis saeculo nono satis provocatum esse ad *Decretales Pseudo-Isidori;* de famosa igitur Collectione Decretalium Pseudo-Isidori vel Isidori Mercatoris, quae mediante hoc saeculo propagari et adhiberi coepta est, hoc loco tractare convenit. Nec tamen multiplices quaestiones, quae quoad hanc collectionem agitari solent, fusius discutiemus. Sed quae de auctore atque de indole hujus Collectionis, ac de tempore quo eadem edita ac propagata est statui possint, brevius indicabimus; illud dein aliquanto accuratius examinabimus,

---

[1]) Cfr. Baronium ad a. 878. nn. 20—25.

[2]) Roncaglia, nota ad Natal. Alex. H. E. saec. IX et X, c. III. art. XIII De Hincmaro archiep. Rhemensi.

[3]) De divina Psalmodia, notitia auctorum sub *Hincmaro Rhemensi.*

utrum Romani Pontifices hisce Decretalibus institerint, ut jura sua ultra modum amplificarent, et deleta antiqua Ecclesiae disciplina novam, eamque Ecclesiae parum utilem, introducerent. Haec est enim Protestantium aliorumque, qui privilegia S. Sedis impugnarunt, querela. Sufficiat illa citare, quae Balutius, vir catholicus sed gallicanus, scribit in *Praefatione* ad opus *Reginonis de disciplina ecclesiastica,* loquens de Hincmaro Rhemensi: *Incidit enim Hincmarus in difficillima tempora Nicolai primi et Hadriani secundi, qui nulli diligentiae, nullis laboribus pepercerunt, ut sedis suae dignitatem . . . in immensum extollerent. Sed inprimis in omnibus causis opportune, importune, obtrudebant epistolas illas, quae nondum gratiam amiserant novitatis, quibus vero fides et auctoritas accesserat ex stupenda ac mirabili taciturnitate et silentio hominum illius saeculi.* — Accusationem hanc solido fundamento haud niti, videbimus.

44. Imprimis pauca dicamus de Collectionibus Canonum, quae praecipue in usu erant, antequam Collectio Isidori Mercatoris prodiit. — Plures quidem quinque prioribus Ecclesiae saeculis occurrunt Canonum Collectiones, sed celebrior fuit ea, quam initio saeculi VI *Dionysius* Collectio Dionysii Exigui. *Exiguus* confecit. Sedente videlicet Symmacho Pontifice, Dionysius cognomento Exiguus, natione Scytha et monachus Romanus, latinam canonum graecorum versionem confecit, et *Canonum Collectionem* edidit duplici parte constantem. Prima, quae *Codex canonum ecclesiasticorum* dicta est, complectitur quinquaginta canones Apostolorum, canones Nicaenos, Ancyranos, Neocaesarienses, Gangrenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, Chalcedonenses, Sardicenses, Africanos. Altera vero pars, quae *Collectio decretorum Pontificum Romanorum* appellatur, Decretales continet a s. Siricio (385) usque ad Anastasium II (498). Totum opus communiter *vetus canonum Codex* vocatur. Habuit ea Dionysii Collectio, sicuti et aliae, per se privatam tantum auctoritatem, non vero publicam Ecclesiae. Sed quum esset aptissima Collectio canonum, secundum quos praecipue juris et disciplinae quaestiones determinari dirimique solebant, magni habebatur in ecclesia

Romana Codex Dionysianus, ejusque usus communis factus est. Facile autem vides, tali collectione non ita constrictam fuisse Romanorum Pontificum auctoritatem, ut aliorum Pontificum tum anteriorum, (e. g. Julii I ad Eusebianos epistola), tum eorum qui post Anastasium II sederunt Decretales, haud pariter adhiberi potuerint tanquam juris regulae, praesertim quum in novis circumstantiis saepe novae requirantur decisiones. Non erat videlicet Codex Dionysianus aliquis Codex juris ecclesiastici ea significatione recenti, qua ita designaveris Codicem legum definitiva ratione confectum, ex quo unice et exclusive jus dicendum est.

Codex Hadrianeus.

45. Hadrianus Pontifex Codicem Dionysianum, quibusdam additis[1]), misit Carolo Magno, atque ex eo tempore insignem auctoritatem ille *Codex Hadrianeus* obtinuit apud Francos; Carolus videlicet eum in synodo a. 802 Aquisgrani habita ab episcopis recipi curavit.[2]) Nominari solebat *Codex canonum.* — Praeterea in Gallia nota erat *Collectio canonum Hispanica,* quae s. Isidoro Hispalensi (m. a. 636) adscribitur; in ea Collectione Codici Dionysii plura adjecta erant ex Patribus, et ex conciliis quae in Hispania aliisque regionibus habita fuerant. Hispanicae Collectionis exemplar anno 787 describi jussit Rachio Argentoratensis (Strasburg) episcopus, unde breviter in Francia divulgata est. — Sed mediante saeculo nono in Francorum regno, et dein in aliis regionibus, propagata est *Collectio Isidori Mercatoris.*[3]) Auctor consilium suum

Collectio Hispanica.

---

[1]) Jam ante Hadrianum haec addita erant. Post Hadrianum etiam quaedam documenta adnexa sunt, scilicet Concilium apocryphum Silvestri P., et duae epistolae s. Cyrilli sub titulo Concilii Ephesini.

[2]) Annal. Lauresham. ad a. 802: „Ibi fecit (Karolus) episcopos cum presbyteris seu diaconibus relegi universos canones, quos sancta synodus recepit, et decreta Pontificum, et pleniter jussit eos tradi coram omnibus episcopis, presbyteris et diaconibus.“ Pertz M. G. I. 39.

[3]) *Mercatoris* cognomen plerique codices praeseferunt, unus alterve tantum *Peccatoris.* Hoc ultimum cognomen passim ex humilitate episcopi vel monachi sibi tribuebant. Sed fidei codicum standum, et Mercatoris cognomen ut genuinum habendum. Significatio autem cogno-

et seriem documentorum quae suae collectioni inseruit, ita in Praefatione exprimit: *Isidorus Mercator servus Christi lectori conservo suo et parens in Domino salutem. — Compellor a multis tam episcopis quam reliquis servis Dei canonum sententias colligere et uno in volumine redigere et de multis unum facere. . . . In principio vero voluminis hujus qualiter concilium apud nos celebratur posuimus, ut qui nostrum ordinem sequi voluerint, sciant qualiter hoc agere debeant. Qui autem hoc agere melius elegerint, faciant quod justo canonicoque atque sapientissimo consilio judicaverint. Denique propter eorum auctoritatem caeteris conciliis praeposuimus canones qui dicuntur Apostolorum, licet a quibusdam apocryphi dicantur, quoniam plures eos recipiunt, et sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt et inter canonicas posuerunt Constitutiones. Deinde quarumdam epistolarum decreta virorum apostolicorum intersedavimus, id est Clementis, Anacleti, Evaristi et caeterorum Apostolicorum, quas hactenus reperiri potuimus epistolas usque ad Silvestrum Papam: postmodum vero Nicaenam synodum constituimus propter auctoritatem ejusdem magni Concilii: deinceps diversorum conciliorum Graecorum ac Latinorum sive quae antea, seu quae postmodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum capitulis suis distincta sub hujus voluminis aspectu locavimus, subjicientes etiam reliqua decreta Praesulum Romanorum usque ad sanctum Gregorium, et quasdam epistolas ipsius.* Pseudo-Isidorus.

46. Ita igitur tres partes in hac Collectione distinguuntur. *Prima pars* praeter ordinem Concilii et canones Apostolorum quinquaginta, continet Decretales numero sexaginta a Clemente usque ad Melchiadem. Illae epistolae apocryphae sunt, et ab ipso Isidoro consutae, exceptis duabus epistolis apocryphis Clementis, quae ex parte jamdudum circumferebantur, sed ab Isidoro Mercatore auctae sunt. Etiam epistola Aurelii Carthaginensis Collectionis divisio.

---

minis ignoratur. Cfr. Hinschius, Decretales Pseudo-Isidorianae pag. CCXXX. — Caeterum notum est, etiam scriptorem ecclesiasticum saeculi quinti Marium *Mercatorem* appellari.

ad Damasum, et responsoria Damasi, quae post praefationem ab auctore ponuntur, suppositae sunt. — *Altera pars* complectitur Concilia a Nicaeno usque ad Hispalense II (a. 619); paucis exceptis haec habebantur etiam in prioribus Collectionibus. — *Tertiam partem* auctor comcomposuit ex Decretalibus RR. Pontificum a Silvestro ad Gregorium I, adjectis Decretis quibusdam Gregorii II; in his habentur quadraginta circiter documenta ab ipso primum prolata et supposita. — Sufficiat breviter observasse, praeter commemoratas Clementis epistolas etiam alia quaedam ex documentis apocryphis in tota Collectione contentis jam antea nota fuisse, uti e. g. canones Apostolorum.

47. Collectio haec, uti jam diximus, valde propagata est, et vulgo adscripta s. Isidoro Hispalensi. Paulatim autem alias Collectiones celebritate vicit, et tantam apud omnes consecuta est auctoritatem, ut per plura saecula theologi omnes, canonistae et concilia ipsa Decretales aliaque documenta hujus Collectionis citaverint, quin ullus eorum ea apocrypha esse supponeret. Circa medium sae- Fraus agnita. culum XV primum Nicolaus Cusanus Card., (De concordia catholica L. III. c. 2), suppositas esse Decretales Isidori praesensit et indicavit. Saeculis dein sequentibus plures auctores catholici, uti saeculo XVI Antonius Le Cointe jurisconsultus, Antonius Augustinus archiepiscopus Taraconensis, saeculo XVII Petrus de Marca, Christianus Lupus, Schelstraete, Antonius Pagi, Natalis Alexander, ostenderunt suppositionem illorum documentorum; idemque virulento animo praestiterunt complures heterodoxi, inter quos citandus est Blondellus in libro qui inscriptus est: *Pseudo-Isidorus et Turrianus vapulantes.* Franciscus Turrianus S. J. videlicet genuinitatem Decretalium istarum contra Centuriatores Magdeburgenses defendere susceperat. Idem postea praestare conatus est Cardinalis Josephus Saenz de Aguirre, qui in Collectione Conciliorum Hispaniae T. I plures instituit Dissertationes de Collectione Isidori. Admittit tamen, Decretales illas esse interpolatas.[1]) — Com-

---

[1]) V. Wouters Dissertat. T. III. Dissert. XXVII. n. V.

munis vero et explorata est nostro tempore inter eruditos sententia de suppositione illarum Decretalium. Praeter alias rationes has adducere sufficit: 1° Dionysius Exiguus maxima cura et diligentia lustratis excussisque scriniis Sedis Apostolicae nullam illarum Decretalium invenit ac protulit, nec apud alios scriptores, vel in aliis regionibus in quas missae perhibentur, eaedem commemorantur. Hoc argumentum quamvis negativum, tamen in hoc casu, uti patet, est maximi roboris. 2° Multa in iis Decretalibus occurrunt recentiora aetate Pontificum, quibus eae adscribuntur, uti sacrorum Bibliorum sententiae secundum versionem s. Hieronymi, canones posteriorum conciliorum, appellationes magistratuum et praesulum quae posterioris aetatis sunt, et similia. Etiam indicia multa adsunt, quae non respondent moribus priorum saeculorum, sed disciplinae posterioris temporis.

48. Caeterum id quoque eruditi accuratius examinavere, ex *quibus fontibus* Decretales suas composuerit Isidorus; atque ex octoginta circiter variorum auctorum operibus ipse invenitur hausisse ea, quae a Pontificibus Romanis scripta esse commentus est.[1]) At non omnia ista opera auctor habuisse ac legisse censendus est, sed excerptis usus est, quae jam in aliis continebantur. Ita videtur maxime prae manibus habuisse Acta Concilii Aquisgrani anno 816 habiti. Nam in eo Concilio multa continentur excerpta ex Patrum scriptis et Conciliorum actis, atque apprime iis usus est Pseudo-Isidorus ad varias Decretales consuendas. **Fontes Pseudo-Decretalium.**

49. Convenit quoque hoc loco notare, pariter mediante saeculo nono vulgatas fuisse alias duas collectiones spurias, videlicet *Capitularia Benedicti Levitae* et *Capitula Angilramni.* — Capitularia speciali modo ea aetate dicebantur Constitutiones Regum et Imperatorum Francorum, tum civiles tum ecclesiasticae. Capitularia ecclesiastica autem pleraque sunt decreta conciliorum provincialium aut nationalium, auctoritate regis vel imperatoris compro- **Capitularia Benedicti Levitae.**

---

[1]) Hinschius l. c. p. CX sqq.

bata et promulgata, quaeque ita perfectam vim regulae canonicae apud ecclesias Franciae obtinebant.[1]) Anno 827 primum Ansegisus abbas Fontanellensis aliquot Capitularia Caroli M. et Ludovici Pii collegit et in quatuor libros digessit. Saeculo nono mediante hisce *tres alios libros* Capitularium addidit *Benedictus Levita* dictus, eo quod auctor ipse in praefatione indicat, se Moguntiae ut diaconum sub Otgario episcopo ex scriniis ecclesiae Moguntinae ea Capitularia collegisse. Sed constat, falsarium fuisse Benedictum, et eum ex variis fontibus ea Capitularia excerpsisse vel proprio marte composuisse. In Francia porro hanc apocrypham collectionem confectam esse merito censent eruditi; quis vero fuerit ille Benedictus disputant: alii existimant unum eumdemque fuisse ac Pseudo-Isidorum; alii eum jam Pseudo-Isidori Collectione ut fonte usum esse: alii e contra Pseudo-Isidorum usum esse Benedicti opere. Atque praesertim Hinschius accurata utriusque Collectionis comparatione facta, ostendere nisus est, priorem esse Collectionem Capitularium Benedicti Levitae, eaque in suo opere compilando jam usum esse Isidorum Mercatorem. F. X. Kraus vero existimat, Pseudo-Isidorum schedulas suo labori conficiendo per aliquot tempus praeparasse, iisque *schedulis* usum esse Benedictum Levitam in sua Collectione comparanda. Dein vero hanc Collectionem adhibuisse Pseudo-Isidorum, quum ad finem suum opus conduceret.[2])

Capitula Angilramni.

50. Collectio *Capitulorum Angilramni* multo brevior est praecedenti. Ejus inscriptio est: *Ex Graecis et Latinis Canonibus et Synodis Romanis atque Decretis Praesulum ac Principum Romanorum haec Capitula sparsim collecta sunt, et Angilramno Mediomatricae* (Metensis) *urbis Episcopo Romæ a beato Papa Adriano tradita sub die XIII Kalendarum Octobrium Indictione nona, quando pro sui negotii causa agebatur.* Continet autem Collectio Capitula sexaginta et

---

[1]) Cfr. Balutium, Praef. in Capitul. Caroli M., Migne, P. L. t. 97. col. 64.

[2]) V. Tübing. Quartalschrift 1866, p. 485 sqq.

unum eaque paucis verbis concepta. Merito etiam haec Capitula habentur nequaquam ab Hadriano tradita, sed ab aliquo auctore in Francia composita. Pleraque Capitula non disciplinam ecclesiae Romanae, sed Franciae referunt, et fontes unde sunt excerpta ii sunt, qui saeculo IX in Francia divulgati, at Romae aut omnino aut vix non ignoti erant, ut Canones synodorum Franciae et Hispaniae. Accurata collatione instituta detegitur, auctorem Capitulorum Angilramni exscripsisse plura ex Benedicto Levita. Angilramni autem Collectione usus est Isidorus Mercator in Collectione sua conficienda. — Unum eumdemque fuisse Benedictum atque Isidorum criticis minus probabile videtur, quia in utroque opere passim differentia quaedam, et mutatio diversa verborum advertitur quoad ea, quae ex uno fonte originali dimanant. Ac major est diversitas in Collectione Pseudo-Isidori, unde huic praecessisse dixeris Collectionem Benedicti. Angilramni autem Capitula a Pseudo-Isidoro composita esse, probabile censet Hinschius.[1]) — Imo si forte consulto differentiae quaedam in textu Benedicti et Pseudo-Isidori positae sunt, unum eumdemque variarum Collectionum esse potuisse auctorem dixeris.

51. Ad *tempus* quod attinet, quo Decretales Isidori Mercatoris confectae et vulgatae sunt, illud subtili examine instituto satis accurate determinatum est ea certitudine, quae in talibus quaestionibus obtineri potest. Inveniuntur excerpta aliquot ex Isidori Decretalibus allata in epistola synodali, quam anno 857 episcopi, qui Carisiaci synodum habuerunt, dederunt ad Carolum Calvum. Imo valde probabile est, jam anno 853, quum haberetur synodus Suessionensis in causa Wulfadi, a Wulfado ejusque sociis Decretales Pseudo-Isidori allegari. In sua enim *narratione* de depositione Ebbonis a. 835 facta, illi clerici urgent, quod *episcopus nec archiepiscopus suis omnibus bonis exspoliatus subque custodia tentus et ab ecclesia sua sequestratus, in synodo apostolica auctoritate non convocata neque ejus legatione roborata damnari nullatenus juxta decreta*

Decretales quando confectae.

[1]) L. c p. CLXXX.

sanctorum Patrum potuisset.[1]) Sed nulla decreta sanctorum Patrum aliquid hujusmodi statuunt, nisi Pseudo-Decretales Isidori, ubi allegata ab Ebbonis clericis ad verbum fere leguntur in epistola Felicis I cap. 10 et epist. Julii c. 5: similia vero etiam in aliis Decretalibus occurrunt. Allegantur quidem illa ex epistola Felicis, et alia plane similia etiam in Angilramni capitulo 2° et 4°, adeoque quaeri possit, utrum Angilramni Capitula an Decretales Isidori illi clerici prae oculis habuerint. Attamen quum *decreta* sanctorum patrum commemorent, concludendum potius est, ad Decretales Pseudo-Isidori illos respicere. Itaque Collectio Isidori certe anno 857, ac probabiliter anno 853 jam vulgata erat.

52. Alius vero terminus editionis invenitur, si attenditur ad tempus, quo prodiit Benedicti Levitae Collectio, Decretalibus Isidori anterior. Benedictus in praefatione indicat, se Collectionem suam edidisse post mortem Ludovici Pii (a. 840) et divisionem Imperii inter ejus filios Viroduni a. 843 factam. Imo quum dicat, documenta se ex scriniis ecclesiae Moguntinae collegisse praecipiente Otgario, „qui *tunc* Moguntinus episcopus erat", indicat profecto, jam ipsum non amplius sedi huic praeesse. Constat autem ex Annalibus Fuldensibus aliisque illius aetatis documentis, Otgarium episcopum Moguntinum obiisse die 24° Aprilis anni 847. Sequitur proinde, post hunc terminum prodiisse Collectionem Benedicti Levitae et Pseudo-Decretales Isidori; ac decennio isto ab anno 847 ad annum 857 evulgatio trium Collectionum Benedicti Levitae, Angilramni et Pseudo-Isidori concludenda est.

Quis auctor. 53. *Quisnam revera fuerit auctor* Collectionis Pseudo-Isidori hucusque eruditi non potuerunt definire accuratius, et quae a variis factae sunt suppositiones diversae, ab aliis explosae fuere. — Diligenti tamen instituto examine eo perventum est, ut determinaretur, *qua in regione* opus illud prodierit. Contenderunt plures auctores, inter quos

---

[1]) Bouquet. Recueil T. VII. p. 277; ap. Hinschium l. c. p. CCI.

recentiori tempore eminuerunt A. Theiner[1]) et Eichhorn[2]), Romae illud opus confectum, et Collectionem auctoribus Romanis Pontificibus ad amplificandam ipsorum potestatem compilatam esse. Sed haec sententia jam ut omnino explosa habenda est. Sufficiat animadvertere, 1⁰ prima vestigia Collectionis nec Romae nec in Italia inveniri. Imo 2⁰ ex epistolis RR. Pontificum illius aetatis, Leonis IV et Nicolai I apparet, ipsis Pseudo-Decretales vel haud notas fuisse, vel iisdem eos non nisos esse, uti inferius videbimus. Atque 3⁰ etiam subsequenti tempore per duo saecula usque ad Leonem IX RR. Pontifices in suis juribus tuendis non provocarunt ad Pseudo-Decretales Isidori. Tantummodo Hadrianus II aliquando textum ex iis citasse censetur (Anteri epistolam), nullatenus tamen ad suam auctoritatem vindicandam, sed comprobans factum praesulum Galliae, qui ob graves rationes episcopum ex una sede in aliam transtulerant. Caeterum 4⁰ quando RR. Pontifices citant textus Pontificum, eos attribuunt iis recentioribus quorum revera sunt, e. g. Innocentio vel Leoni, non vero antiquioribus illis trium priorum saeculorum Pontificibus, quibus iidem textus in Pseudo-Decretalibus applicantur. — Ex hisce abunde patet, nullatenus Romae auctoribus Pontificibus, ut suam amplificarent auctoritatem, illam Collectionem editam fuisse. Ubi confectæ.

54. Aliqui auctores censuerunt in *Hispania* confectam fuisse Collectionem Pseudo-Decretalium, eo quod prae se ferat *Isidori* nomen, quod ea contineat quae in s. Isidori Hispalensis Collectione inveniebantur (aliis additis), quodque ita existimaverit Hincmarus Rhemensis, qui in libro Capitulorum LV contra Hincmarum juniorem scribit: *Cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus in hujusmodi, sicut et in epistolis regiis studiosus obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit.* — Attamen etiam haec opinio ob solidas

[1]) De Pseudo-Isidoriana Collectione 1827. p. 71.

[2]) Kirchenrecht, B. I. p. 158.

rationes non potest admitti. Etenim 1^0 nulla exemplaria Collectionis Pseudo-Isidori reperta sunt in Bibliothecis Hispaniae, quod satis ostendit, opus ibi non esse confectum et propagatum, sed fere ignotum remansisse. — 2^0 Nullum concilium Hispanicum et nullus illarum regionum scriptor citat Pseudo-Decretales ante saeculum XIII. — Alia etiam argumenta hisce accedunt, quae brevitatis causa omittimus. Caeterum positivis argumentis ostendi potest, in Francia Collectionem confectam et divulgatam fuisse.

Francia patria.

55. Revera *Franciam patriam* esse Decretalium Isidori Mercatoris hisce evincitur rationibus: 1^0 Pseudo-Decretales primum et frequenter citantur a conciliis et episcopis Franciae, imo vix unquam ab aliis usque ad medium saeculum XI. — 2^0 Apparet, Isidorum Mercatorem in sua Collectione conficienda Collectioni Hispanicae paulo ante in Franciam allatae addidisse ea documenta, quae inveniebantur in Codice Hadrianeo, et in alia quadam vetusta Collectione Gallica saeculi V[i], in qua habebatur apocrypha epistola s. Clementis ad Jacobum fratrem Domini; (dicitur haec Collectio vetusta *Quesnelliana* ab inventore). — 3^0 Praeterea usus est Isidorus Mercator multis documentis, quae vix alibi quam in Gallia inveniebantur, videlicet variis conciliis Galliae usque ad Meldense a. 845 habitum, effatis eorum Patrum, quorum scripta in Gallia longe lateque diffusa erant ac citata maxima parte in concilio Aquisgranensi anni 816, epistolis s. Bonifacii, aliisque scriptis quae praecipue in iis regionibus habebantur. — 4^0 Usus etiam est versione Vulgata s. Scripturae secundum recensionem Alcuini. — 5^0 Genus dicendi Francicum est, et convenit plane cum eo, quod in synodis Franciae illius aetatis adhibetur; ea etiam nomina quae tunc ad designanda officia et munera aliasque res in Gallia serviebant, pariter apud Pseudo-Isidorum inveniuntur frequentata. — 6^0 Denique eamdem originem Francicam ostendit cognatio Decretalium illarum cum Capitularibus Benedicti et cum Capitulis Angilramni, et convenientia cum quaestionibus quae tunc in Francia agitabantur. — Dissentiunt auctores qui Franciam ut patriam Pseudo-Decretalium

habent, utrum e Germano-Francia, scilicet ex dioecesi Moguntina, illa Collectio prodierit, an vero eadem confecta fuerit in Francia occidentali, seu in provincia Rhemensi. Ultimam sententiam, quam multis argumentis externis et internis Hinschius roboravit, admittendam esse censemus.[1])

Scopus Pseudo-Isidori.

56. Jam de *fine* seu scopo quem auctor illius Collectionis sibi proposuerit pauca dicamus. Animadvertimus, esse qui contendunt, finem eum propositum fuisse Pseudo-Isidoro, ut potestatem Romani Pontificis amplificaret, et in hunc scopum Collectionem illam esse confictam atque confectam, ut exercitium jurisdictionis Sedis Apostolicae latius et efficacius in episcopos extenderetur. Sed nullum solidum hujus sententiae est argumentum. Imo ex sedulo rerum examine colligitur, quamvis contribuerint Pseudo-Decretales ut majorem efficaciam et extensionem acquireret illud jurisdictionis exercitium, tamen hunc non *directe* fuisse finem ab auctore intentum, sed tantum *medium* ad aliud obtinendum. Quidam existimant, Isidorum Mercatorem finem habuisse *peculiarem* qui respiciebat aliquos episcopos. Eum intendisse vel tueri episcopos Francos, qui contra Ludovicum Pium secuti fuerant Lotharium, ne severa vindicta in eos exigeretur, vel speciatim respexisse causam Ebbonis archiepiscopi Rhemensis, ac voluisse providere, ut hic in sedem suam restitueretur. Hinc eum confinxisse ad hunc illumve scopum obtinendum quasdam veterum Pontificum Decretales, quae ad hujusmodi negotia referri poterant; reliqua vero multa addidisse, ut fraudem facilius dissimularet. Sed nimis artificiosa est ista explicatio. Quum enim eo tempore difficillime distinguerentur documenta genuina et apocrypha, non erat opus talem Decretalium confictarum molem in eum finem congerere. Praeterea longiori tempore indigebat auctor ad amplissimam suam Collectionem compilandam et componendam, quam ut specialem quemdam eventum qui brevi tempore dura-

[1]) Vide Hinschium l. c. p. CCIV sqq. — F. Clarke, The false Decretals. (The Month, 1881 March.)

bat, eum prae oculis habuisse possimus supponere. Quumque versus annum 853 Collectio ista divulgaretur, status rerum quantum ad istos viros eorumque causam attinet, jam mutatus erat.

Decretalium indoles.

57. Omnibus perpensis censemus, admittendam esse, quoad *consilium* Pseudo-Isidori, eam sententiam, quam pluribus Hinschius opere citato evolvit. Haec igitur advertere juvat. Per eventus qui sub Ludovico Pio ejusque filiis acciderunt, per dissidia illa et bella inter Imperatorem ejusque filios, et partes quae vel patri vel filiis addictae erant ac proceribus tum ecclesiasticis tum laicis constabant, valde turbatus erat status rerum ecclesiasticarum in Gallia, et religio ac mores magis magisque dilabi videbantur. Multi autem merito existimabant, idque in variis synodis proclamatum erat, illud in remedium maxime esse adhibendum, ut dignitati status ecclesiastici provideretur et caveretur, ne potestas civilis, Imperator, reges ac proceres, episcopos vexarent et dominatione sua opprimerent, ne bona ecclesiastica a laicis usurparentur, neve arbitrario modo praesules injustis accusationibus appeterentur et e sedibus suis dejicerentur. Variis in synodis decreta istis de rebus confecta erant, optima quidem, sed dein haud observata. Imo canones a. 845 in concilio Meldensi ad reformandum statum ecclesiasticum constituti, brevi post in conventu apud Sparnacum congregato a proceribus laicis rejecti sunt.

58. Censuit igitur Isidorus Mercator, valde opportunum fore ad aliquam rerum mutationem procurandam, ut Collectio quaedam canonum et decretorum amplior vulgaretur, utque in eadem sub auctoritate veterum Pontificum ea proponerentur, quae a synodis recentibus commendata, proficua videbantur ad res in melius vertendas. Hinc bona quidem intentione et arte singulari id perfecit, quod certe vituperio dignum est. Composuit videlicet spurias illas Decretales Romanorum Pontificum priorum saeculorum, in iisque praesertim urget, quae ad relevandum statum ecclesiasticum pro temporum adjunctis faciebant. Praecipue in iis 1° dignitatem et praeeminentiam status eccle-

siastici prae statu laicorum exponit et evehit, urget laicorum erga praesules subjectionem, saecularium in bona et jura Ecclesiae usurpationem redarguit, vetat clericos a saecularibus judicibus judicari. — 2° Quum autem episcoporum auctoritas illis temporibus *accusationibus dejectionibusque* valde diminuta esset, Pseudo-Isidorus talibus excessibus praecavere, multis hac de re statutis quae excogitabat, conatus est. — 3° Praesertim providere studuit, ne facile influxu principum et factionum episcopi damnari et deponi possent. Quum vero etiam metropolitani atque ipsi episcopi varii nimium subessent influxui regum, quorum potentiam timebant, favorem expetebant, partes politicas sequebantur, merito visum est Isidoro, in metropolitanis synodisque eorum non sufficiens praesidium, nec tribunal satis aequum ac tutum constitutum esse praesulibus, ac propterea maxime commendat auctoritatem Romani Pontificis ejusque in universam ecclesiam jurisdictionem, atque ad eum causas episcoporum ut negotia majora vult deferri.[1])

---

[1]) Quam frequenter ea aetate ob rationes politicas episcopi per principes vel per synodos sub influxu principum celebratas, e sedibus suis depellerentur, notat Hinschius l. c. p. CCXXI scribens: „Anno 818 jam Anselmus episcopus Mediolanensis, Wolfoldus Cremonensis, Theodulfus Aurelianensis, qui cum Bernardo rege Italiae conspiraverant, munere spoliati sunt; a. 830 in conventu Noviomagi habito compressa rebellione Lotharii Jesse episcopus Ambianensis; a. 835 in conventu apud Theodonis villam congregato Ebo archiepiscopus Rhemensis et Agobardus Lugdunensis. Num alii episcopi eidem factioni cui Ebo adhaerentes eodem concilio damnati sint, non constat; id tantum accepimus, Bartholomaeum Narbonensem, Hereboldum Antisiodorensem, Jessem Ambianensem, Bernardum Viennensem eodem tempore ultionem Ludovici Pii timentes sedes suas deseruisse. Quos nominatim enumerare ex fontibus licet, plures autem eadem passos esse apparet ex episcoporum de exauctoratione Ludovici relationis capite quarto: ‚et sacerdotibus domini ac monachis contra divinam ac canonicam auctoritatem praejudicium irrogavit (scil. Ludovicus), et absentes damnavit et in hoc reatum homicidii incurrendo divinarum seu humanarum legum violator extitisset,‘ et ex apologetico Ebonis c. 2: ‚dum non habetur incognitum quod a pluribus videtur compertum, qualiter ecclesia haec maxime Galliarum sub regimine Francorum diversis perturbationibus ac discordiis principum his temporibus agitata vexatur. Unde et plu-

Fictio reprobanda.

59. Jam advertimus, approbari neutiquam posse, quod auctor Pseudo-Decretalium ea quam diximus ratione spurias illas Pontificum Romanorum epistolas confecerit et consuerit. Attamen ex dictis colligitur, falsarium non egisse ex fine aliquo perverso; quousque autem sibi persuadere potuerit, licitum esse illum agendi modum seu fictionem litterariam, difficile est dijudicare. Occurrunt in saeculorum decursu ejusmodi problemata psychologica, quatenus operibus praeclaris fictionem quandam invenimus intextam, quae cum rectis morum regulis conciliari nequit. Exemplum aliquod Pseudo-Decretalibus analogum habetur in Operibus illis praeclaris, ad theologiam dogmaticam et mysticam pertinentibus, quae nomen prae se ferunt Dionysii Areopagitae, variisque locis hunc auctorem sibi vindicant.[1]) Attamen conveniunt nostro tempore critici, opera Dionysii Areopagitae esse supposita. Si quaeris, quem finem potuerit auctor habere dum personam Dionysii ementiretur, magna cum probabilitate respondet Nourry[2]), id eum fecisse ut majori cum auctoritate orthodoxam doctrinam contra Nestorianos et Monophysitas vindicaret. Potuit igitur vir, quem pium et sapientem opera

rimi episcoporum vi propriis a sedibus expulsi aut timore derelictis gregibus diversis in partibus exulantur.‘ C. 3: „Multi denique hinc potentes expulsi sunt a patria; episcopi quoque aliive Dei ministri custodias et exilia passi.“

[1]) Quamvis etiam nostro tempore magni aestimentur illa Dionysii opera, conveniunt tamen modo generatim eruditi, opera ejusmodi supposita esse et saeculi quinti foetum. Genuinitatem vero illorum operum antea multi defenderunt acerrime, et in ejusmodi quaestione maxime usi sunt eo argumento, cum auctoris pietate ac sapientia manifesta et eximia omnino pugnare, quod ipse fuerit falsarius, qui fraude ac mendacio Dionysii Areopagitae induerit personam. Ita e. g. in epistola ad Lasselium die 25 Aprilis anni 1615 scripta, Lessius, clarissimus sane theologus, hoc argumento genuinitatem illorum operum acriter propugnat. (V. Praefationem editionis Operum Dionysii per Lasselium ap. Binium Bibl. Patrum t. I. p. 105). Sed inde potius colliges, non semper pietatem et zelum esse secundum scientiam, et erronea posse in talibus esse judicia.

[2]) Dissert. de operibus s. Dionysii in apparatu ad Bibliothecam max. Patrum, p. 603.

praeclara proclamant, *erronea pietate* opinari talem fictionem licitam esse. Ac simili quid accidere potuit Isidoro Mercatori, quum Pseudo-Decretales conficeret et evulgaret.[1])

60. Quoad *indolem* Collectionis Pseudo-Isidori hoc demum observare restat. Quum, uti jam diximus, ex regum procerumque influxu factionumque politicarum turbis tribunalia pro episcopis judicandis in Francia satis secura non viderentur et aequa, Isidorus et ante eum Benedictus Levita aliis judicibus episcoporum causas dijudicandas voluerunt committere. Hinc posuerunt tanquam latissimum praesidium accusatis Romanum Pontificem, praedicantes, sine ejus consilio et consensu nullum episcopum damnandum atque deponendum esse. Nam Romanus Pontifex factionum, particularibus in regionibus et ecclesiis dimicantium, expers erat, adeoque judex supra commotionem partium positus et elevatus et a suspicionibus liber. Praeterea Sede Romana adeunda causa protrahebatur, et cum eam facile adeundi facultas non esset, damnatio et depositio saepius fieri non poterat.[2]) Recursus ad R. Pontifices.

61. Caeterum Collectio illa nullatenus constituit Codicem, in quo secundum aliquod schema accurate et harmonice singula disposita sunt. Imo Pseudo-Isidorus in decretis a se fictis passim diversa statuit, ut si quis omnia ab illo excogitata in rebus ecclesiasticis instituendis sequi voluisset, id propter discrepantiam eorum, quae de iisdem rebus habet, facere omnino non potuisset. Hac de re ita Hinschius: „Ad primates deferri vult Pseudo-Isidorus

---

[1]) De auctoris indole ita cl. Möhler: „Le faux Isidore emprunta à son époque ce qui était conforme aux voeux des plus hommes de bien: de là l'accueil favorable qui fut fait aux fausses décrétales; elles contenaient tant de vérités, qu'on n'y soupçonnait aucune erreur. Si donc, après les avoir examinées attentivement, nous voulions caractériser l'auteur d'après leur contenu et leur esprit, nous dirions qu'il fut indubitablement un homme de grand savoir, le plus savant peutêtre de ses contemporains, un esprit pénétrant, sagace et initié dans un degré rare en ce temps à l'esprit et aux besoins de son temps.“ Histoire de l'Eglise (versio gallica), II. p. 157.

[2]) Hinschius, p. CCXXIII.

judicia reliquorum episcoporum, et majora ecclesiarum negotia (Clem. 28, 29. Steph. 9); aliis in locis autem (cf. Anacl. 26, 28. Steph. 10) additur, illam cognitionem eis *post sedem apostolicam*, aut salva Apostolicae Sedis auctoritate competere. Itaque episcopis accusatis appellare ad primates aut ad Pontificem Romanum conceditur, (cfr. Victor 6. Sixt. II. 1. Jul. 12), e contra in Felicis II. 12. XX permittitur provocare tantum ad Sedem Apostolicam. Quae omnia sic componi possunt, ut dicatur, primatibus jus episcoporum causarum dijudicandarum reservata Romano Pontifici sententia diffinitiva competere. Attamen in epistola I Pelagii II legitur: *ad quorum* (scil. XII episcoporum provinciae) *judicium omnes causae episcoporum et reliquorum sacerdotum ac civitatum causae referantur, ut ab his omnibus juste consona voce discernantur, nisi ad majorem auctoritatem* (scil. primatem) *fuerit ab his qui judicandi sunt appellatum;* et Pseudo-Damasus (c. 8, 9) statuit: *Discutere namque episcopos et summorum ecclesiasticorum causas negotiorum metropolitanos cum omnibus suis comprovincialibus, ita ut nemo ex eis desit et omnes in singulorum concordent negotiis, licet; sed definire eorum atque ecclesiarum summas querelas causarum atque damnare episcopos absque hujus sanctae Sedis auctoritate minime licet: quam omnes appellare si necesse fuerit, et ejus fulciri auxilio oportet.* Secundum quos locos videntur metropolitani cum episcopis suffraganeis, non primates judicare; neque cum his convenit, quod secundum Jul. 18 accusatio est discutienda a judicibus, quos ipse accusator elegerit, aut Apostolica Sedes vel primates delegaverint. Quae omnia decreta in eo tantum conveniunt, quod sententiam diffinitivam Romano Pontifici reservant, attamen de personis a quibus antea accusatio discutienda sit, tam diversa statuunt, ut falsarius ipse non posset non intelligere, nihil horum omnium in vigentem ecclesiae disciplinam introduci posse. Neque minus incerta de rebus a diversis judicibus tractandis excogitavit; quae enim sunt negotia majora et causae difficiles a primatibus, et majores causae aut difficiliores quaestiones a Papa secundum Anaclet. 16, 17

Dispositiones diversae.

judicanda?"[1]) Maneat igitur quod diximus, non ordinatum et accurate dispositum Codicem Collectione Isidori constitui; universim tamen auctor illud prosequitur consilium, quod descripsimus, ut ecclesias et episcopos tueatur contra potestatem civilem, et praesulum dignitati et securitati provideat, ac disciplinam ecclesiasticam sub hoc respectu restauret. Atque propterea *unum ex variis capitibus* quae ab eo inculcantur illud est, ne episcopi sine consensu Romani Pontificis deponantur.

62. Contendit de Regnon in dissertatione de Decretalibus Pseudo-Isidori *(La question des fausses Décrétales en 1866,* Etudes religieuses 1866 II. p. 382), ab Hinschio hac in re discedens, Isidori Mercatoris *unicum* scopum fuisse, ut causas episcoporum ad Romanum Pontificem devolveret. „La réforme poursuivie par le Pseudo-Isidore consiste essentiellement à réserver au Pontife romain le jugement de tous les évêques. . . . Puis donc que le jugement des évêques mis au rang des causes majeures a été la pierre de touche pour reconnaître, quand et comment le pape Nicolas Ier a connu et cité les fausses décrétales; puisque soixante-dix fausses décrétales sur quatre vingts ne traitent pas un autre sujet; puisque de l'aveu de tous ce point est le seul qui ait excité des réclamations au IXe siècle, n'est-il pas naturel de conclure que c'est là précisément ce qui résume toute la réforme pseudo-isidorienne?"[2]) Quid de Nicolao dicendum sit, inferius videbimus. Sed argumentum illud per se nullatenus concludit. Sufficiat citare ea quae simili assertioni (contra Waschersleben et Goecke) respondet Hinschius. „Respondendum est, cum plura genuina (vel spuria) concilia et decretales in collectione Pseudo-Isidori contineri quam illas septuaginta decretales, *tum de multis aliis rebus Pseudo-Isidorum agere* et locum citatum (ab adversariis) qui accusationis episcoporum mentionem facit ab eo afferri, ut ostendat, quibus rebus *praecipue* ecclesiastica disciplina ad interitum vocata et in ruinam praecipitata sit."[3]) Hoc

Sententia opposita.

[1] Hinschius, p. CCXIV. [2]) L. c. p. 392. [3]) Hinschius, p. CCXVII.

responsum citat quidem etiam de Regnon, sed tantum partem, usque ad illa verba *tum de multis* etc., quum tamen in hac ultima parte maxime vis refutationis consistat. Jam ipse Hincmarus Rhemensis, quum anno 868 causam Hincmari junioris contra Carolum regem tueretur, Pseudo-Decretalium textus citat, ut ostendat, bona ecclesiarum a potestate saeculari detineri non posse. Vides, non probari, scopum unicum Isidori fuisse, ut causae episcoporum ad Romanum Pontificem transferrentur.

Decretalium propagatio

63. *Qua ratione receptae sint Decretales Pseudo-Isidori* jam exponamus, et videamus, utrum praecipue per Nicolaum aliosque Romanos Pontifices eaedem auctoritatem acceperint. Diximus, primum eas afferri, uti videtur, anno 853 a Wulfado et sociis ejus dum causam suam vindicant; dein vero a. 857 in concilio Carisiaco ex Anacleti, Urbani et Lucii Decretalibus varia decreta concilii confirmantur. Porro in Hincmari Rhemensis et Hincmari Laudunensis variis scriptis earum est frequentissimus usus. Ab Hincmaro Rhemensi septem textus ex iis afferuntur in opusculo *de Divortio Lotharii,* quod anno 861 confectum esse vidimus, ter eas citat (a. 868) in *Quaternionibus ad Carolum regem* pro ecclesiastica libertate tuenda in causa Laudunensis episcopi. In Opusculo *Capitulorum quinquaginta quinque* contra Hincmarum juniorem (a. 871) plus quam duodecies auctoritatem illarum Decretalium affert, atque in opusculo *De presbyteris criminosis,* totam Collectionem commemorat eam Isidoro Hispalensi attribuens. *Scriptum namque est,* scribit, *in quodam sermone sine exceptoris nomine de gestis sancti Silvestri excepto, quem Isidorus episcopus Hispalensis collegit cum epistolis Romanae sedis Pontificum a sancto Clemente usque ad beatum Gregorium.*[1]) — Jam vidimus, *Hincmarum Laudunensem* pariter in lite cum Rhemensi metropolitano frequenter usum esse istis Decretalibus ad causam suam vindicandam. — Dein vero in *plurimis synodis* in Gallia saeculo nono et decimo

[1]) L. c. n. XXI. Opp. Hincmari t. II. p. 793.

habitis ad illas Decretales provocatur.[1]) Vides, quanta frequentia in Francia brevi tempore illae Decretales citatae et prolatae fuerint ad negotia ecclesiastica dirimenda; nec minimum ad id contribuisse dixeris ipsum Hincmarum Rhemensem, qui toties iisdem documentis utitur.

64. Sed quum Hincmarus Rhemensis inter praesules Galliae doctrina et auctoritate emineret, hac in re ea est quaestio tangenda, qualis fuerit ejus de Pseudo-Decretalibus sententia, et an ipse persenserit, easdem haud esse genuinas. Plures auctores contendunt, Hincmarum jam advertisse, illas Decretales spurias esse.[2]) Etiam F. X. Kraus in sua *Historia ecclesiastica* existimat, fraudem Pseudo-Isidori ab Hincmaro fuisse agnitam, sed nihilominus ipsum, quando id ei opportunum videbatur, ad illas Decretales provocasse.[3]) Ill. Hefele, quamvis passim advertat, Hincmarum citasse illas Decretales adeoque non dubitasse de genuitate earum[4]), dubium tamen prolatum invenit in epistola illa acerba Caroli Calvi ad Hadrianum II, quam ab Hincmaro confectam esse animadvertimus.[5]) — Attamen, re bene examinata, censemus, Hincmarum genuinitatem Decretalium non vocasse in dubium, sed noluisse iis tribuere *auctoritatem canonicam*, eo quod non continerentur in Codice Hadrianeo. Hincmarus Rhemensis.

65. Genuinitatem ab Hincmaro non esse in dubium vocatam merito ex eo infertur, quod ipse toties eas citaverit; atque hoc argumentum est peremptorium, nisi fuerit positive probatum, suspectam fuisse illi Decretalium genuinitatem. — Caeterum suam de earum *auctoritate* sententiam clare aperit, dum in Opusculo LV Capitulorum c. XXV scribit: *Et illas epistolas sanctorum et apostolicorum virorum diversis temporibus pro diversorum consolatione, sicut et beatus Gelasius dicit, a sede apostolica datas . . . cum* Impugnat auctoritatem.

---

[1]) Cfr. Dissertationem P. De Smedt. Les fausses Décrétales, Etudes religieuses, 1870. p. 77 sqq.

[2]) V. e. g. C. von Noorden, Hinkmar Erzbischof von Rheims pp. 213 sqq. 270 sqq.

[3]) Lehrbuch der Kirchengesch. II. Th. Trier 1873. S. 273.

[4]) C. G., B. IV. §. 487. [5]) Ibid. §. 502 versus finem.

beato Gelasio apostolico viro venerabiliter suscipiendas dico. Quae suis temporibus congruentes fuerunt, donec per sacra concilia Patres nostri in unum convenientes . . . mansuras usque in finem saeculi leges condiderunt. Salva reverentia sedis apostolicae dico, quia si illa quae in eisdem epistolis continentur, et suis temporibus congrua fuerunt, omnia et insimul custodiri valerent et servari ac teneri congruerent, Patres nostri, catholici videlicet doctique pontifices, in conciliis sacris leges mansuras usque in saeculi finem non conderent. Suscipiendas ergo illas epistolas venerabiliter cum beato Gelasio dico, et cum leguntur, sicut ipse praecipit Gelasius, apostolica illa praecedat sententia, qua dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et haec dico non quo quaedam in eis dicam esse non bona, sed non per omnia sacris canonibus Patrumque conciliis consona.[1]) — Quae igitur objiciuntur Hincmari effata, quibus parvi pendere videtur Decretales, juxta exposita sunt intelligenda quatenus *recusat iis auctoritatem canonicam*, etsi venerabiliter eas suscipiendas esse admittat.[2])

An spurias censuerit.

66. Ex textibus qui pro altera sententia citantur, afferamus eum, ad quem provocat Kraus, inde colligens, plane suspectas fuisse Hincmaro Isidori Decretales. Scribit igitur Hincmarus contra nepotem suum: „Contra sacros canones et decreta Sedis Rom. Pontificum *commenta* ad hoc collegisti, quatenus te ut onagrum liberum a sede metropolitana monstrares, et me ut praevaricatorem canonum eisdem tuis vinculis adstrictum insolubiliter demonstrares; et adhuc etiam sicut de malo in pejus, ita de pejore in pessimum profecisti, ut non solum tibi commissis clericis, sed et episcopis illa *figmenta compilata*[3]) et

---

[1]) V. Hincmari Opp. t. II. p. 483.

[2]) Plures textus vide expositos apud P. De Smedt in Dissert. citatâ.

[3]) Adverte, non dici „figmenta compilata *Pseudo-Isidori*", uti ex modo quo Kraus l. c. loquitur supponi possit. Et alia quae apud Hincmarum iisdem verbis non habentur ille refert potius ex praeconcepta sententia, dum quinam fuerit Hincmari sensus, exponit. Scribit videlicet: „Der Erzbischof von Rheims veröffentlichte eine Streitschrift, in welcher er die unter der Leitung des h. Geistes von den allgemeinen Concilien

regi danda ostenderes, et mihi dari faceres, ut per illa me concrederem et adeo me tibi subjugarem, ut (sicut mandasti) verba evangelica et apostolica atque canonica, quae tibi et ecclesiae tibi commissae direxeram, igne cremarem. . . . Hoc namque poculum quod confecisti ex nominibus sanctorum apostolicae sedis Pontificum quasi ad ora melle oblitum et indiscrete commixtum, de quo tibi commissos clericos potionasti, et quod quibusdam episcopis obtulisti, et satanas primis parentibus nostris in paradiso obtulit, quando pomum bonum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile ostendit eisque dixit: Eritis sicut dii. . ." — Arguit dein episcopum Laudunensem, quod, si forte non verbis, rebus tamen quibusdam episcopis persuadeat: „Hanc, inquiens, tenete et mecum evindicate *compilationem,* et nulli nisi Romano Pontifici debebitis subjectionem, et dissipabitis mecum Dei ordinationem in communis episcopalis ordinis discretam sedibus dignitatem."[1]) Sed re perpensa censemus, haud ex his inferri posse, Decretales Pseudo-Isidori ut spurias habuisse Hincmarum. Dum commemorat *commenta* et *figmenta compilata,* non designat ut conficta ipsa documenta quae attulerat Hincmarus Laudunensis, sed tangit potius *ejus sententias inde deductas,* quibus independentiam episcoporum a metropolitanis asserebat.[2]) Totum opusculum episcopi Laudunensis est illi *poculum, quasi ad ora melle oblitum,* quia nomi-

Expenditur textus.

gegebenen unwandelbaren Gesetze von solchen unterscheidet, welche nur für bestimmte Zeiten und Länder ertheilt wurden. Kein Einzelner, und wäre es der Papst, könne etwas bestimmen, was mit jenen in Widerspruch stehe, und die Papstdecretalen hätten keinen Anspruch auf den Charakter allgemeiner und für immer bindender Kirchengesetze, noch weniger die figmenta compilata des falschen Isidor, jene, mit Honig geschmierten Giftbücher, welche die ehrwürdigen Namen der alten Bischöfe des apostolischen Stuhls unrechtmässiger Weise an der Stirn trügen, und nichts anders beabsichtigten, als die gesammte Kirche in knechtische Abhängigkeit von einem Einzelnen zu bringen." L. c.

[1]) Opusc. Capitul. LV. c. XLVI.

[2]) Advertendum est, Hincmarum Rhemensem non respicere solam *Collectionem alteram* Laudunensis, quae continebat tantum textus documentorum, sed etiam Collectionem *priorem* et *epistolas*, quibus sententias suas hic proponebat et vindicabat. Cfr. Hincm. Rh. Opp. t. II. p. 335 et 341.

nibus venerandis Pontificum usus est, et *indiscrete commixtum*, quatenus decreta auctoritate canonicâ praedita simul cum aliis ea auctoritate destitutis attulit, atque sic cuncta disposuit, ut *detruncando et praeposterando atque disordinando* errorem suum iis vindicaret. — Eo minus autem Hincmaro Pseudo-Decretales potuerunt suspectae esse ut spuriae, quod eas censeret contineri in Collectione Isidori Hispani, quodque eas confunderet cum aliis documentis genuinis illius Collectionis, et jam dudum notas et in Francia propagatas crederet.[1])

Alius textus expenditur.

67. Ad alium veniamus textum, quo cl. Hefele censet dubium de genuinitate Decretalium Isidori exprimi. In fine epistolae Caroli regis ad Hadrianum II datae in negotio Hincmari Laudunensis, quam epistolam Rhemensis censetur confecisse, legitur: *Quia quod ex Apostolicae Sedis nomine secundum sanctarum Scripturarum tramitem praedicationemque majorum et orthodoxorum decreta scribitur, sequendum et tenendum non ignoramus; et quod secus a quoquam fuerit compilatum sive confictum, non solum respuendum sed et redarguendum esse cognoscimus.* Ultimo inciso designari dixeris Pseudo-Decretales Isidori, vel sententias ex eis depromptas, adeoque earum genuinitatem respui. Attamen accuratius considerata Caroli epistola, eâque comparata cum praecedentibus litteris Hadriani, colligi existimo, eum non esse sensum illius incisi, nec ibi innui Pseudo-Decretales spurias esse. Sed rex illis verbis carpit *mandata* s. Sedis quoad causam Hincmari Laudunensis,

[1]) Huc pertinent ea, quae cum aliqua hyperbola Hincmarus in eodem opusculo scribit: „Si vero ideo talia . . collegisti, quia forte putasti, neminem alium easdem sententias vel ipsas epistolas, praeter te, habere, idcirco talia libere te existimasti posse colligere, res mira est, cum de ipsis sententiis plena sit ista terra, sicut et de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus episcopus . . obtinuit, et istas regiones ex illo repleri fecit.“ C. XXIV. „Inaniter putans, quod si tu haec in tuo pitaciolo non poneres, alii non haberent libros ubi ea legere potuissent. Sed quis ea quae nosti ignorat? Prius enim quam formareris in utero, illa novimus, et antequam exires de vulva, saepissime legimus, et discretius quam tu Scripturas sacras et canones sacros intelleximus.“ C. XV.

et *leges ecclesiasticas*, ex quibus supponit talia mandata fluere, quasque ab Hadriano, vel potius a scriptore litterarum ejus, *fingi* vel compilari arguit. Ultimum verbum (compilari) potest quidem respectum quemdam habere ad Pseudo-Decretales, juxta quas illa mandata fiant; dum vero fictionis meminit, designat leges ineptas et mandata, quorum nullum sit fundamentum, sed quae arbitrario modo Romae cudantur.

68. Carolus (vel potius Hincmarus) in sua epistola artificio quodam polemico utens, supponit, litteras Roma Hadriani nomine missas haud quidem falsatas, attamen non a Papa sed ab alio compositas esse, ac Pontificem ob multa negotia non satis attendisse, quae in ipsis continerentur. Dein magna cum vehementia et irreverentia invehit in litteras Pontificis, ejusque admonitiones et mandata ut inaudita, injusta et inepta traducit. Inter alia quoad mandata a Pontifice transmissa scribit: „Litterae ex nomine vestro nobis directae . . . indebita increpatione os nostrum oppilare studuerunt, quum, Dei gratia, libera adhuc fronte de his quae nobis per litteras ex nomine vestro directas impacta sunt loqui possimus. Scriptum est etiam in praefatis litteris nobis ex nomine vestro directis de Hincmaro hoc modo: *Volumus, et auctoritate apostolica jubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem episcopum vestra fretum potentia, ad limina sanctorum nostramque venire clementiam. Quo sane veniente, veniat pariter accusator idoneus qui nulla possit auctoritate legitima respui: et tunc in praesentia nostra et totius sedis Romanae, synodali collegio, causa illius prudenti ventilata examine ac diligenter inquisita, secundum Deum et sacrorum canonum institutiones Spiritu Dei probatas sine protelatione aliqua finietur.* . . . Valde mirati sumus, ubi hoc dictator epistolae nobis per Actardum episcopum delatae scriptum invenerit, *esse auctoritate apostolica praecipiendum, ut rex* corrector iniquorum et districtor reorum ac secundum leges ecclesiasticas atque mundanas ultor criminum reum *legaliter ac regulariter pro excessibus suis damnatum Romam dirigat.*“ . . (En legem quam traducit ut confictam). — „Quae Epistola Caroli Calvi.

si non de eodem foramine, de eodem tamen conamine manarunt, de quo et anteriores (litterae) fluxerunt, in quibus continetur, *ut res omnes Hincmaro commissae ecclesiae, donec ad propria reverteretur, nobis committeretis, ut indemnes consisterent et aliquod dispendium non incurrerent.*" (En alia regula quam ut confictam irridet). „Unde sicut vobis rescripsimus, ... quia reges Francorum et regio genere nati, *non episcoporum vicedomini* sed *terrae domini* hactenus fuimus computati.... Talia mandata, sicuti habentur in litteris ex nomine vestro nobis directis, ... decessores nostros a decessoribus vestris accepisse nullatenus invenietis. ... Mandatis B. Gregorii praedecessoris vestri de his, qui necdum judicio synodali legaliter ac regulariter pro criminibus suis fuere depositi, collatis cum scriptis ex nomine vestro nobis directis, ex (de) eo qui legaliter ac regulariter pro suis excessibus judicio synodali habetur depositus, ut eum nostra fretum potentia Romam mittamus, quae potius sequenda sint judicate. Nos autem auctoritatem vestram judicaturam potius credimus, ut ea sequamur, quae decessores ac praedecessores vestri secundum Scripturarum tramitem praedicationemque majorum scripserunt, quam illa quae scriptor saepe dictae epistolae ex nomine vestro nobis directae *confinxit.* ... Videndum est igitur, quid hic trames sanctarum Scripturarum et praedicatio majorum definiant... Satis mirari non possumus, unde scriptor epistolae nobis ex nomine vestro delatae hanc *legem* apud se auro sculptam produxit, quam Dominus digito suo non scripsit, nec scribendam cuiquam inspiravit, neque ordinatam per angelos in manu mediatoris illius dedit: quam non paganus indixit, non christianus induxit, non ecclesiasticus vir decrevit, quae de sub isto coelo sicut non atramento manu justitiae, ita nec spiritu Dei vivi scripta personuit (lex ficta), qua me regem a Deo constitutum ... rei atque damnati atque anathematizati *fautorem esse praecipit,* jubens ut Hincmarum sacrarum legum praevaricatorem .., regni perturbatorem, perjurum, sacrilegum, fraudatorem et exstirpatorem episcoporum, ac totius populi nostrarum partium scandalizatorem, alienarum rerum pervasorem et veniendo

contra subscriptiones et professiones suas a seipso damnatum, *potentia regia fretum Romam venire faciamus.* Quis igitur hanc universam legem infernus evomuit? quis tartarus de suis abditis et tenebrosis cuniculis eructavit?"[1]) Simili modo etiam alia mandata Hadriani Carolus perstringit.

69. Hincmarus igitur in hac epistola callida arte mandatis quibusdam secundariis Hadriani, de protectione regia Hincmaro juniori concedenda, de bonis ecclesiae Laudunensis custodiendis, insistit, et consequentia subdola inde *Verborum sensus.* etiam deducit, ab Hadriano *leges urgeri inauditas*, scilicet *reges esse vicedominos et villicos episcoporum, eos favorem debere praestare episcopis praevaricatoribus*, ac tales leges traducit ut confictas a scriptore epistolae. Hinc opponit ea *quae apostolicae sedis nomine secundum tramitem Scripturarum, praedicationem majorum, et orthodoxorum decreta scribuntur,* et *quod secus a quoquam fuerit compilatum sive confictum.* Adeoque *confictum* dum dicit, haud ejus menti obversatur Isidori Collectio; facilius crederem, illud *compilatum* tum ad alia tum ad Pseudo-Decretales alludere. Sciebat enim certe Hincmarus, modum judicii ab Hadriano selectum aliquot textibus Pseudo-Decretalium posse comprobari. Caeterum Hadrianus quoad negotium episcopi Laudunensis in litteris suis nunquam ad Pseudo-Decretales provocavit.

70. Operae pretium est etiam ea notare, quae scribit Hadrianus in altera ad Carolum epistola, qua regem ex- *Hadriani responsum.* acerbatum verbis benignis et honorificis placare studuit. *A die illa,* inquit, *qua vobis per praefatum fratrem nostrum* (Actardum) *mandari fideles orationes et certissimas amicitias, nunquam aliorsum declinavi. Et si quaedam litterae delatae vobis sunt aliter se habentes in superficie, vel subreptae, vel a nobis infirmantibus extortae, vel a qualibet persona confictae, durius aut acrius mordaciter sonantes: id tamen nobis fixum semper mansit in mente, quod vobis significavimus devote.*[2]) Pontifex prudenter aliquid regis que-

---

[1]) V. Hincmari Opp. t. II. p. 705 sqq.

[2]) Epist. Hadriani XXXIV. Labbaei Coll. Conc. Tom. VIII. col. 937.

relis concedens supponit, ipso aegrotante in litteris forte quaedam minus congrue dicta, vel etiam a scriptore conficta esse posse. Hincmari citata in epistola Caroli revera non respondent verbis, quae in epistola Hadriani modo habentur; sed probabile est, Hincmarum in irata sua argumentatione Pontificis verba potius retulisse quoad sensum, et pro scopo suo, quae Hadrianus moderate scripsit, exhibuisse ut mandata peremptoria, quae dominationem stilo suo prae se ferebant.

Hincmari sententia.

Omnibus consideratis igitur censemus, non posse ex scriptis Hincmari Rhemensis colligi, suspectas ei fuisse Decretales Isidori ut spurias, sed ex iisdem consequi, ipsum eas habuisse ut documenta genuina, quae tamen non haberent auctoritatem canonicam legum ecclesiasticarum.[1])

III.

De influxu Decretalium Pseudo-Isidori in disciplinam Ecclesiae.

Opiniones variae.

71. Restat discutienda ea quaestio, utrum verum sit, Nicolaum I ejusque successorem Hadrianum II omni quo potuerint modo obtrusisse coaevis Pseudo-Decretales Isidori, ut abolita antiqua Ecclesiae disciplina aliud jus ecclesiasticum inducerent, atque ita auctoritatem Sedis Apostolicae amplificarent. Talia a Balutio asseri jam diximus, eademque a variis auctoribus repetita fuere.[2]) Sunt porro qui excusant quidem Nicolaum, eo quod etiam ipse Isidori Mercatoris Collectione deceptus sit, contendunt tamen revera inde, quod hujusmodi Pseudo-Decretales Nicolaus ejusque successores acceptaverint, legesque in iis contentas inculcaverint, evenisse, ut antiqua disciplina in aliam multo diversam mutaretur; idque Ecclesiae potius detrimento quam utilitati fuisse. Ea fere ratione rem exhibet

---

[1]) Cfr. De Smedt, Les fausses Décrétales etc. n. I.

[2]) Cfr. e. g. von Noorden, Hinkmar von Rheims, p. 199 sq

de Regnon. Ostendere nititur, Nicolaum antequam novisset Collectionem Isidori, antiquam proposuisse disciplinam, sed inde ab anno 865 quando per Rothadium Pseudo-Decretales cognovit, eum istarum regulas inculcasse, eamque disciplinam ab antiqua valde diversam dein praevaluisse. Melius autem fuisset pro Ecclesiae splendore et honore, si antiqua disciplina perseverasset.[1])

Qualis modificatio disciplinae.

72. Sed ejusmodi sententiis subscribendum non esse existimamus. Imprimis advertendum est, nequaquam ex admissa Collectione Isidoriana novam aliquam provenisse disciplinam canonicam ab antiqua funditus diversam. Quoad *essentiam et substantiam* haec disciplina recentior eadem est atque antiqua; modificationes tantummodo quaedam, ac differentiae, et regulae magis praecisae, ob temporum adjuncta valde opportunae, ea aetate invaluerunt. Ista vero non praecise *auctoritate et vi* Decretalium illarum introducta sunt, quamvis vulgatio Collectionis Pseudo-Isidori quid contulerit, ut facilius modificationes ejusmodi invalescerent. Erant autem modificationes illae *evolutio* quaedam juris canonici, quae in ipsa Ecclesiae constitu-

[1]) „Cette nouvelle discipline était bonne, assurément. Adoptée par s. Nicolas le Grand en 865, par le huitième concile oecuménique 870, confirmée par le Concile de Trente en 1564, elle est depuis neuf siècles le droit commun dans l' Eglise catholique. Mais l' ancienne discipline était bonne aussi, puisque pendant les huit premiers siècles, l' Eglise n'en avait connu d'autre. L'ancienne discipline avait suffi pour vaincre le gnosticisme, le montanisme, le manichéisme, l'arianisme, le pélagianisme, le nestorianisme, l'eutychianisme, l' origénisme, et le monothélisme, sans parler des hérésies moins importantes. La nouvelle discipline pouvait par conséquent être utile; elle n'était point nécessaire.“ (Adverte argumentationem fallacem esse, quatenus supponitur essentialis quaedam et radicalis mutatio disciplinae, et quatenus innuitur, ad superandas haereses praesertim dirigi disciplinam canonicam, et antiquas haereses victas esse per antiquam disciplinam prouti differebat a recentiori). „Jamais, il faut en convenir, on ne vit mensonge aussi audacieux, aussi considérable, aussi solennel, aussi persévérant. Ajoutons: et pendant des siècles, aussi triomphant. Oui, l'imposteur a atteint son but! il a changé la discipline comme il le voulait, mais il n'a pas arrêté la décadence générale. Dieu ne bénit pas l'imposture. Les fausses décrétales n'ont produit que du mal.“ L. c. p. 392.

tione et in juribus Pontifici Romano et potestati ecclesiasticae convenientibus plane legitimum habebat fundamentum, ac temporum indigentiis conveniebat. Vel ex ipsa facili admissione Decretalium Pseudo-Isidori hoc jure infertur. „Quomodo scilicet secus fieri potuisset, ita merito C. De Smedt arguit, ut sententiae ac regulae omnino novae, quae evertissent ea quae per diuturnam consuetudinem apud omnes recepta erant, et contrarias doctrinas oppositamque praxim tanquam solas veras et antiquorum auctoritate fulcitas proposuissent, haud rejicerentur cum indignatione tanquam nova et inaudita, sed facillime admitterentur: etiam ab iis quorum consiliis ista adversabantur? Universim enim illae disciplinae dispositiones facile receptae sunt; tantum Hincmarus Rhemensis et qui eum sectabantur ostenderunt quamdam oppositionem, in qua tamen et ipsi sibi parum constabant. — Facilis autem haec receptio Collectionis Pseudo-Isidori et disciplinae quae in ea continetur, inde apprime explicatur, quod doctrinae et principia in ea proposita non essent nova et eatenus inaudita; sed uti constitutioni Ecclesiae nitebantur, ita quoque jam saepius prolata et adhibita in praxi, adeoque saltem confuse jam ut *principia* juris ecclesiastici admissa erant. Hinc nemo miratus est, talia ab antiquis Pontificibus fuisse prolata."[1])

73. Non est cur loquamur de dispositionibus, quae jura Ecclesiae contra arbitrium principum et potestatis saecularis vindicant, sed quaedam juvabit accuratius exponere quoad ea capita, quae RR. Pontificum auctoritatem quantum ad episcopos synodosque spectant. Citra modum enim eam auctoritatem vi Collectionis Isidorianae amplificatam esse, varii auctores contendunt. Etenim, inquiunt, tum universim Pseudo-Isidorus continuo evehit Romanorum Pontificum auctoritatem, et ad eam recurrendum esse inculcat, quando dubia et dissensiones alicubi oriuntur, tum

Sententia adversariorum.

---

[1]) V. C. De Smedt in Dissertatione (nondum typis impressa) *De collectione Decretalium sub nomine Isidori Mercatoris vulgata*, C. X. n. 113. — Autographia praelectionum anni 1867—1868, p. 186.

speciatim plura habet, quibus nimium amplificat Pontificum Romanorum potentiam. Atque haec cum cl. C. de Smedt ad quatuor capita reducere licebit. 1° Illud frequenter urget principium, „nullum concilium, etiam provinciale, celebrari posse absque consensu Romani Pontificis." — 2° Statuit, contra canones Sardicenses, „episcopos ad Romanum Pontificem appellare posse, non solum ubi a synodo provinciali injuste se condemnatos contenderent, sed et ante omne hujusmodi synodi judicium, si judices ipsis infesti vel suspecti essent. Imo quandocumque episcopi accusentur alicujus criminis, quod consequatur poena depositionis, synodo provinciali competere tantum informationem causae, et relationem juridicam mittendam esse ad Romanum Pontificem, qui solus jus habeat definitivam sententiam ferendi." Depositiones enim episcoporum esse ex *causis majoribus* deferendis ad sanctam Sedem. Sed etiam presbyterorum appellationes ad Sedem Apostolicam dirigi et ab ea suscipi posse; quum antiqua disciplina causas cleri secundi ordinis episcopis et metropolitanis adjudicet. — 3° Statuit, „Romano Pontifici, utpote omnibus episcopis superiori, nullum esse judicem praeter Deum." — 4° Asserit, „episcopos vocatos esse in partem sollicitudinis Romani Pontificis, unde sequeretur, eos nonnisi ut vicarios ipsius habendos esse, quod est contra divinam institutionem ordinis episcopalis." [1]) — Hisce igitur praesertim principiis in disciplinam introductis, censent eam per Pseudo-Isidori Decretales vehementer immutatam fuisse, atque ab antiqua disciplina maxime differre.

74. Jam haec aliquanto accuratius expendemus, ita quidem ut tum principia de primatu ac de auctoritate Romanorum Pontificum innuamus, tum applicationem jurium per antecedentia saecula consideremus. — Imprimis autem advertendum est, quaedam ex iis quae hisce asseruntur, uti ex dicendis colligetur, esse exaggerata et minus vere prolata. Alia autem spectant dispositiones, quae quoad **Observanda.**

[1]) V. C. De Smedt l. c. p. 187.

substantiam nullatenus ab antiquo jure differunt; imo etiam in antiqua disciplina ista passim et non raro occurrunt. Ut vero eadem magis urgerent inde a saeculo nono mediante, Romanis Pontificibus jus fuit indubium, societati autem christianae id fuit opportunum. —

Principia quaedam. 75. Romani Pontifices quovis tempore sibi conscii fuerunt, ex institutione divina primatus curam et providentiam totius Ecclesiae ipsis esse commissam, seque jurisdictionem ordinariam habere in universam Ecclesiam omnesque fideles. Hanc vero supremam auctoritatem profecto non arbitrario modo exercere licebat, sed secundum Evangelii regulas, prouti in variis temporum adjunctis id opportunum videbatur, ita quidem, ut applicationis hujus jurisdictionis atque gubernii quaedam varietas variâ posset esse aetate. Quumque secundum ordinem omnia in Ecclesia fieri conveniat, jam primis saeculis quaedam regulae statutae inveniuntur, quibus tum quoad episcopos tum quoad Romanum Pontificem administrationis modus determinaretur. Attamen ejusmodi statutis atque canonibus sive particularium sive generalium synodorum, nec in sua substantia ac plenitudine restringi poterat potestas jurisdictionis Sedis Apostolicae, nec poterant illi canones haberi ut plane absoluti et completi, quibus omne exercitium auctoritatis Pontificum determinaretur, vel praeter quos nunquam illi agere possent. Multorum canonum synodorum particularium per se non ea erat natura, ut iisdem Romani Pontifices obstringerentur, nec omnia quae accidere poterant regulis istis continebantur. Imo quando id pro bono Ecclesiae necessarium vel opportunum videbatur, pro suprema sua auctoritate modum agendi Pontifices constituere poterant, vel modificare dispositiones priores. Ex indole autem primatus ipsi Pontifices hac in re supremi judices sunt, nec alteri tribunali subjecti, quamvis teneantur aequa ac justa ratione semper procedere. Animadvertendum quoque est, passim prudenti oeconomia in exercitio suae potestatis usos esse Pontifices, ita ut non illud facerent quod stricto jure illis competebat, sed ut ad discordias vel schismatum pericula vitanda modum

agendi attemperarent. Sed rem ex priorum saeculorum historia paulisper illustremus.

Facta historica.

76. Magno vigore s. Victorem in controversia de celebrando Paschate, et s. Stephanum in lite de rebaptizandis haereticis suam auctoritatem exercuisse, nemo est qui non noverit. Synodorum Asiae Africaeve decreta, disciplinae rectae vel fidei opposita, ea occasione Pontifices penitus rejecerunt. — Exempla appellationum ex Hispania, Africa et Gallia medio saeculo tertio varia occurrunt, ita ut jus appellationum ex ipsa primatûs natura dimanans, agnitum inveniatur; certus autem modus ac determinata regula agendi nondum existebant. — Celeberrima porro est causa s. Athanasii tempore Julii I (336—352) gesta. Ad Julium miserunt legatos Eusebiani, Ariani episcopi, ut depositio illius ab ipsis peracta confirmaretur; sed ad Pontificem etiam appellavit Athanasius. Eusebianorum quidem legati quum ex causa se cadere adverterent, Roma recesserunt. Sed post negotii examen Romae institutum a Julio Athanasius aliique episcopi sedibus suis restituti sunt. Ex epistola porro quam Julius ea occasione scripsit ad Eusebianos, et ex supparum scriptorum Socratis et Sozomeni historia ecclesiastica colligitur, jam ab illo Pontifice ea proposita esse principia easque regulas, quae contra Hincmarum Rhemensem Nicolaus urgebat, adeoque immerito haec ex Pseudo-Isidoro repeti. Scribit videlicet Julius inter alia: *Oportuit omnibus nobis* (ipsi et ejus synodo Romanae) *scripsisse, ut ita ab omnibus quod justum esset decerneretur; episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulgares ecclesiae quae vexabantur, sed quas ipsi Apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatur* (n. 22). Ad haec respexit haud dubie Socrates L. II. c. 17, ubi scribit, Julium litteris ad eos qui Antiochiae convenerant missis conquestum esse, *quod contra canones ipsum ad synodum non vocassent, cum ecclesiastica regula interdictum sit, ne praeter sententiam Romani Episcopi ab ecclesiis quidquam decernatur.* Et etiam

Sozomenus cum tradit L. III. c. 10, *pro irritis habenda esse, quae praeter sententiam episcopi Romani fuerint gesta.*[1])

77. Ampliorem quidem hi scriptores Julii verbis sensum subjiciunt, quam ista prae se ferunt. Colliges tamen ex hisce, saeculo quarto et quinto illud principium jam valuisse, *de negotiis majoris momenti ad Sedem Apostolicam referendum esse*, antequam quid definitiva ratione decernatur; decreta majoris momenti in synodis facta vim non habere, nisi a Sede Apostolica confirmentur, synodosque contra voluntatem R. Pontificis celebrari non posse. — Plane similia principia similesque regulae colliguntur ex epistola XXIX Innocentii I ad episcopos Carthaginensis concilii[2]) et ex *Actis Concilii Chalcedonensis, Actione I,* in causa Dioscori, cui a Lucido legato Sedis Apostolicae locus in Synodo recusatur, *quia synodum* (Ephesi) *ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est.*

Synodorum celebratio.

78. Dum vero in Pseudo-Decretalibus continetur, *synodos non posse celebrari sine consensu R. Pontificis,* id duplici modo intelligi potest. Vel ita, quod non possint celebrari, etiam concilia provincialia, *contra* voluntatem Apostolicae Sedis, quod eorum *decreta irrita* sint, si a Sede Apostolica rejiciantur, quodque *decreta majoris momenti* indigeant *confirmatione* hujus Sedis. Atqui haec principia jam ante Decretales Pseudo-Isidori agnita inve-

---

[1]) Cfr. Dissertat. t. II. p. 20 sqq.

[2]) „In requirendis Dei rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime vero a vero justoque et catholico tractari concilio, antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid apostolicae sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. . . . Vel id vero, quod patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quae fuerit pronuntiatio firmaretur." n. 1. Constant, Epp. RR. PP. p. 888.

nimus. Vel regula ista ita intelligitur, ut supponatur episcopos non posse in concilium, etiam provinciale, *convenire,* nisi *obtenta antea licentia* Sedis Apostolicae. Sed hoc, sicuti ante vulgationem Collectionis Isidori, ita etiam post Pseudo-Decretales vulgatas, non observatum est. — Vides proinde asseri non posse, sub hoc respectu essentialem quamdam disciplinae ecclesiasticae immutationem per Pseudo-Decretales introductam fuisse.

79. Jam venimus ad *Concilium Sardicense* ejusque *de appellationibus* canones. Maxime advertendum est, canones istos non posse supponi confectos, ut restringeretur Romani Pontificis auctoritas, vel ut caveretur ne arbitrario ipse ageret modo. Sed potius editi sunt, ut vindicaretur et sanciretur jus recursus et appellationis, quod ex indole primatus sacrae Sedi competebat, utque constitutis certis regulis caveretur, ne appellationes episcoporum ab eorum adversariis pro nihilo haberentur et spernerentur, ut in causa Athanasii acciderat. Recolendum est, Concilium Sardicense a. 343 convenisse ad sedandas turbas ex Arianismo ortas, quum Julius P. cum Imperatoribus Constante et Constantio rem disposuisset. Sed recesserunt ab initio octoginta Eusebiani episcopi orientales Philippopolim; orthodoxi autem nonaginta praesules synodum celebrarunt, praesidentibus Hosio Cordubensi, cui hoc demandatum a s. Sede plerique merito censent, et duobus presbyteris ecclesiae Romanae Archidamo et Philoxene. Eusebiani non curaverant Athanasii aliorumve episcoporum appellationes, et iis depositis, negotio Romae pendente, alios episcopos ordinaverant. Propter ejusmodi arrogantiam et irreverentiam in Sedem Apostolicam, et modum eorum agendi fallacem et plane arbitrarium, motiva gravia erant, ut Patres Sardicenses de appellationibus ad Romanum Pontificem agerent, illud appellandi jus canonibus vindicarent, modumque procedendi accuratius determinarent. Merito supponere possumus, id Hosio a Julio R. P. mandatum fuisse; atque ipse Hosius praecipue canones hac de re proposuit, quibus modus procedendi determinatur.[1]

Concilium Sardicense.

[1]) Cfr. Dissertat. Tom. II. p 15 sqq.

80. Neque tamen illi canones, quibus modus agendi indicatur variis veluti instantiis constans, et negotium tractandum disponitur per legatos Pontificis in provinciam missos, tales a Romanis Pontificibus habiti unquam sunt, a quibus ipsis ob gravia motiva non liceret discedere. Nec unquam ipsi censuerunt, a se non posse appellationes presbyterorum suscipi, quia de talibus appellationibus nihil in canonibus Nicaenis et Sardicensibus statuebatur. Passim ob turbas frequentes in Oriente, dispositio illa de appellationibus ne poterat quidem servari, uti accidit in causa s. Joannis Chrysostomi, qui depositus ad Pontificem Innocentium I (402—417) appellavit. Noluerunt adversarii ejus et Imperator, quod Innocentius petiit, concilio novo coacto Chrysostomi causam denuo tractare. Sed Pontifex s. Praesulem tuitus est; sententiam in Chrysostomum latam approbare recusavit, et perrexit eum ut episcopum agnoscere, postque mortem ipsius Orientales coëgit, ut nomen ejus diptychis restitueretur.[1])

RR. Pontifices.

81. Porro idem s. Innocentius Decretali I ad Victricium Rothomagensem, n. III. monet, juxta consuetudinem *causas majores* referendas esse ad Sedem Apostolicam post judicium episcopale. Brevi post Bonifatius I ep. 15 universim dicit, graviora negotia ad Sedem Apostolicam semper esse relata. „Sed quia res postulat, scribit, approbandum documentis est, maximas Orientalium ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, Sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus ex-

---

[1]) Ad Liberium quoque Pontificem (352—366) provocavit Eustathius Sabastenus episcopus, quum in concilio Melitinensi depositus esset, ab eoque restitutus est, quamvis antea haeresis Arianae suspectus fuisset. Haec ex epistola (263) S. Basilii ad Occidentales comperimus. „Constantinopoli, scribit, iterum (Eustathius) assensus est iis, quae ab haereticis proposita fuerunt. Atque ita ex episcopatu ejectus, propterea quod antea Melitinae depositus esset, hanc sibi restitutionis viam invenit, ut ad vos se conferret. Quaenam autem ei proposita fuerint a beatissimo episcopo Liberio, et quibusnam assensus sit, ignoramus, nisi quod epistolam attulit, *quae eum restituebat*, eâque ostensa concilio Tyanensi (a. 367) in suum locum restitutus est.“

egit, ejus auxilium postulasse." (Coustant. Epp. Rom. Pont. p. 1042.) Videlicet rei substantia in eo ponenda, quod causae majores definiri non debeant citra sententiam et consensum Sedis Apostolicae. Secundarium quid fuit, utrum post judicium episcoporum ad confirmationem, vel jam ante illud referendae essent, idque determinare in potestate Pontificum erat. Ipsorum certe etiam erat dijudicare, an depositiones episcoporum ad causas majores pertinerent; imo hac de re propter adjuncta diversum potuit esse judicium. Sed certe nemo mirari potest, quod Nicolaus I depositiones episcoporum causis majoribus adscripserit, si statum rerum illius aetatis perpenderit. Essentialis mutatio disciplinae profecto nullatenus inde di manavit.

82. Ad appellationes *presbyterorum* quod spectat, Zosimum (417—418) Innocentii successorem appellaverunt Coelestius Pelagii socius, et Apiarius presbyter Africanus, a sententia episcoporum Africae. Zosimus ejusque successores Bonifatius (418—422) et Coelestinus (422—432) nullatenus dubitarunt ejusmodi presbyterorum appellationes suscipere, eorumque causam examinare et dirimere. Notum quidem est, ob appellationem Apiarii reclamationes vehementiores episcoporum Africae exortas fuisse; sed iis nequaquam Romani Pontifices cesserunt.[1]) Zosimus quum Apiarium restituendum mandaret, provocavit ad canones Sardicenses, quos bona fide Nicaenos dixit; atque controversiae acrioris haec fuit occasio. Quum enim episcopi Africani inter Nicaenos canones illos non invenirent, Sardicense vero concilium ejusque canones non cognoscerent, obsecuti quidem sunt Zosimi mandatis, regulasque ab ipso allatas se servaturos promisere, donec exemplaria Synodi Nicaenae ex Oriente obtinerentur. Attamen jam ab a. 418 in synodo canonem confecerant, quo presbyteris interdicebant *appellationes transmarinas*, et a. 419 Bonifatio transmiserunt exemplar synodi Nicaenae ex Oriente allatum, ut ostenderent, canones a Pontificibus citatos in Actis

Appellationes presbyterorum.

[1]) Vide de Apiario Dissert. tom. II. p. 217 sqq.

Nicaenis non haberi. Sed ejusmodi reclamationes non impedierunt, quominus Coelestinus Pontifex iterum Apiarii appellationem susciperet et tueretur. Apiarius tamen postremo a. 424 in synodo Africana, praesentibus legatis Pontificis, criminum se professus est reum, adeoque non potuit restitui. Ea occasione ad Coelestinum litteras dederunt praesules Africani acriores, quibus, quum Sardicenses canones non novissent, plura etiam contra appellationes episcoporum ut parum opportunas opponunt. Attamen juri suo Pontifices nunquam cesserunt.[1])

Praesules Africae.

83. Ex his colligitur, canones Sardicenses in Africa ignotos, non constituisse immutabilem quamdam appellationum regulam, nec Pontifices admisisse jus sibi insitum appellationum istis canonibus ad solos episcopos restringi. Canon autem Africanus presbyteris transmarinas appellationes prohibens, cum reliquis statutis ecclesiae Africanae a Dionysio quidem in Collectionem suam receptus est, imo etiam epistola praesulum Africae ad Coelestinum. Sed quum a Romanis Pontificibus nullatenus horum documentorum valor juridicus admitteretur, vel ex hoc facto patet, non omnia quae in Codice Dionysiano et Hadrianeo inveniebantur, fixas et immutabiles regulas fuisse juris. Atque immerito plane Hincmarus Rhemensis in controversia cum Nicolao canonem Africanum citat, ut inde inferat, causas presbyterorum ab episcopis esse terminandas.

84. Longum esset evolvere, quomodo subsequentes Pontifices vindicaverint exercuerintque jurisdictionem uni-

[1]) Dum adhuc controversia ageretur, eo quod in exemplaribus Nicaenis ex Oriente in Africam transmissis canones Sardicenses non invenirentur, videtur Romam appellationem direxisse Antonius Fussalensis episcopus, qui ob varias accusationes in ordine quidem episcopali servatus, sed administratione dioecesis interdictus fuerat. Exstat videlicet hac in causa epistola (209) s. Augustini, a. 423, uti videtur, scripta, qua ipse s. Coelestino supplicat, ne velit in favorem appellantis sententiam immutare, eo vel magis, quod sua imprudentia fateatur Augustinus evenisse, ut indigno Antonio episcopatus conferretur. Nihil in hac epistola Augustinus habet contra jus appellationum ad Romanum Pontificem.

versalem, prouti id totius Ecclesiae cura ipsis commissa requirebat, ita ut antiquorum canonum quidem rationem haberent, nec tamen absoluto modo iis determinari, multo minus vero restringi censerent auctoritatem suam. Eadem principia apud eos occurrunt, quae s. Nicolaus secutus est. Quanto vigore in rebus difficillimis tum Occidentis tum Orientis egerit *s. Leo,* nemo est qui ignorat; sufficiat hic commemorare Theodoreti episcopi Cyri appellationem ad ipsum, quum a pseudo-synodo Ephesina praeside Dioscoro Alexandrino, depositus esset. Quem s. Leo mox restituit, nec ea in re ob temporum adjuncta modus procedendi juxta canones Sardicenses observari poterat. — Sed *Gregorii M. gesta* operae pretium est aliquanto accuratius afferre, quum ejus aetas Nicolai tempori jam propior fuerit, et manifestum sit, in exercitio auctoritatis suae ea principia ipsum esse secutum, quae etiam in Collectione Isidori continentur. Quanta auctoritate cum quibusvis, non suburbicariis solum et latinis, sed graecis etiam episcopis, metropolitis, exarchis, patriarchis egerit, innumera probant exempla in sexdecim epistolarum libris edita; monet, arguit, obsecrat, increpat negligentes, mandat et minatur tergiversantibus, poenas denuntiat refractariis, appellationes ab eorum judiciis admittit.

S. Leo I M.

85. A Joannis Patriarchae Constantinopolis sententia eo tempore ad Romanum Pontificem appellavit Joannes presbyter Chalcedonensis haereseos damnatus; qui a Gregorio absolutus fuit. *Nos itaque,* scribit Pontifex, *facto concilio . . . nostra eum definitione catholicum et ab omni haeretico crimine liberum denuntiavimus.*[1]) Rogat dein Mauritium Imperatorem, ut succurrat illi presbytero et curet eum gradui suo restitui.[2]) Appellationem similem opposuerat quidam Claudius abbas sententiae metropolitani sui Ravennatensis. Marianus hujus metropolitae successor retulerat ad Gregorium, quosdam de clero et populo suo contendere, quod contra leges et canones pugnent ejusmodi appellationes. Respondet Papa: *Numquid non ipse nosti,*

S. Gregorius M.

---

[1]) L. V. ep. 15. [2]) L. V. ep. 16.

quia in causa quae a Joanne presbytero contra Joannem CPtanum fratrem et coëpiscopum nostrum orta est, secundum canones ad Sedem Apostolicam recurrit, et nostra est sententia definita! si ergo de illa civitate ubi princeps est, ad nostram causa cognitionem deducta est, quanto magis negotium quod contra vos est, hic est veritate cognita terminandum?[1]) Videtur s. Gregorius hic intellexisse canones Sardicenses, qui per analogiam ab episcopis in presbyteros merito extendebantur. Porro appellationem abbatis Ravennatensis summus Pontifex etiam jure patriarchico Occidentis, at eam quam Joannes presbyter Chalcedonensis contra Joannem patriarcham CPtanum interposuerat solo titulo capitis Ecclesiae admittere poterat.

86. Majoris etiam auctoritatis fuerunt ea, quae a Gregorio gesta sunt contra duos urbis Solonitanae in Dalmatia metropolitanos sibi invicem succedentes, Natalem et Maximum. *Natali* praecepit, ut Honoratum archidiaconatu privatum restituat, utque ipse per se vel per procuratorem Romae compareat, ibique causa in utramque partem examinata sententiam exspectet.[2]) *Maximo* de simonia accusato mandat, ipse se sistat Romae: renuentem ac moras trahentem gravissimis censuris afficit.[3]) Hujusmodi autem judicia juxta canonum verba potius primum ad provinciales synodos spectabant: erant tamen adjuncta peculiaria, ut ad se evocaret Pontifex ista negotia majora. Atque Gregorius non semel contestatur, quod sicut ipse sua, sic aliorum quoque confratrum jura prorsus salva et intacta velit. Sed *plenitudinem jurisdictionis*, observatis quidem quoad indolem canonibus, simul tamen necessitatem temporum bonumque ecclesiarum respiciens, exercebat.[4]) — Notare etiam convenit, Romanos Pontifices in exercitio jurisdictionis suae in Occidente merito potuisse respicere ea, quae in Oriente quoad patriarcham CPtanum statuta

---

[1]) L. V. ep. 24

[2]) V. L. II. ep. 14 et 15 (Indict. X.)

[3]) V. L. III. ep. 15 et 20; L. V. ep. 3; L. VII. ep 81; L. XI. ep. 13.

[4]) Cfr. Becker, Hist. eccl. L. IV. saec. VI. §. 14

erant. Ita e. g. Synodi Chalcedonensis canon IX statuit, ut *clericus vel episcopus, si contra metropolitanum causam agant, eam agere possent vel coram primate seu exarcho, vel coram episcopo regiae sedis CPtanae.* Ejusmodi canon conditus ab episcopis orientalibus respiciebat quidem per se Orientem, sed analogia quadam jure censere poterant Romani Pontifices conveniens esse, ut quod vi privilegio sedi CPtanae concedebatur, ipsi jure primatus, dum opportunum visum fuisset, exercerent.

87. Ex hac expositione historica colligitur, ea quae in Collectione Pseudo-Isidori quoad synodos et appellationes proferuntur, haud nova fuisse, sed ante jam prolata et frequentata. — Romanum vero Pontificem *nullius auctoritatis humanae judicio subjacere*, veritas est quae ex divina institutione et indole primatus necessario sequitur. Nec tunc ea fuit primum prolata. Continetur diserte in Gelasii I commonitorio ad Faustum legatum in quo dicit: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicare. . . . Isti qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur, Sedem Apostolicam ad judicium vocare non possunt.*[1] Imo jam antea Zosimus R. P. scribit ad Aurelium Carthaginensem episcopum: *Quamvis patrum traditio apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet. . . . Eamque Romani Pontificis dicit auctoritatem, ut nullus de nostra possit retractare sententia.*[2] Bonifatius I vero in epistola 13ª ad Rufum Thessalonicensem legatum suum scribit: *Ad synodum quae dicitur illicite congreganda . . . talia scripta direximus, quibus universi fratres intelligant, primo convenire se citra tuam conscientiam minime debuisse, deinde de nostro non esse judicio retractandum.* — Atque in epistola 15ª ad eumdem: *Nemo unquam,*

Sedes R. non judicatur.

---

[1]) Labbe IV. 1169.

[2]) Coustant., Ep. Rom. Pont. p. 974.

ait, *apostolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit.*[1])

88. Hoc principium ipsa praxi agnitum est in synodo Palmari (a. 505), quando episcopi declinaverunt examen instituere sententiamque proferre de iis, quae contra Symmachum R. P. proferebantur, ac Pontifex se juramento purgavit; necnon in epistola quam Avitus Viennensis episcopus occasione illius synodi nomine omnium praesulum Galliae scripsit.[2]) Etiam a. 800 ob eamdem rationem Romae episcopi recusarunt coram Carolo M., examinare accusationes contra s. Leonem III, ac sententiam dicere. Acta quoque apocrypha synodi Sinuessensis et Concilii Romani II sub Silvestro, jam dudum ante Pseudo-Isidorum vulgata, eam continent sententiam, Sedem Apostolicam a nemine judicari. Hoc principium igitur omnino verum, nullatenus per Pseudo-Decretales primum prolatum vel propagatum fuit.[3])

Episcoporum pars sollicitudinis.

89. Nec ea doctrina nova fuit, episcopos vocatos esse *in partem sollicitudinis Romani Pontificis.* Etenim quum Romanus Pontifex episcopus sit universalis, praesit toti Ecclesiae, ejusque sollicitudinem gerat, verissimum est et re semper agnitum, episcopos qui ecclesiis particularibus praesunt, vocatos esse in partem sollicitudinis Romani Pontificis. Verba haec quidem deprompta sunt ex epistola Leonis I, qui ad Anastasium Thessalonicensem, S. Sedis in Illyrico vicarium, scribit: *Vices enim nostras ita tuae credidimus caritati, ut in partem vocatus sis sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*[4]) Attamen dum sen-

---

[1]) Coustant. l. c. p. 1035. 1042.

[2]) V. Labbe IV. 1362.

[3]) Cfr. Hergenröther, Anti-Janus p. 98 sqq.

[4]) Epist. 84. Operae pretium est ex hac epistola etiam ea citare quae causas majores spectant. C. VII. „De conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus, quam sancti patres salubriter ordinarunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quae inter diversos Ecclesiae ordines nasci adsolent, judicetur. At si forte inter ipsos qui praesunt, de majoribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quae provinciali nequeat examine defi-

tentiam illam Isidorus in Pseudo-Decretalibus generatim episcopis applicat, nullatenus intendit eorum divinam institutionem negare, atque eos ut meros vicarios Romani Pontificis exhibere. Id ex variis Decretalibus Collectionis manifestum est. Ita e. g. apud Clementem c. 30 legitur: *Episcopos ergo vicem Apostolorum gerere Dominum docuisse dicebat* (Petrus).

An Pseudo-Decretalibus nisus Nicolaus I.

90. Modo accuratius inquirendum est, utrum Nicolaus I ad Pseudo-Decretales suam agendi rationem composuerit, et ex ipsis suam firmaverit et ampliaverit auctoritatem. Nicolaum Pontificem ad Pseudo-Decretales non provocasse, nec iis actibus ac sententiis suis quoad disciplinam ecclesiasticam nisum esse, admisit Blondel, idque propugnaverunt fratres Ballerini[1]); hanc sententiam tenet Phillips[2]), et recentissime Hergenröther auctor sane gravissimus et in rebus quae historiam et jus ecclesiasticum spectant apprime versatus.[3]) Etiam P. De Smedt, quamvis

niri, fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere, et si coram positis partibus nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem quidquid illud est transferatur." — C. X. „Si causa aliqua major exstiterit, ob quam necessarium sit, fraternum advocare conventum, binos de singulis provinciis episcopos quos metropolitani crediderint esse mittendos ad fraternitatem tuam venire sufficiat." . . . — C. XI. „Si autem in eo quod cum fratribus tractandum definiendumve credideris, diversa eorum fuerit a tua voluntate sententia, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus quod Deo placeat decernatur." — Hisce mandat, causas majores ad Sedis Apostolicae vicarium vel demum ad ipsum R. Pontificem esse deferendas. In fine hujus Decretalis habetur ille textus, quem Nicolaus in epistola ad episcopos Galliae a. 865 (Labbe VIII. 797) citavit, *ne omnes sibi omnia vindicarent*. Nicolaus igitur ad hanc Decretalem respexit, quum insisteret, ut causae majores, qualis ex ipso erat depositio episcopi, non definirentur sine consensu Sedis Apostolicae. Hincmarus vero tenebat, tantum res dubias et implexas, ac metropolitanorum accusationes, esse causas majores ad Sedem Apostolicam referendas.

[1]) De antiquis Collect. canonum in appendice ad Opera s. Leonis.

[2]) Kirchenrecht, B. IV. §. 174.

[3]) Kirchengeschichte (1876) B. I. Abth. 2. S. 590. „Falsa est ea suppositio, Nicolaum provocasse ad Pseudo-Decretales Isidori." Existimat auctor, Nicolaum Decretales Isidori non cognovisse.

haud asserat, Nicolao Pseudo-Decretales ignotas fuisse, statuit, eum in suis decisionibus iis nisum non esse, eo quod dubiam haberet earum genuinitatem.[1]) Contrariam sententiam tamen, ne loquamur de aliis auctoribus heterodoxis, tenet Hinschius, atque inter varios auctores catholicos nostri temporis Illmus Hefele[2]), Kraus[3]), de Regnon l. c. — Quid in hac quaestione difficiliori statuendum videatur, paucis exponemus.

Haud mutavit disciplinam. 91. Falsum est 1°. Nicolaum Pontificem, quoad auctoritatem Romanorum Pontificum, loco disciplinae antiquae novam ab eadem omnino diversam in Ecclesiam introduxisse, eaque in re nisum esse Pseudo-Decretalibus Isidori. Jam vidimus, generatim post vulgatas Pseudo-Decretales disciplinam nequaquam quoad substantiam mutatam fuisse, sed modificationes quae eo tempore praevaluerunt, praecedente tempore praeparatas fuisse, et passim Romanos Pontifices eumdem vel similem agendi modum secutos esse. — Insistit de Regnon praecipue in eo, quod inde ab anno 865 Nicolaus proclamaverit illud principium, causas episcoporum esse majores, et sine consensu Romani Pontificis eos deponi non potuisse. Censet videlicet, quum Rothadius anno 864 Romam venisset, Nicolao Pseudo-Decretales innotuisse, et inde ab anno 865, quo epistolam dedit ad Concilium Suessionense, eum Pseudo-Decretalium leges adoptasse et proclamasse. Sed advertendum est, jam antequam Rothadius Romam venisset, annis 863 et 864, a Nicolao in litteris suis edici, episcopos sine consensu Pontificis non esse deponendos, et ad Sedem Apostolicam pro definitiva sententia recurrendum esse, etiam si appellatio non intercesserit. Atque ipsis *canonibus Sardicensibus,* qui ab adversariis tamquam regulae disciplinae diversae exhibentur, Nicolaus maxime insistit.

Nititur canonibus antiquis. 92. Anno 863, videlicet post depositionem Rothadii, scripsit Pontifex ad episcopos qui in conventu Silvanectensi et Suessionensi eum judicaverant: *Ignorare autem*

[1]) Etudes relig. 1870. p. 77. Les fausses décrétales.
[2]) C. G. B. IV. §. 472. [3]) K. G. §. 80. S. 273.

fraternitatem vestram non patimur, animum nostrum non mediocriter laesum, eo quod secundum gestorum tenorem . . . appellantem eumdem Rothadium Apostolicam Sedem deposueritis. . . . Quis autem nesciat constituta Sardicensis Concilii, quae praecipiunt post aliquot capitulo IV: „Si quis episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, et putaverit se bonam causam habere, ut iterum concilium (judicium) *renovetur, si vobis placet, sancti Petri memoriam honoremus, ut scribatur ab his qui causam examinarunt Julio Romano Episcopo, et si judicaverit renovandum esse judicium, renovetur et det judices.“ . . . Sed sicut in suggestionum vestrarum invenimus scriptis, non habuisse Rothadium appellationis vocem affirmare conamini, eo quod non habuerit bonam causam: quum constet, saepe fatum Rothadium usque hodie bonam se habere causam putare, et venerandum concilium non solum eum qui causam habet, sed et illum qui se bonam causam habere saltem putaverit, Sedem Apostolicam appellare permiserit, et hujus ab ea renovandum judicium decreverit. Maxime cum juxta constitutionem sanctae hujus synodi, etiamsi nunquam reclamasset, nunquamque Sedis Apostolicae mentionem fecisset, a vobis qui causam ejus examinastis, memoria sancti Petri honorari debuerat, atque ei perscribi, ut si judicaret renovandum esse judicium, renovaretur et daret judices.*[1]) Simili ratione Nicolaus etiam Hincmaro scribit: *Debuerat certe beatitudo tua, quum Rothadium toties examinaveras, scribens sancti Petri memoriam honorare, ejusque judicium, etiamsi nunquam appellasset idem Rothadius, modis omnibus praestolari.*[2])

93. Vides igitur Nicolaum, antequam Rothadius Romam venisset, jam illud proposuisse principium, depositionis sententiam definitivam contra episcopum, etiamsi episcopus Romam non appellet, ferri non debere judicio s. Sedis haud audito. In sua vero sententia nititur verbis canonis IV (potius III) Sardicensis. Quum episcopus qui censet se bonam causam habere, dum aliter censent ejus Ejus principia.

---

[1]) Ep. XXXII. Coll. Conc. Labbaei, T. VIII. col. 414 sqq.

[2]) Ep. XXVIII. ibid. col. 407.

judices, appellare soleat ipse, a variis quidem iste canon *de appellatione* exponitur. Sed juxta verba ejus revera ipsi episcopi judices tenentur Romam referre, si episcopus eorum judicio non acquiescit.[1]) Id certo patet, Nicolaum sua principia ex jure antiquo propugnasse.

94. Idem vero praestitit Nicolaus, quando restituit Rothadium (a. 865); et in variis documentis quae eo spectant, nunquam (saltem speciatim) provocat ad aliquam Decretalem apocrypham, sed ad varios canones et regulas antiquae disciplinae. Ita ad Carolum Calvum scribit: *Denique ut pauca de multis commemorem, si adversus provinciae metropolitanum episcopus vel clericus habeat querelam, juxta Chalcedonenses regulas jubetur, ut petat primatem dioeceseos aut sedem regiae urbis CPtanae et apud ipsum judicetur. Quod tamen nulli dubium est, multo magis apud Romuleam urbem quam apud CPtanum esse penitus observandum. Nam et ipse Rothadius secundum Sardicense Concilium agendum sibi negotium in urbe Roma clamavit. Et beatus Innocentius papa „sine praejudicio Romanae ecclesiae" praecipit, cum causae vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis tam etiam inferioris, fuerint exortae, nulli licere, relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Sed et Papa Julius orientalibus scribens, utramque partem, Athanasii scilicet et adversariorum ejus, accelerare praesentiam, quatenus utraque parte praesente audiretur reus, et ab omnibus condemnatus de caetero cohiberetur a sacerdotio.*[2]) Similiter in epistolis scriptis ad Hincmarum atque ad episcopos Galliae de Rothadii restitutione Pontifex dum privilegia Sedis Apostolicae vindicat, nominatim provocat semper ad canones, regulas, Pontificum decreta, quae nequaquam ex Pseudo-Decretalibus promit, sed quae dudum in Ecclesia nota erant. Ita provocat ad

[1]) Cfr. quae diximus de canonibus Sardicensibus, Dissertationum t. II. p. 17 sqq — Vides, etiam Nicolaum Pontificem canonem III Sardicensem haud intellexisse de appellatione sensu stricto.

[2]) L. c. col. 791.

Concilium Nicaenum et Sardicense, ad Julium, ad Innocentii effata de causis majoribus, ad Gelasium, ad Leonem et canonem Chalcedonensem jam citatum.[1])

95. Verum, ut plane pateat, Nicolaum, ut vindicet Sedis Apostolicae privilegia quoad judicia episcoporum, haud in Collectione Isidori invenisse suam theoriam, sed principiis potius generalibus iisque firmissimis niti, sufficiat haec illius verba citare: *Privilegia enim sua a Christo ecclesia Romana per Petrum consecuta est, et ipsa sunt statuta Christi: quae quidam . . . nunc post octingentos annos exinanire conantur. Ecclesiae inquam Romanae sunt antiqua et vetera privilegia, ut Nicaena synodus, sicut Bonifatius praesul Apostolicus episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait, non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videretur nihil supra meritum suum posse confiteri. Omnia denique noverat huic Domini sermone concessa. Si omnia, ergo et episcoporum judicia. . . . Christus enim privilegia constituta in Petro, disposita, et firmata Romanae contulit ecclesiae, super quam nihil synodus quaelibet ausa est merito constituere, cum sciat omnia illi Domini sermone concessa. Dispensationem quippe redemptionis humani generis ante tempora saecularia Dominus omnipotens penes se ordinatam custodiens, et tempore carnis ostendens, ascensurus ad coelos in Apostoli Petri, per quem et apostolatus et episcopatus sumpsit exordium, confessione curaque praecipue collocavit. Qui tunc per se et deinceps per suae sollicitudinis haeredes, circa humanum genus, quae sibi Dominus commendavit non destitit exhibere.*[2]) Fundamentum igitur firmissimum disciplinae et juris quae a Nicolao inculcantur, ipse statuit esse in *plenissima* illa totius gregis pascendi *potestate*, quam Salvator B. Petro ejusque successoribus contulit, quamque et sibi convenire Pontifex persuasum habebat. Eamdem vero disciplinam in multis invenit exhibitam Conciliorum et Pontificum decretis, quae jamdudum notissima erant.

Plena auctoritas Sedis Romanae.

---

[1]) V. Labbe VIII. 795. 797. — Cfr. notam ad n. 89.

[2]) Epist. ad Episcopos Galliae; l. c. p. 803.

Praesules Galliae.

96. Caeterum praesulibus Galliae principia Nicolai de judiciis episcoporum nullatenus inaudita, vel ipsorum dignitati et auctoritati noxia visa sunt. Hincmarus quidem, dum favore Caroli Calvi fruitur, invehit in ea quibus dominationem suam, quam ut metropolitanus sectabatur, confringi advertebat. Sed quum a. 867 ex favore regis excidisset ipse, postquam Rothadius restitutus, Wulfadus autem et socii ejus in clerum admissi essent, cum reliquis praesulibus, et ordine primus, in epistola synodica synodi Trecensis (a. 867) ad Nicolaum scribit: *His ergo ita pro quantitate intelligentiae nostrae decursis, summisse devotionis obsequio vestri Apostolatus exoramus magnificam beatitudinem, ut sapientissima indagine consideratis utriusque partis relatis, more beatissimorum praedecessorum vestrorum, quae de statu sacri pontificalis ordinis ab eis statuta et impraevaricabili auctoritate firmata sunt, ut immota de caetero maneant, mucrone apostolico quorumcumque metropolitanorum temeraria praesumptione suppressa, quin etiam reliquorum episcoporum quorumcumque, seu quantorumcumque audaci conniventia penitus summota* (videntur ad Ebbonis fata alludere), *privilegia et decreta servari innovata constitutione decernatis, ita ut nec vestris nec futuris temporibus praeter consultum Romani Pontificis de gradu suo quilibet episcoporum dejiciatur, sicut eorumdem sanctorum antecessorum vestrorum multiplicibus decretis et numerosis privilegiis stabilitum modis mirificis exstat; videlicet ne aliqua varietate aut vilitate summus ordo diaboli administratione nutare aut irregulariter labefactari sinatur, domine beatissime, et omni orbi papa celebrande.*[1]) Huic epistolae synodicae subscripserunt, primus Hincmarus metropolita, cum ipso triginta archiepiscopi et episcopi, et undecim abbates.

An noverit Nicolaus I Pseudo-Decretales.

97. Quod si quaeritur 2° utrum Nicolaus Collectionem Pseudo-Isidori *cognoverit*, sunt qui existimant, ei Pseudo-Decretales illas haud notas fuisse. Ac revera saltem anno 858 nondum videtur eas cognovisse. Hoc enim anno Servatus Lupus abbas Ferrariensis, nomine Wenilonis archi-

[1]) Labbe VIII. p. 879.

episcopi Senonensis consuluit Nicolaum de Herimanno episcopo Nevernensi laborante mentis infirmitate. In epistola ista scribit: *Dicitur autem Melchiades papa decrevisse, ne quis unquam pontifex sine consensu papae Romani deponeretur. Unde supplicamus, ut statuta illius integra sicut penes vos habentur nobis dirigere dignemini.*[1]) — In epistola qua Nicolaus Weniloni respondit[2]), eum laudat quam maxime, quod ad Sedem Apostolicam in quaestione dubia se direxerit, sed nihil plane dicit de ejusmodi Melchiadis decreto, quod in Pseudo-Decretalibus habetur. Unde dixeris, tunc ei Isidori Collectionem fuisse ignotam. — Subsequentibus tamen annis in epistolis suis Nicolaus passim commemorat priscorum Pontificum Decretales quae in Codice non contineantur. Plures quidem Nicolai sententiae aptissime explicantur de Decretalibus genuinis ac jamdudum notis; quibusdam tamen effatis alludere videtur ad illas Pseudo-Decretales recentiori tempore in Francorum regno saepe citatas.

98. Praesertim in epistola illa ad episcopos Galliae, quam anno 865 Rothadio restituto eis scripsit, mandans, ut bene illum reciperent, aliqua habentur quae a plerisque auctoribus ad Pseudo-Decretales referuntur. Sententias has exhibere convenit. *Et si*, ait, *Sedem Apostolicam* (Rothadius) *nullatenus appellasset, contra tot tamen, et tanta vos decretalia efferre statuta, et episcopum inconsultis nobis deponere nullo modo debuistis. Quod tamen vos, ut servata vobiscum medullitus caritate dicam, postposuisse dolemus, et diversorum Sedis Apostolicae praesulum decreta in hoc vos contempsisse negotio, non immerito reprehendimus. Absit enim ut cujuscumque usque ad ultimum vitae suae diem qui in fide catholica perseveraverit, vel decretalia constituta vel de ecclesiastica disciplina quaelibet exposita debito cultu et cum summa discretione non amplectamur opuscula, quae dumtaxat et antiquitus sancta Romana ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita vene-* Videtur novisse.

---

[1]) V. Labbe Coll. Conc., T. VIII. col. 511. [2]) Ibidem col. 512.

ratur. Absit, ut scripta eorum quoquo modo parvipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore sanctam Ecclesiam aut roseo cruore floridam, aut rorifloris sudoribus et salubribus eloquiis adornatam. Si enim ipsorum decreto caeterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, . . quanto potius quae ipsa pro catholica fide, pro profanis dogmatibus repellendis, pro variis et multifariis ecclesiae necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore praeferri, et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi. Quamquam quidam vestrum scripserint, haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, cum ipsi, ubi suae intentioni haec suffragari conspiciunt illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem potestatis Sedis Apostolicae et ad suorum argumentum privilegiorum, minus accepta esse perhibeant. Nam nonnulla eorum scripta penes nos habentur, quae non solum quorumcumque Romanorum Pontificum, verum etiam priorum decreta in suis causis praeferre noscuntur. At nunc ubi suis animis resultare, et privilegia tanto nos, ut in sui status incolumitate persistant, elaborare non cessamus, quanto universae ecclesiae profuisse, prodesse ac profutura semper esse probantur. Dignum ergo est, ut ubi universa fabricae moles innititur, ibi firmum habeatur validumque in omnibus fundamentum. Porro si ideo non esse decretales epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in codice canonum non habentur adscriptae, ergo nec Gregorii sancti, nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quod in codice canonum non habeatur adscriptum. . . Consonat . . . papa Gelasius ita inquiens: Decretales epistolas quas beatissimi papae diversis temporibus de urbe Roma, pro diversorum patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendas decernimus. Dictis autem diversis temporibus etiam illa tempora vir sanctus comprehendit, quae crebrescentibus paganorum persecutionibus ad Sedem Apostolicam deferri causas episcoporum difficillime permittebant. His ita divina favente gratia praelibatis,

ostendimus nullam differentiam esse inter ea decreta, quae in Codice canonum habentur sedis apostolicae praesulum, et ea quae prae multitudine vix per singula voluminum corpora reperiuntur.

99. Quamvis plura ex iis quae Nicolaus dicit de Decretalibus priscorum Pontificum in Codice canonum non contentis, possent per se referri ad epistolas aliquas genuinas, uti ad Julii epistolam, vel ad quaedam scripta apocrypha jam dudum vulgata, uti acta Silvestri ejusque synodi, tamen quaedam in hisce occurrunt, quae sensu obvio et naturali designant Decretales priscorum Pontificum in Collectione Isidori contentas. Dum enim Nicolaus de Pontificibus loquitur, *qui crebrescentibus gentilium persecutionibus scripserunt*, vel *qui suo cruore Ecclesiam decorarunt*, ad trium priorum saeculorum Pontifices eorumque litteras alludit. — Idem satis inde apparet, quod refellat eam objectionem, quam praecipue Hincmarus Rhemensis afferebat occasione Decretalium Pseudo-Isidori, videlicet valorem canonicum habere canones et Decretales in Codice recepto contenta, non vero alias Decretales. Advertit, id dici a quibusdam qui tamen ipsi ad sua privilegia tuenda iis Decretalibus utuntur; et citat inter alia Gelasii Pontificis effata, ut etiam Decretalibus hisce auctoritatem vindicet. Haec optime conveniunt cum ratione agendi Hincmari Rhemensis, cujus aliqua scripta in causis Wulfadi et Ebbonis atque Rothadii certe Romae habebantur. Videtur autem Hincmarus in opusculo LV Capitulorum, quod a. 870 mortuo jam Nicolao confecit, ad illa Nicolai dicta alludere, quum distinctionem suam exponens (vide sup. n. 65), explicare etiam studet Gelasii verba, quae a Nicolao allata erant. Unde, quum Hincmarus ibidem certe de Decretalibus Isidori loquatur, colligere licet, eum Nicolai dicta de hisce Decretalibus intellexisse. Caeterum nec per se videtur probabile, Romae Isidori Decretales, quum tantus earum usus esset in Francia, et illius regni episcopi multiplicia tum haberent cum Pontifice negotia, tamdiu ignota mansisse, ut Nicolaus eas a. 865 nondum noverit.

Indicantur Pseudo-Decretales.

100. Attamen 3° nullatenus speciali quodam modo ex hisce Decretalibus, ac si iis indigeat ad auctoritatem et privilegia Sedis Apostolicae vindicanda, Nicolaus eadem privilegia demonstrat, nec unquam aliquam ex hisce Decretalibus nominatim citat. Sed, uti vidimus, auctoritatem et jura RR. Pontificum probat ex principiis generalibus, quae verbis Christi nituntur, et ex Decretalibus, canonibus, aliisque traditionis documentis nulli controversiae obnoxiis et jamdiu notis. Tantummodo fortasse implicite et quadamtenus dici posset etiam illis Pseudo-Decretalibus niti, quatenus propter exceptiones a quibusdam prolatas, generatim defendit valorem Decretalium, quae in Codice non continentur, et docet, etiam ex iis merito firmari privilegia sanctae Sedis. Nominatim autem eas non citavit, quia erant documenta nova, eousque in quaestionibus juris a s. Sede non adhibita, quodque aliqui episcopi earum auctoritatem canonicam impugnarent. Haud vero apparet Nicolaum de earum genuinitate dubia positiva habuisse.

Nicolai I studium.

101. Nec 4° velim negare, Nicolaum cognitis Pseudo-Decretalibus firmatum fuisse in ea agendi via, qua jam antea utebatur, quaque studebat difficillimis illis temporibus Sedis Apostolicae auctoritatem et jura in causis ecclesiasticis disponendis ac dirimendis urgere et vindicare. Pristinis enim temporibus, uti diximus, disciplina ecclesiastica non erat in omnibus et quoad singula tam accurate canonibus et regulis determinata, ut non possit inveniri variis in regionibus, variis in adjunctis et variis temporibus quaedam diversitas. Aliquando metropolitani et synodi provinciales consentiente Romano Pontifice causas episcoporum et ecclesiarum judicabant et terminabant, aliquando vero, ubi id necessarium vel opportunum videbatur, Pontifices jura primatus sui majori amplitudine majorique vigore exercebant. Hoc diebus s. Nicolai valde necessarium erat, quia Oriens ad schisma vergebat, et in Francia ac Germania ob regum et factionum politicarum dissensiones multa arbitrario modo fiebant, ita ut jura divina et humana violarentur. Merito igitur Pontifex influxum suum ut Ecclesiae capitis, et jura insita primatus,

magno cum vigore exercere nisus est. Quod si jam fecit antequam ei nota esset Collectio Isidori, mirum non est, si in hac agendi via forte confirmatus est, postquam etiam Romae innotuerunt Pseudo-Decretales. Hac ratione igitur admitti potest, eas tum tempore Nicolai, tum aetate proxime subsequente aliquid contribuisse, ut magis *stabiliretur* et *confirmaretur* talis disciplinae modus, quo Romanus Pontifex frequentius et majori vigore atque influxu in judiciis et causis episcoporum et conciliorum provincialium interveniret.

102. Ne vero *difficultates* videamur effugere, oportet hoc loco expendere argumentum, quo de Regnon probare conatus est, revera a Nicolao vi Collectionis Pseudo-Isidori et auctoritate illarum Decretalium, omnimodam factam esse juris mutationem quoad judicia episcoporum. Comparat cum epistola illa, scripta a Nicolao a. 865 ad episcopos Galliae, qua restituto Rothadio auctoritatem s Sedis in judicandis et deponendis episcopis fortiter tuetur, aliam epistolam, quam Pontifex a. 862 scripsit ad Salomonem Britanniae minoris regem. Advertit, eâdem alia plane principia proponi, et metropolitanis multo majora jura attribui, secundum disciplinam antiquam. Quum vero anno 864 Collectio Pseudo-Isidori ad notitiam Nicolai pervenisset, et exinde omnino diversa ab ipso statuantur, jure concludere licet, Pontificem vi illarum Decretalium disciplinam penitus immutasse. **Sententia opposita.**

103. Ut quae huc pertinent intelligantur, paucis referre convenit, quaenam eo tempore apud Britones acciderint. Versus annum 850 Nomenoius princeps Britonum, excussa Francorum dominatione, proprium sibi regnum constituit, atque ipse rex tunc Alethensi, Briocensi, Trecorensi, caeterisque qui in ejus ditione erant episcopis, Dolensem episcopum metropolitani jure proposuit. Volebant enim Britones, uti novum regnum creaverant, ita et novum sibi metropolitanum suscitare, quum eousque sub Turonensi metropolitano illius regionis episcopi fuissent. Auctore principe igitur schisma factum est illorum episcoporum a legitimo ipsorum metropolitano, et lites ista de re diuturno **Britonum causa.**

tempore perdurarunt. Praeterea Nomenoius rex ejusque successores, Heruspeus ac dein Salomon, episcopos criminum accusatos per judices laicos judicabant, damnabant, et ex suis sedibus ejiciebant. Jam praedecessores s. Nicolai, Leo IV et Benedictus III, quamvis in principes vix e paganismo conversos prudenti oeconomia uterentur, plures epistolas ad illos reges dederant et ad praesules, ut eos deterrerent ab arbitrario modo agendi, utque metropolitano Turonensi sua jura restituerentur. Ad haec negotia etiam epistola Nicolai pertinet.

Nicolai epistola.

104. Inter alia Pontifex scribit: „De caetero sciat prudentia tua, nos de ejectis et in locis illorum aliis subrogatis episcopis diligenter in archivis sanctae Romanae ecclesiae requisivisse, et multo aliter in exemplaribus epistolarum, quae a decessoribus meis, beatae videlicet memoriae Leone ac Benedicto Pontificibus, atque a me, Nomenoio, et tibi, necnon archiepiscopo Turonico datae sunt, papam Leonem Nomenoio consilium vel auctoritatem deponendi episcopos tradidisse: quippe quem constat multifarie multisque modis, ne hoc ab aliis quam a certo episcoporum numero fieret, praecepisse. Nam Nomenoio consulenti quid de Spiritus Sancti gratiam venumdantibus oporteret fieri, respondet, nihil, inquiens, praeter quod sancti canones super his praecipiunt, ipsas regulas apicibus suis interserens... ‚Nam nullam damnationem episcoporum esse unquam censemus, nisi aut ante legitimum numerum episcoporum, qui fit per duodecim episcopos, aut certe probata sententia per septuaginta duos idoneos testes, qui tales sint, qui et accusare possint, et prius ad sacra Christi quatuor Evangelia sacramenta praestent, quod nil falsum depromant, sicut nobis beatus Silvester et sancta Romana tenere videtur ecclesia.‘ Quam secutus decessor meus sanctae memoriae Benedictus, quia contra decessoris sui decretum, non ab episcopis sed a laicis, episcopos in regione tua cognoverat esse dejectos, multa moestitia et indignatione repletus, scripsit, quod nulla ratio sineret episcopos a suis sedibus pelli, quos duodenarius numerus non ejecisset. Quorum vestigia et ego quoque secutus

eadem censui, imo et censeo, nec ullam posse episcopos sui honoris sustinere jacturam, quos non constat fuisse a duodecim episcopis, praesente primamque sententiam metropolitano episcopo obtinente, cum examinarentur auditos. . . . Si vis Dei omnipotentis benedictionem percipere, vel si veraciter nostra consequi praecepta desideras, consilium meum accipe, et quod tibi per hanc paginam indico libenter attende. Hortamur enim gloriam tuam, et cum aequivoco tuo sapientissimo Salomone dilectionem tuam admonemus, dicente: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae.* Haec quippe sunt praecepta Dei patris tui, et haec est lex Ecclesiae matris tuae. Videlicet ut omnes episcopos regni tui ad Turonensem archiepiscopum mittere non detrectes, ipsiusque judicium postulare non dedigneris. Ipse enim est metropolitanus, omnesque episcopi regni tui ejus suffraganei sunt, sicut conscriptiones praedecessorum meorum evidenter ostendunt, qui praedecessores tuos, quia illos ab ipsius cura subtraxerant, forti invectione corripere studuerunt: quamvis nec nostra scripta super hac re missa deesse videantur. Cumque coram praesignato Turonensis ecclesiae praesule et integro numero collegarum, id est duodecim episcoporum celebrato conventu, fuerint ejecti episcopi regulariter examinati, apparueritque, quod canonice fuerint ejecti, ipsis in sua ejectione manentibus, quicumque in locis eorum consecrati sunt, poterunt utique episcopatus honore potiri. Quodsi ejecti episcopi insontes fuerint declarati, his amotis qui illis subrogati sunt, ecclesias suas ipsi recipiant. Nam cum antecessores mei praesules ejectionem eorum episcoporum, qui ab ecclesiis suis expulsi sunt, non admiserint, nec approbaverint, nec ipsos qui eis subrogati sunt viventibus illis, legitimos episcopos dixerunt. Sane si forte ad Turonensem archiepiscopum mittere dedignaris, stude duos episcopos de expulsis, et duos de subrogatis, una cum gloriae tuae legato, ad apostolicam sedem Beati Petri transmittere, ubi digna examinatione praemissa, qui legitimi episcopi sint appareat, et suas ecclesias irregulariter non amittant. Nihil

enim aliud est, quod in praesenti negotio penitus definiri possit." [1])

Perpenditur quaestio.

105. Ex hac igitur epistola cum litteris posterioribus comparata, de Regnon suam sententiam probat, Collectionem videlicet Isidori talem influxum exercuisse in Nicolaum, ut penitus immutaret disciplinam. Sed si attente consideratur status rerum et Pontificis epistola, patebit, argumentum illud esse nullius valoris. Jam animadvertimus, ab antiquo tempore haud unicum fuisse modum agendi in judiciis episcoporum, ita ut modo metropolitani et synodi provinciales consentientibus Pontificibus negotia terminarent, modo, ubi id necessarium vel opportunum erat, Romani Pontifices directe intervenirent et sententiam definitivam pronuntiarent. Vidimus, etiam in Collectione Isidori varias nec inter se convenientes regulas de istis negotiis proponi. Imo illa quoque norma, quam Nicolaus in epistola citata sequitur, videlicet a metropolitano et duodecim episcopis judicium esse instituendum, habetur in Collectione Isidori, scilicet in Actibus apocryphis Silvestri jam antea notis, et in epistola prima Pelagii II. Porro Nicolaus eo in casu merito illi regulae insistit, nec convenienter alia scribere potuit.

106. Etenim recolendum est, jam praedecessores Nicolai, Leonem IV et Benedictum III, cum Britonum regibus et praesulibus de istis negotiis tractasse, et in epistola sua Nicolaum provocare ad praedecessorum suorum litteras ac mandata, Salomonique exponere, quid Leo IV Nomenoio regi mandaverit. Debuit igitur Nicolaus prudenter iisdem regulis insistere, idque etiam scopo duplici ejus epistolae conveniebat. Providendum videlicet erat, ut praesules liberarentur ab arbitrio regis et judicum laicorum, qui eos ad tribunalia saecularia citabant, damnabant et deponebant, utque simul connexio episcoporum cum legitimo eorum metropolitano, et subjectio eorum sub ipso restituerentur. Minus igitur intererat, ea occasione privilegia Sedis Apostolicae urgere, quam debitam metropolitano reveren-

[1]) Labbe. Coll. Conc. T. VIII. col. 509.

tiam et perturbati ordinis hierarchici promptam restitutionem, quae ea via, quam Pontifex indicabat, celerius obtineri poterat. Caeterum suam auctoritatem Nicolaus per se ejusmodi epistola scripta egregie exercebat. Quumque satis praevideret, nec regem nec episcopos velle agnoscere metropolitanum Turonensem, quamvis indubie legitimum, ad eumque causas deferre, prudenti oeconomia Pontifex non insistit rigori juris, secundum quod tenebantur ut metropolitanum episcopum Turonensem revereri; sed pro suprema sua auctoritate directum recursum ad Sedem Apostolicam iis designat.

107. Hinc luculenter colliges, ex ea epistola nullatenus inferri, Nicolaum primis pontificatus annis sollicite institisse normae cuidam praecisae, quae supponitur disciplinae antiquae fuisse, ac dein animum mutasse. Immerito autem urgentur illa verba Nicolai: *Haec est lex Ecclesiae matris tuae,* ac si illa apprime spectarent modum judicii per metropolitanum ac duodecim episcopos. Generatim enim Nicolaus, ibidem applicans textum Proverbiorum, istis verbis utitur, ut denotet quae dein Salomoni mandat et commendat, utque iis majorem conciliet auctoritatem.

108. Jam examinare convenit, utrum *Hadrianus II* Nicolai I successor auctoritatem Sedis Apostolicae ex Decretalibus Pseudo-Isidorianis vindicaverit et amplificaverit. Ipse certo semel in suis epistolis textum allegat ex epistola Anteri, quae in Collectione Isidori invenitur, haud tamen urget auctoritatem Sedis Apostolicae. Obsequens petitioni praesulum Galliae concedit, ut Actardus episcopus Nannetensis transferatur ad archiepiscopatum Turonensem, eaque occasione plura affert, ut ostendat, ob gravia motiva ejusmodi translationes, quae generatim in Occidente improbabantur, fieri posse. Scribit igitur inter alia: *Nam sicut synodus* (Duziacensis) *expostulavit, plebs et Turonicus clerus eum concorditer elegit, per nostrae apostolicae auctoritatis decretum constituimus cardinalem metropolitanum et archiepiscopum Turonicae ecclesiae atque provinciae: quoniam dicente Antero papa in epistola sua, quibusdam eum de mutatione episcoporum de civitate in civitatem consulentibus:*

Hadrianus II citat Anterum.

Scitote, eam communi utilitate atque necessitate fieri licere, sed non libitu cujusquam aut dominatione. Petrus namque, sanctus magister noster et princeps Apostolorum, de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset. Eusebius quoque de quadam parva civitate apostolica auctoritate mutatus est Alexandriam. Similiter et Felix de civitate qua ordinatus erat electione civium, propter doctrinam et bonam vitam quam habebat, communi episcoporum et reliquorum sacerdotum ac populorum consilio translatus est ad Ephesum. Non enim transit de civitate in civitatem, qui non suo libitu hoc facit, aut ambitu, sed utilitate quadam aut necessitate coactus, aut utilitate loci aut populi, non superbe sed humiliter ab aliis translatus et inthronizatus est, quia homo videt in facie, Deus autem in corde.[1] Vides, nihil in his haberi ad jura RR. Pontificum amplificanda.

Oratio Anonymi.

109. Sed aliud exstat documentum a variis auctoribus Hadriano II attributum, quod nostro tempore exhibitum fuit ut argumentum insigne quo probetur, Decretalibus Pseudo-Isidori Hadrianum maxime innisum esse, ut auctoritatem Sedis Apostolicae vindicaret et inculcaret. Jam Muratorius ex codice Mediolanensi publicaverat partem orationis cujusdam habitae in synodo aliqua, quam ipse quidem opinatus est celebratam fuisse Romae sub Nicolao I anno 864.[2] Sed dein graves auctores, uti Mansi, Jaffé, Dümmler, agnoverunt ex indole ipsius orationis, posteriori tempore habitam fuisse illam orationem, scilicet anno 869; quodque jam conjecerat Mansi[3], pro certo habuerunt alii, videlicet orationem illam prolatam esse in synodo celebrata, quum Lotharius in Monte Cassino a. 869 cum Hadriano Pontifice conveniret, ut de divortio ab uxore Teutberga tractaret. Atque viri illi opinati sunt, orationem hanc seu allocutionem attribuendam esse ipsi

---

[1]) Coll. Conc. Labbe, T. VIII. col. 932.

[2]) Oratio anonymi cujuspiam episcopi, habita in synodo Romana anno Christi DCCCLXIV. Rerum Ital. Scriptores, Tom. II. Pars altera, p. 133.

[3]) Coll. Conc. T. XV. p. 890.

Hadriano Pontifici, qui eam ad praesules synodi coactae direxerit.[1] — Accidit autem aliquot ante annos, ut vir eruditus Maassen, quum perlustraret codicem illum Mediolanensem, animadverteret, minorem tantummodo illius orationis partem a Muratorio aliisque auctoribus editam esse; unde ipse etiam alteram partem publici juris fecit. Jamvero in hac altera parte auctor orationis maxime in eo versatur, ut Sedis Apostolicae jura et auctoritatem ex variis Pseudo-Isidori Decretalibus commendet ac vindicet. Unde Maassen existimans, ab Hadriano II eam orationem in synodo Cassinensi habitam esse, advertit, tunc prima vice usui amplissimo serviisse falsas Decretales, ut plenitudo potestatis Sedis Romanae ex iis probaretur.[2]

110. Et re quidem vera, si oratio illa Hadriano II Pontifici tribuenda est, negari nequit, eum Sedis Apostolicae auctoritatem in eadem magnopere ex Pseudo-Decretalibus Isidori vindicasse. Etenim ultra triginta Pseudo-Decretalium textus, qui septemdecim variis Pontificibus tribuuntur, auctor orationis affert, ac spectatis textuum ordine ac verbis liquet, ex Collectione Pseudo-Isidori omnia ista esse desumpta. At vero illud quaeritur, utrum reapse oratio ista habita sit ab Hadriano II Pontifice in synodo Cassini celebrata. Negandum id esse censemus. — Quaestionem hanc egregie discussit A. Lapôtre, solidisque ipse probavit argumentis, orationem illam neutiquam ab Hadriano Pontifice, sed ab aliquo episcopo habitam esse in synodo aliquot episcoporum, qui quantum videtur potius Romae, mense Julio a. 869, post conventum in monte Cassino habitum, congregati sunt, ut ex mandato Hadriani II de causa Lotharii et de restitutione duorum

Pseudo-Decretalia citata.

---

[1] V. Jaffé. Regesta RR. Pont. p. 257. — Dümmler, Geschichte des ostfränkischen Reiches. Berlin 1862, t. I p. 678, n. 51.

[2] V. Eine Rede des Papstes Hadrian II vom Jahre 869. Die erste umfassende Benützung der falschen Decretalen zur Begründung der Machtfülle des römischen Stuhles. Von Fr. Maassen, corresp. Mitgliede der Akademie der Wissenschaften. Sitzungsberichte der philosoph.-hist. Classe der kaiserl. Akademie der Wissenschaften, Jahrg. 1872. B. 72. S. 521. Wien 1872.

praesulum, Guntharii Coloniensis et Zachariae Anaguiensis tractarent.[1])

Hadrianus in Monte Cassino.

111. In monte Cassino, quum Hadrianus II et Lotharius convenirent, episcoporum synodum celebratam fuisse, nullo indicio ex historicis colligitur; imo adjuncta suadent, Pontificem sine episcoporum plurium comitatu ad illum conventum adscitum fuisse, quo facilius Lotharius quod desiderabat obtineret. Ab Hincmaro in Annalibus res hisce refertur: „Lotharius autem Romam rediens, a latere ad suum fratrem in Beneventum usque pervenit, et apud eum per Engelbergam multis petitionibus obtinuit, ut ipsa Engelberga cum eo usque ad monasterium sancti Benedicti, quod in monte Cassino situm est, rediret. Quo etiam Adrianum papam eidem Engelbergae et sibi ex jussione imperatoris venire fecit, et apud eum, datis illi multis muneribus obtinuit, ut idem papa illi missam cantaverit, et sacram communionem hac convenientia ei donaverit, si, postquam Nicolaus papa Waldradam excommunicavit, nullum cum ea contubernium vel carnalis copulae mercimonium, quin nec colloquium quoddam habuerit. Ipse autem infelix, more Judae, simulata bona conscientia et impudenti fronte eamdem sacram communionem sub hac conventione accipere non pertimuit nec recusavit; sed et sui fautores cum eo ab ipso papa percepere communionem, inter quos et Guntharius, auctor et incentor hujus publici adulterii, communionem inter laicos ab eodem Adriano papa accepit.“[2]) Vides, nullum alicujus synodi hic inveniri vestigium; imo ex narratione Hincmari et ex adjunctis potius conjicitur, Lotharium in animo habuisse, ut quum solus Pontifex senex ad monasterium s. Benedicti veniret, ipse molli sermone et ope Engelbergae Imperatricis, mulieris in negotiis disponendis bene versatae, Hadrianum sibi conciliaret.

---

[1]) A. Lapôtre S. J., Hadrien II et les fausses Décrétales, Revue des Questions historiques 1880. Vol. 27. p. 377.

[2]) Pertz M. G. I. 481.

112. Narrat porro Hincmarus, Pontificem Romam redeuntem brevi Lotharium esse secutum, sed parum honorifice Romae receptum, demum tamen quaedam honoris vel benevolentiae signa regem obtinuisse; inde eum ejusque sequaces jam jactatione quadam augurasse plenam in sua causa victoriam.[1] Sed aliter ab Hadriano et a Romanis res fuisse dispositas, videlicet statutum fuisse, ut per legatos Pontificis in Gallia novum causae examen fieret, ac dein subsequente anno Romae in concilio amplissimo tota causa retractaretur.[2] Suus igitur hic est locus alicui synodo, quae mense Julio a. 869 Romae habita sit, quaeque ejusmodi dispositioni locum dederit. — Ex relatione Hincmari colligitur, in monte Cassino ista nondum determinata fuisse, Romae Lotharium jam optime sibi omnia cedere existimasse, sed aliter ab Hadriano et a Romanis statutum fuisse. Id aliqua synodo habita evenisse, per se satis probabile est; in ejusmodi synodum autem ea, quae in oratione de qua agimus continentur, omni ex parte conveniunt. Imo ab oratore ea praecise

Synodus Romana.

[2]) „Inde secunda feria Romam ingrediens, in palatio Lateranensi cum ipso apostolico prandidit, et datis ei muneribus in vasis aureis et argenteis obtinuit, ut ei Pontifex laenam et palmam ac ferulam daret, sicut et fecit. Quae munera ita ipse et sui interpretati sunt, videlicet ut per laenam de Waldrada revestiretur, per palmam victorem se in his quae coeperat demonstraret, per ferulam episcopos suae voluntati resistentes obsistendo distringeret." Annales ad a. 869; Pertz, M. G. I. p. 482.

[1]) „Sed aliter ab eodem papa et Romanis fuere disposita: nam idem pontifex Formosum episcopum et alium etiam cum eo episcopum, in has Galliarum partes mittendos disposuit, ut cum pluralitate episcoporum de his quae Lotharius petebat tractarent, et illi kalendas martii quae inventa forent in synodo renuntiarent, quam Romae in ipsis kalendis martii denuntiavit, quo etiam quatuor episcopos ex regno Ludovici, regis Germaniae, cum ipsius legatis, et quatuor episcopos ex regno Caroli cum ejus legatis, et quosdam episcopos ex regno Lotharii epistolis suis hac conditione venire praecepit, ut quae in synodo vel examinanda vel gerenda forent, in personis aliorum confirmarent, tam ex occidentalibus partibus quam ex orientalibus. Unde missos suos, quos nuper Constantinopolim pro contentione quam orientales cum Nicolao papa habebant, miserat, tunc venturos sperabat." Ibidem.

in causa Lotharii agenda proponuntur, quae ex Hincmaro ab Hadriano et Romanis decreta sunt.[1]

An Hadrianus orator.

113. Hac re igitur enucleata, quaeritur, utrum qui orationem illam in synodo habuit, fuerit Hadrianus Pontifex, an vero alius quidam episcopus. Orationem non ab Hadriano, sed ab aliquo alio episcopo habitam esse, ex tota indole orationis variisque indiciis certo eruitur. Quantum ex hoc documento aliisque illius temporis scriptis colligi potest, res ita se habuit. Hadrianus pro animo suo benigno ac moderationi addicto, quantum fieri poterat, salvis tamen principiis quae ejus praedecessor secutus fuerat, regi obsequi studebat. Hinc retractionem quamdam causae Lotharii et condemnationis Guntharii et Zachariae[2]) praesulum concesserat, ac Romae plurium episcoporum Italorum synodum congregaverat, cui illa negotia tractanda et dirimenda detulit. Jam vero erant Romae inter episcopos et proceres cleri, qui de Hadriani moderatione solliciti, etsi immerito, timebant, ne Pontifex a Nicolai principiis discederet, ea quae magno cum vigore ab illo disposita erant irrita redderet, atque ita s. Sedis auctoritatem minueret. Ex hisce autem, quantum conjicere licet, fuit ille episcopus, qui ad praesules in synodo congregatos orationem habuit. Totus in eo est, ut ostendat, Lotharii et illorum episcoporum causam malam esse, eamque jam summa auctoritate Nicolai Pontificis, seu Sedis Apostolicae, esse judicatam. Praesules synodi porro considerat ut aliquam episcoporum congregationem, quae modo illam

[1]) Dicit orator: „Nos enim petimus et humiliter suggerendo precamur ac per omnes Dei virtutes, quantum possumus, adjuramus, ut, si placet de sedis apostolicae judicio retractari, hoc agatur concilio et tractatu non solum nostrorum, sed etiam istorum regnorum episcoporum, necnon et, si fieri potest, orientalium utcumque antistitum, ubi scelera, quorum ultio falso injusta dicitur, proh dolor sunt admissa.“ V. Maassen l. c. p. 539

[2]) Zacharias Anagninus episcopus a Nicolao Pontifice a. 863 depositus erat, eo quod a. 861 ut legatus Pontificis Constantinopolim missus muneri suo turpiter defuerat, causamque Ignatii patriarchae prodens, Photii perfidiam comprobaverat. — Hac de re inferius agemus.

quaestionem jam summa auctoritate diremptam denuo exagitet, et nequaquam convenire censet, ut ab ipsis nova sententia feratur. Ab ipsa Sede Apostolica quidem, si velit, hac in re adhuc aliquid statui posse, admittit, viamque hoc posito suggerit, ut solemni concilio generali convocato novoque examine facto, dein ab ipsa Sede Apostolica, definitiva sententia feratur. Ut vero probet, quanti habendum sit judicium Sedis Apostolicae, utque ostendat, ipsam solam esse tribunal summum, et irrefragabilem auctoritatem ei convenire, congerit inter alia etiam plurimos illos textus ex Decretalibus Pseudo-Isidorianis.

114. Jam per se parum probabilis apparet illa suppositio, Hadrianum Pontificem ipsum, ex cujus arbitrio pendebat ut denuo causa Lotharii et illorum episcoporum discuteretur, in synodo habuisse orationem ejusmodi. Rem explicare studuerunt inde, quod coactus Imperatoris voluntate Pontifex in monte Cassino convenerit cum Lothario illamque synodum habuerit, atque ita ipse allocutione sua se potius oppositum ostenderit novo illi examini. Sed satis violenta est haec explicatio, nec solidum adest argumentum quo ipsa comprobetur; caeterum res admodum plana est ea quam proposuimus expositione. In ipsa porro oratione quam plurima sunt, quae alium oratorem, quam Pontificem, indicant, et orator iste passim, etsi indirecte, Hadriani tendentiae benignae restituendi episcopos dejectos a Nicolao sese opponit.[2]) Imo orator etiam indirecte Pon- Negative.

---

[1]) Ita initio orationis auctor dicit: „Humili prece deposcimus, ut nos qui minimi sumus omnium vestrum, si ea forte protulerimus quae reprehensione digna sunt, fraterno corripiatis et instruatis affectu, quoniam in his, quae divinis apta probantur mandatis et mysticas sanctorum patrum non violant sanctiones, vos sequi parati sumus et in nullo a vestris salubribus disciplinis ac monitis dissentire.“ L. c. p. 533 — Haec parum conveniunt Pontifici, qui synodi praeses fuisset.

[2]) „Hi enim, inquit, si talia in sacerdotio positi commiserunt, qualia, si ante sacerdotium vel clericatum committerent, ad clericatus vel sacerdotii officium non promoveri debuerant, quomodo nunc restaurari post lapsum debeant, non advertimus. . . . Possunt enim per hoc exemplum homicidae et adulteri vel caeteri nec ipsa fortasse communionis gratia digni, quantum ad nefas pertinet, restaurari. Unde non

tificem carpere non veretur. Guntharius Coloniensis episcopus, etsi excommunicatus, tamen in sua dioecesi officia pontificalia usurpaverat[1]). Zacharias Anagninus vero et Teutgaudus Trevirensis a Nicolao a communione remoti, ab Hadriano II sacram communionem in die coronationis ipsius receperant.[2]) Ad haec facta alludit orator illis verbis: „Caeterum perpendite, quaesimus, qualiter isti correcti sunt, qui non solum correctionem suam nequaquam ostendunt et delicta sua, quae etiam terras, ut fertur, occupant, non confitentur, verum etiam, sicut multorum relatio et scripta testantur, vetitum sibi officium quidam horum usurpasse refertur, quidam autem ante audientiam contra canones communicasse, sicut se murmur ecclesiae habet, proh dolor, criminatur."[3]) Quum Teutgaudus a. 869 jam obiisset, patet, Zachariam Anagninum episcopum hic designari ut eum, qui ante audientiam contra canones communicaverit, sicut se murmur ecclesiae habet. Carpitur hisce indirecte Hadrianus, qui eum ad communionem admisit: simulque dubio quodam modo res exprimitur, (sicut se murmur ecclesiae habet). Peremptorium inde colliges argumentum, Hadrianum qui ecclesiasticam communionem Zachariae concessit *sub congrua satisfactione*, uti in Vita Hadriani c. X dicitur, haud esse oratorem hunc, qui ad synodum orationem habuit. Videtur episcopus hic potius Romae abfuisse eo tempore quo Hadrianus consecratus est, quum incerto modo de illo facto loquatur.

Forte Formosus.

115. Atque haec absentia una ex rationibus est, quibus nititur conjectura probabilis, Formosum episcopum Portuensem oratorem illum esse qui orationem ad synodum pronuntiavit. Formosus, qui inter praesules tunc doctrina et peritia in negotiis gerendis eminebat, quando Hadrianus

---

solum generalis Ecclesiae et Petri specialiter privilegii vilescit auctoritas, verum etiam multifariae occasionis dilatatur iniquitas." L c p. 534.

[1] „Guntharius autem in ipsa coena Domini Coloniam veniens, missas celebrare et sacrum chrisma conficere, ut homo sine Deo praesumpsit." Hincmarus Rhemens. annal. a. 864

[2]) Anastas. Bibl. in *Vita Hadriani* c. X. [3]) L. c. p. 537.

consecratus est die 14 Decembris a. 867, nondum redierat a sua ad Bulgaros missione, uti auctor *Vitae Hadriani* c. IX. refert. Brevi post tamen reversus est; etenim ipse cum alio praesule consecravit in episcopos aliquos ex discipulis ss. Methodii et Cyrilli qui tunc Romae erant, eamque consecrationem merito viri eruditi factam existimant die 5 Januarii a. 868.[1]) Quae igitur acciderunt, quum initio hujus anni Teutberga Romam venisset, ac subsequente tempore, orator ut testis de visu accurate refert, de communione vero Zachariae *ante audientiam*, loquitur tanquam de re ipsi minus comperta, *uti murmur ecclesiae habet*. Caeterum vero integra illa oratio indoli, eruditioni, tendentiis Formosi episcopi Portuensis bene respondet. Unde et suppositionem, ipsi hanc orationem tribuendam esse, fundamento probabili non carere censemus.

116. Quemadmodum igitur Nicolaus, ita etiam Hadrianus II neutiquam studuit Sedis Apostolicae auctoritatem et potestatem ex Decretalibus Pseudo-Isidorianis vindicare vel amplificare, quamvis certe tempore Hadriani Decretales illae Romae notae essent. Nec subsequente aetate usque ad Leonem IX RR. Pontifices ex Pseudo-Decretalibus auctoritatem suam tuiti sunt. Tamen interea magis magisque invaluit disciplina illa antiquitus non ignota, sed non semper adhibita, qua in episcoporum judiciis Sedes Apostolica directe interveniebat, quum eadem opportuna esset et temporum adjunctis conveniens. Generatim autem illud auctoritatis exercitium et ea jurisdictionis applicatio, quae in Pseudo-Decretalibus continentur, ejusmodi sunt, ut plane respondeant veris principiis de primatu Romani Pontificis, eorumque principiorum dici possint evolutio et applicatio naturalis. Etiam sine ejusmodi Decretalibus Sedes Apostolica illa peragere poterat, et decursu temporum, ac multiplici obveniente causarum et necessitatum varietate, eâdem vel simili ratione eccle- Pontifices sequentes.

[1] Post haec jussit papa duos episcopos Firmosum et Goidricum sanctificare solemniter discipulos Slovenicos etc." Vita Constantini (Cyrilli) c. 17. Vide Lapôtre l. c. p. 413, nota 4.

siastica disciplina sese evolvisset. Imo Romani Pontifices, pro plenitudine potestatis ipsis insitae, sapientissime passim varias modificationes in disciplina et jure ecclesiastico introduxere et introducunt, ac prouti nova conditio rerum id requirit, merito etiam novis institutis legibus provident. Dum enim de Sede Apostolica ejusque auctoritate agitur, prae oculis habendum est illud fidei principium: Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; *et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universam Ecclesiam a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*[1])

---

[1]) Conc. Florentin. et Vatican. Constit. de Ecclesia, c. III.

Dissertatio decima septima.

De schismate Photiano.

1. Saeculo nono Ecclesia occidentalis haeresibus atque erroribus parum fuit turbata; vidimus enim, contentiones de quibusdam fidei capitibus exortas, nec diu perdurasse, nec factionibus haereticis ortum dedisse. Sed tristissima accidit saeculo illo jam ad finem vergente scissio Ecclesiam occidentalem inter et orientalem, ambitione, dolo et violentia unius viri, Photii pseudo-patriarchae CPtani. Hunc virum, quum ingenio et eruditione plurimis sui saeculi hominibus antecelleret, nequitia et perversitate nemini omnium saeculorum dixeris fuisse secundum. Impia autem ejus facinora, quibus orientalem Ecclesiam ea aetate a Sede Apostolica separavit, semina fuerunt pestifera, ex quibus adhuc subsequentibus saeculis fructus procreati fuere lethales. Quamvis enim schisma quod Photius excitavit brevi post exstinctum sit, ipse tamen Orientales suo infecit spiritu superbiae; *fundamentum doctrinale* paravit separationi; eaque reliquit in illa ecclesia rebellionis elementa, quae brevi post iterum efferbuerunt. Ac demum illud schisma exortum est tristissimum, quod usque ad dies nostros perdurans, a centro unitatis magnam Christianorum partem tenet avulsam. Unde non immerito, licet post Photium unio restituta fuerit, schisma Orientis passim nomine schismatis Photiani designatur. Dissertationis indoles.

Quaestiones tractandae

2. Hac dissertatione agemus praecipue de schismatis orientalis originibus, quae ad eam Ecclesiae aetatem spectant, in qua delineanda versamur. Primum commemorabimus vel recolligemus *causas*, quibus *praeparatum* fuit schisma orientale; dein enarrabimus *gesta Photii*, quibus pseudo-patriarcha ille separationem ecclesiae orientalis a Sede Apostolica confecit, necnon quae praecipue *a Romanis Pontificibus et a Concilio oecumenico VIII acta sunt, ut unio restitueretur;* demum *eventus post Concilium oecumenicum VIII* breviter exponemus. — De hac quaestione prae caeteris consulendus est cl. Hergenröther, qui opus praeclarum scripsit tribus voluminibus comprehensum: *Photius, Patriarch von Constantinopel. Sein Leben, seine Schriften und das griechische Schisma.* Regensburg, Manz 1867. — Praeterea cfr. Tosti, *Storia del' origine dello scisma greco;* Firenze, Le Monnier 1856; Jager, *Histoire de Photius,* Paris 1845; Pitzipios, *L' Eglise orientale etc.* 4 voll. Paris 1855; Hefele, *C. G., IV. S. 726 sqq.;* Maimbourg, *Histoire du schisme des Grecs,* Paris 1677; Wouters, *Dissertat. T. III. Dissert. XXVIII—XXXI;* Palma, *Praelect. De saeculo nono, C. X—XIII;* Lamy, *Les chrétiens d' Orient; prém. Partie, l' Eglise schismatique Grecque et Russe. Louvain 1881;* Hergenröther, *K. G. B. I. p. 603 sqq.; B. III. p. 231 sqq.,* ubi etiam alii auctores citantur.

I.

De causis quibus schisma Orientis praeparatum est.

3. Quum schisma Photii eventus fuerit summi momenti, indeque dimanet scissio illa funesta inter Occidentem et Orientem, quae adhuc in dies perseverat, ut eventus quantum convenit intelligantur et perspiciantur, juvabit paucis exponere, qualis fuerit ea aetate *conditio ecclesiae CPtanae,* et quaenam adfuerint *germina* lugendi illius schismatis. — Inde a Metrophane (a. 315), quem primum fuisse Byzantii praesulem eruditi existimant, usque ad s. Ignatium,

Praesules CPtani.

quinquaginta et octo episcopi sedem CPtanam occupavere. Inter quos fuerunt multi sanctitate et doctrina insignes, sed non pauci, videlicet viginti et unus, ut haeretici vel haeresum fautores notati inveniuntur. Quumque sedes CPtana potentia et influxu in dies aucta fuisset, multis etiam turbis fuit vexata; recensentur enim praesules pariter ultra viginti, qui ab Imperatoribus vel haereticis vel orthodoxis depositi, ac passim etiam valde indigne tractati sunt. Atque ex rei natura colligitur satisque ex historia constat, Imperatorum potentiam sedi CPtanae magno fuisse periculo. Facile enim accidebat, ut praesules vel favorem captantes imperialem in ignavam redigerentur servitutem, vel a tyrannide Imperatorum opprimerentur. — Porro jam inde a temporibus Justiniani robur ac virtus interna Imperii orientalis magis magisque deficiebant, iisque fucata quaedam et inanis pompa externa successit. Quoad res et doctrinas ecclesiasticas in Oriente stagnatio tristis secuta est anteriorem vigorem; et sub Iconoclastis per multa decennia Ecclesia illa concussa est dissidiis internis valde funestis.

Unio cum Sede Apostolica.

4. Tres patriarchatus Orientis, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, jamdudum sub jugo Saracenorum gemebant, et res Christianorum ibidem in misera erant conditione. Eo majoris erat momenti, ut ecclesia CPtana Ecclesiae occidentali maximeque Sedi Apostolicae intime sese jungeret, atque ex tali unione novas deficienti vitae acquireret vires, et contra arbitrium potestatis imperialis et fraudes haereticorum adjutorium firmum ac validum obtineret. Etenim Sedes Apostolica jam frequenter praecedente aetate sanctis praesulibus Orientis, uti Athanasio et Petro Alexandrinis, Chrysostomo, Flaviano, Germano CPtanis, aliisque non paucis, sua adfuerat protectione et valida defensione. Temporibus Iconoclastarum multi viri religiosi Romam confugerant, nec deerant saeculo octavo et nono viri insignes, uti Theodorus Studita ejusque discipuli, qui majorem connexionem cum Sede Petri constituere et conservare adnitebantur. Sed generatim Orientales nonnisi in difficultatibus positi, atque urgente

necessitate, intimius Sedi Apostolicae sese jungebant, et tantum in casibus specialibus et extraordinariis Romani Pontifices influxum salutarem in ecclesiam CPtanum exercere poterant. Dum quieta erant tempora, illico antagonismus et invidia quaedam quoad Romam veterem Constantinopoli se manifestabant; dumque Orientales Occidentis vigorem ac potentiam jam negare non possent, simultate superba ingenii et indolis praeeminentiam urgere solebant, barbarosque Occidentales habebant despectui.

Primatus semper agnitus.

5. Primatum tamen Sedis Apostolicae CPtani, quamvis passim variis Pontificibus sese opposuissent et obstinatione quadam proterva communionis interruptionem provocassent, usque ad tempora Photii non negaverant. Notionem quidem de singulis juribus primatui inhaerentibus confusam dixeris fuisse, sed occasione data primatum cum auctoritate ei insita agnoscebant. Romanus Pontifex etiam Orientalibus non tantum erat primus et caput (*κορυφαῖος*) episcoporum, sed etiam fatebantur, eum esse *superiorem* et *judicem* patriarcharum aliorum. Sane consentientibus Orientalibus jam Julius declaraverat, Athanasium non posse judicari et damnari sine interventu Sedis Romanae; Coelestinus damnaverat Nestorium, Leo Dioscorum, Agapetus Anthimum; Chrysostomus vero et Flavianus judicium s. Sedis expetierant. Ex gestis Nectarii, Anatolii, Germani, et ex variis Orientalium orthodoxorum effatis luculenter apparet, *agnitionem et confirmationem* Romani Pontificis habitam esse plane *necessariam*, ut aliquis patriarcha legitimus censeretur. Romanum Pontificem *appellabant* non tantum patriarchae, sed etiam episcopi ut Theodoretus, imo et presbyteri, quemadmodum vidimus accidisse sub Gregorio Magno. Sine Sedis Apostolicae confirmatione nulla synodus habebatur ut oecumenica, nec fidei decreta valebant. Nec minus supremam Romani Pontificis auctoritatem etiam ab Imperatoribus invenimus admissam et honoratam.

6. Agnoscebatur itaque saeculo nono in Oriente Sedis Apostolicae primatus, atque nihil magis proficuum fuisset ecclesiae CPtanae, quam intimior cum centro unitatis et toto Occidente conjunctio. Sed multae aderant tum ex

antiquo tum ex recentiori tempore reliquiae et germina discordiae et scissionis, omnibusque illis elementis usus est Photius effecitque, ut *differentiae* multiplices inter Orientales et Occidentales verterentur in *oppositionem* violentam, *schisma,* et *separationem* a Sede Romana. Illa germina scissionis istasque differentias aliquanto accuratius commemoremus.[1])

7. Magna jam ab antiquo tempore *diversitas* erat *quoad characterem et indolem* inter gentes stirpis Romanae seu Latinae, et inter eas quae ex stirpe Hellenica seu Graeca prodierant; eademque diversitas ratio erat cujusdam antagonismi, qui per religionem christianam minui quidem, sed non penitus deleri potuit. Romanorum etiam gentilium propensiones severiores, et mores magis viriles ac graves, saepius auctores tum pagani tum christiani commendarunt, dum indolem naturalem illorum depingunt. Celebris est descriptio indolis ac morum Romanae gentis, quae in libris *de Civitate Dei* a s. Augustino exhibetur. Inter alia ait: *Veteres igitur primique Romani, . . . quamvis ut aliae gentes deos falsos colerent, tamen laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant, hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac et mori non dubitaverunt. Caeteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari vero atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierant.*[2]) Inde etiam

Diversitas indolis.

---

[1]) Fusius exposita invenies haec apud Hergenröther, Photius, t. I. p. 295—312.

[2]) De Civ. Dei L. V. c 12. — Virgilius ab Augustino citatus Romanorum indolem istis versibus canit:

Excudent alii spirantia mollius aera;
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius; coelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hae tibi erunt artes pacique imponere morem,
Parcere subjectis, et debellare superbos. Æneid. VI.

dignitas quaedam oriebatur ac gravitas et prudentia in rebus publicis et sacris, sobrietas ac fidelitas in vita privata et publica. Minus autem Romani ea quae ingenia ornant, artes et disciplinas liberales colebant, atque proclives erant ad eos defectus eaque vitia, quae animis superbis affinia sunt, scilicet ad rigorem, duritiem, crudelitatem, ac nationum devictarum oppressionem et exspoliationem. Unde et harum gentium odia in se concitaverunt.

8. Graeci, ac generatim nationes stirpis illius affinisve, praesertim *ingenii* dotibus excellebant, artes disciplinasque liberales, quibus vita redditur jucunda et grata, magno ardore nec minori successu excolebant. Sed etiam philosophicas et theologicas disquisitiones subtili mentis acie instituere pergratum ipsis erat, iisque quam maxime gloriabantur. Imaginationi porro ardenti et foecundae juncta erat levitas, inconstantia, calliditas artificiosa, perfidia, ita ut per antilogiam *graeca fides* in proverbium abierit. Graeculos ut effeminatos et loquaces Latini despiciebant; subjectis durius dominabantur, opes diripiebant. Graeci vero dum poëtas suos, rhetores, philosophos, scriptores omnis generis eorumque opera evehebant, Romanos contemnebant ut barbaros, qui vix mediocria hisce in disciplinis opella ostentare poterant.

9. Decursu quidem saeculorum commixtio quaedam Latinorum et Graecorum facta est. Imo aliquanto tempore, sub Imperatoribus paganis, cultura graeca Romae visa est praevalere, atque inter fideles ipsa religio christiana diversitatem illam maxime mitigabat, vel ad gratam vertebat harmoniam. Sed subsequenti aetate, praesertim quando inde a saeculo quinto exeunte etiam vicissitudines variae in praedominio Occidentis et Orientis acciderunt, differentiae illae indolis, et antagonismus ex iis proveniens iterum apertius apparuere.

Diversitas idiomatum.

10. Accedit ad haec *idiomatum diversitas,* qua separatio inter Occidentem et Orientem magis magisque firmabatur, praesertim inde a saeculo sexto, quum admodum minueretur numerus eorum, qui utramque linguam callerent. Primis saeculis christianis lingua graeca apud La-

tinos valde vulgaris fuit; inde a saeculo quarto in Oriente simul cum lingua graeca etiam latina colebatur, praesertim in iis rebus, quae reipublicae vel justitiae administrationem spectabant. Justiniani Imperatoris leges et codices lingua latina confecta sunt (exceptis Novellis), et ea aetate tribunalia suas sententias lingua latina edere solebant. Atque usque ad ea tempora illi Orientales, qui disciplinis liberalioribus exculti erant, plerumque idiomatis latini periti inveniebantur. Sed brevi post Justinianum Orientales usum linguae latinae neglexerunt et fere abjecerunt, atque jam s. Gregorius M. scribit ad Narsetem: *Bene scit vestra magnitudo, quia hodie in Cptana civitate, qui de latino in graecum dictata bene transferunt, non sunt; dum enim verba custodiunt et sensus minime attendunt, nec verba intelligi faciunt et sensus frangunt.*[1]) Etiam clerus orientalis maxime promovebat usum linguae graecae, hujusque idiomatis prae latino excellentiam evehebat. Gloriabantur, lingua sua libros sacros N. T. esse conscriptos, eâque usos plerosque sanctos Patres; linguam vero latinam veluti inconcinnam et verbis inopem despiciebant. — In Occidente autem pariter notitia linguae graecae magis magisque defecit, et quum inde a saeculo sexto ineunte universim ob incursus barbarorum litterae minus ibidem coli possent, mox perpauci tantum fuerunt Latini, qui linguam graecam callebant. Multum sane ista differentia idiomatum contulit, ut communicatio inter Occidentem et Orientem difficilior et rarior esset, utque etiam animi alienarentur.

11. Neque exigua erat *cultus, liturgiae, rituum diversitas* inter Occidentales et Orientales. Ea quidem haud afficiebat religionis naturam et essentiam. Imo ex primis saeculis differentia exstitit, suasque habebat rationes ex traditione veneranda. Et quamdiu concordia et amicitia vigebat, ex ista diversitate detrimenta haud proveniebant, suosque ritus sacros etiam Latini in Oriente et Graeci in Occidente mutua cum animorum benevolentia solemniter peragebant. Sed quando ob alia motiva discordia orie- Diversitas rituum.

[1]) Baron. Annal. ad an. 593. n. 62.

batur et oppositio, facile ab hominibus praesertim angustioris mentis et cordis, ea quae ritibus domesticis non conveniebant, ut profana, illicita et exosa carpebantur et repudiabantur.

Diversitas disciplinae.

12. At *in rebus religionis* paulatim multo etiam major invaluerat *diversitas.* Etenim, exceptis fundamentis dogmatum et constitutionis Ecclesiae, in omnibus fere capitibus, in *legislatione ecclesiastica,* in *disciplina,* in *theologia* tractanda, permagna orta est differentia inter Occidentales et Orientales. In Occidente Pontificum Decretales, conversio gentium germanicarum septentrionis moresque earum, synodi provinciales multiplices, capitularia Caroli M., aliorumque principum, evolutionem opportunam juris canonici produxerant, institutisque antiquis nova addita erant. Aliter plane sese habebat legislatio Orientis. Inde a Concilio Chalcedonensi tantum bis per synodos (a. 692 et 787) varii canones disciplinares conditi fuere; caeterum legislatio Imperatoris ecclesiasticae legislationis tenebat locum. — Disciplina ecclesiastica quoad clerum alia plane erat in Occidente quam in Oriente, praesertim quoad *coelibatum.* Sed etiam in *disciplina monachorum* et in exercitiis pietatis *laicorum* multa differebant: alius erat jejunandi modus, alia festa, aliud calendarium ecclesiasticum. — Ad *theologiam dogmaticam* quod attinet, in Oriente inertia languida successerat anteriori activitati. Latinorum Patres eorumque opera, quaestiones in Occidente agitatae, uti illae de gratia et praedestinatione, haereses exortae et rejectae, vix in Oriente cognoscebantur. Patrum graecorum opera quidem Orientales pervolvebant, sed iisdem theologiam veluti absolutam ac plane determinatam habebant. Tantum controversiae de Imaginibus vehementius agitatae fuerunt, atque tunc s. Joannes Damascenus optime de rebus theologicis meruit. Attamen etiam ipse potius antiquorum Patrum orientalium doctrinam apte digessit, quam ut ulterius theologiam evolveret. Post Damascenum vero, ac post victoriam de Iconoclastis reportatam festoque Orthodoxiae quotannis celebratam, conclusae videbantur omnino disquisitiones theologicae omnesque errores

Theol. dogmatica.

rejecti. Quid mirum, quod Graeci tunc tendentiam suam polemicam in Latinos verterent, quorum theologia mox ipsis apparuit suspecta, influxu nationum peregrinarum ac barbararum corrupta, et devia a regulis Apostolorum.

13. In Occidente ipsa diversitas nationum opportuna erat, ut in variis regionibus disciplinae theologicae et ecclesiasticae solerter tractarentur, atque ingenia variis quaestionibus exercerentur. Ita in Italia, in regno Francorum amplissimo, in Hispania, in Anglia atque Hibernia, variis temporibus vario gradu vitam quamdam alacrem, vigorem ac fervorem invenimus in disciplinis ecclesiasticis profanisque excolendis; nationesque recentius ad christianismum conversas advertimus sollicitas, ut et ipsae thesauris scientiarum potiantur, eosque ingenio suo accommodent. Romani Pontifices vero auctoritatis suae influxu res moderabantur, atque ab erroribus gentes Occidentis varias tuebantur. Quamvis autem Orientales eruditione et ingenii cultu forte praecellerent plerisque Occidentalibus, vigore tamen illo ac vita, quam in ecclesiis Occidentis reperimus, omnino carebant. Mente angusta stagnationeque rigida tantum ad praeterita tempora sese vertebant, in iisque quae ex antiquis colligebant unice versabantur; Occidentales vero futura quoque praeparabant, et recepta ab antiquis ulterius evolvere satagebant. Status rerum in Occidente.

14. Hae tamen, quas recensuimus, differentiae, per se nondum erant tales, ut unitas Ecclesiae haud potuisset cum ipsis consistere et conservari. Nec per se stagnatio vitae atque vigoris quae in Ecclesia orientali acciderat languorem constituebat ejusmodi, ut per viros sanctos et doctos non potuisset hic rerum status mutari, intimiorque unio cum Sede Apostolica restitui. Illud animadvertitur consolatione plenum, Iconoclastarum tempore praesules et monachos, qui sanctitate et eruditione eminebant et Iconomachis resistebant, etiam sanctae Sedi valde addictos fuisse, atque ex Occidente solatia et auxilia petiisse. — Sed scissionis et separationis periculum quoddam proximum constituebant saeculo nono *principia, tendentiae, et sensus,* quae nomine *Byzantinismi* ab eruditis nostri

temporis designari solent, et Constantinopolitani praevalebant. Variis tendentiis, quae in Clero, in Imperatore, in proceribus, in vulgu radices egerant, ejusmodi Byzantinismi spiritus conflabatur; eas paulo accuratius describemus. — Generatim magnam analogiam habet *Byzantinismus* iste cum tendentiis in aliis nationibus, quae posteriori tempore se manifestarunt, et nomine *Gallicanismi* vel *Josephinismi* designari solent. „Des circonstances particulières, ait Gagarin, avaient fait prévaloir à Constantinople un système, un esprit, des tendances, qui ont une certaine analogie avec ce qu'on a désigné depuis et ailleurs par le nom de Joséphisme et de Gallicanisme. C'est ce que je m'étais permis d'appeler le Byzantisme. Je distinguais soigneusement le Byzantisme du schisme; l'un était antérieur à l'autre, mais il y poussait, il le contenait en germe.“[1])

Byzantinismus.

15. Universim CPtani infecti erant *vana et angusta superbia et ambitione nationali.* Constantinopolis, novae Romae, sedis Imperii, mundi dominae ac reginae splendore et potentia gloriantes et superbientes, cunctis in omnibus se praecellere censebant. Hinc etiam antiquae Romae nullo modo cedere ipsis cordi erat, quumque in reliquis principatum sibi vindicarent, aegre ferebant, quod in ordine hierarchico subjectos se fateri deberent. Cum quadam invidia unicam hanc aemulam respiciebant, ac facile occasione data in ejus odium atque in rebellionem contra primatum ecclesiasticum concitari poterant. Eo vel magis ad oppositionem proni erant, quod Occidens iis suspectus esset. Quumque angustia mentis rigida antiquis formis, consuetudinibus et institutis haererent, eam quam illis in regionibus advertebant rerum ecclesiasticarum differentiam et evolutionem, ut impiam innovationem, atque ut illegitimam doctrinae et disciplinae alterationem traducebant.

16. Ambitio ejusmodi etiam *clerum* maxime infecerat. Jam ex pluribus saeculis animadvertimus, tum patriarchas tum reliquum Constantinopolis clerum eo tendere, ut sedis

---

[1]) Etudes religieuses, Mai 1865. p. 117.

hujus potestas magis magisque amplificetur. Ejusmodi tendentia quidem excusari interdum poterat. Sed valde perniciosa erat, quando viri minus digni atque honorum cupidi sedem illam occupabant et disciplina ecclesiastica remissa erat. Facile tunc etiam oppositio in Sedem Apostolicam oriebatur. Quemadmodum vero patriarcha CPtanus in Orientis episcopos despoticam fere exercebat auctoritatem, ita ipse cum reliquis praesulibus servili dependentia ab Imperatore tenebatur. Etenim immixtio in res ecclesiasticas earumque per potestatem Imperatorum directio, quam *Caesaro-Papismi* voce designare solemus, in Oriente omnino invaluerat, quaestionesque dogmatum et disciplinae jam dudum Imperatores dirimere solebant. Ita igitur usurpatio illa Imperatorum et ambitio patriarcharum ordinem ecclesiasticum et hierarchicum subvertebant. Episcopi a metropolitis, metropolitae a patriarcha, hic vero omnesque reliqui ab Imperatore ejusque gubernio, servili tenebantur dependentia, ac paulatim corruptio quaedam ignava magnam cleri partem infecerat. Istud igitur systema, illae tendentiae, illaque rerum conditio nomine *Byzantinismi* designari solent.

Scissiones anterioros.

17. Jam aliquoties *scissiones* Occidentem et Orientem separaverant. Arianismi haeresis, quae in Oriente praevaluerat, separationem perniciosam tempore Concilii Sardicensis produxit; attamen post plures annos haeresi devictâ unio restituta est. Brevi spatio concordia et pax interruptae fuerant per Chrysostomi depositionem, per Nestorii errores, per Dioscori Alexandrini violentiam. Sed scissiones diutius perdurantes evenerunt per schisma Acacianum, per litem de tribus Capitulis, per turbas Monotheletarum, et per Iconoclastarum persecutiones. Quamvis schismata haec demum exstincta fuerint, tamen aversio lugenda et germina multiplicia novarum discordiarum ex iis remanserunt.

Eventus varii.

18. Varii etiam *eventus* ac varia *facta* decursu saeculorum, sive juste sive immerito utrique parti evenerant motiva querelarum atque simultatis. Latini vehementer offensi fuerant vexationibus et persecutionibus Imperatorum

orientalium. Gesta Justiniani I contra Vigilium, Justiniani II contra Sergium, maxime vero violentiae commissae a Constante contra s. Martinum amara mente ab Occidentalibus memorabantur; recentiores etiam minae feroces Leonis III oblivioni profecto haud erant traditae. Quum porro exarchi Italos saepe exactionibus ac duritie oppressissent, quum principes plane indigni, violenti, crudeles, haeretici, longa serie thronum occupassent, aversio et contemptus Graecorum animos Occidentalium pervaserat. — Vehementer etiam Latinis displicuerat patriarcharum CPtanorum usurpatio, qua paulatim acquisierant praeeminentiam prae reliquis sedibus patriarchalibus Orientis, et privilegia ac jura Sedis Romanae quoque passim laedere videbantur. Perseverantia obstinata, qua nomen *Patriarchae oecumenici* sibi vindicabant praesules Constantinopolis, merito RR. Pontifices pungebat, sollicitosque reddebat, ne pejora etiam viri honorum cupidi attentarent.

Titulus Patriarchæ œcumenici.

19. Quum contra nomen patriarchae oecumenici ab illis praesulibus sibi tributum saepe reclamaverint Romani Pontifices, quaedam de ejusmodi titulo juvabit advertere. Licet forte jam antea illud nomen interdum honoris causa patriarchae CPtano daretur, primus cum ostentatione quadam hanc appellationm assumpsit Joannes IV Jejunator a. 588. *Hic,* ait s. Leo IX (Labbe, IX. 954) *nimiae vanitatis nomen sibi primus usurpavit, ubi se a cunctis oecumenicum patriarcham, i. e. universalem, et dici et scribi debere decrevit.* Sensu litterali usuque apud auctores sacros et profanos recepto οἰκουμένη significabat orbem terrarum, adeoque significatio obvia appellationis patriarchae oecumenici revera ea erat, ut exprimeret patriarcham universalem totius orbis christiani, totius Ecclesiae, seu omnium Christianorum in orbe terrarum. Atque ob ejusmodi significationem verbo insitam s. Gregorius M. ejusque successores acriter se opposuerunt usurpationi illius tituli; nec ausi sunt plerumque patriarchae CPtani in rescriptis ad Sedem Apostolicam illum titulum assumere. S. Gregorius M. aliique Pontifices in sua oppugnatione supponunt, patriarchas revera primatum quemdam universalem sibi arri-

pere velle, vel saltem vana jactantia nomen sibi tribuere quod eum exprimat. Negabant tamen CPtani id ea appellatione intendi, aliasque explicationes appellationis illius dabant. Poterat videlicet appellatio adhiberi ut merus titulus honorificus, quin praecise sensus urgeretur. Quum patriarchae nomen passim assumeretur etiam ab aliis metropolitanis Graecis, qui fastum diligebant et splendidos titulos, potuerunt praesules CPtani illam appellationem ut epitheton ornans sensu quodam generali adhibere, quatenus *christianum* vel *catholicum* significaret. Sic etiam patriarcha Armenorum *καθόλικος* appellatur. Praeterea nomen *οἰκουμένης* Graeci passim adhibebant ut *Imperium* exprimerent, quatenus alias regiones a barbaris inhabitari adsignificabant. Unde patriarcham oecumenicum dicere poterant patriarcham Imperii; et ejusmodi significationem videntur Graeci saeculo nono nomini attribuisse. Tamen eo tempore quo Joannes Nesteutes nomen assumpsit, etiam Roma urbs erat Imperii, et hac quoque restrictione appellatio per se eo ferebat, ut aliqua praeeminentia prae omnibus episcopis supponeretur. Certe tendentiae ambitionis periculo plenae, quae inerat multis praesulibus CPtanis, nomen illud apprime respondebat, et jure merito Pontifices sese huic titulo constanter opposuerunt.[1])

---

[1]) Cfr. Hergenröther, Photius I. S 178 sqq — Saeculo nono videntur Graeci nomen ita interpretati esse, ut tanquam Imperii orientalis patriarcham episcopum CPtanum significarent. Scribit Anastasius Bibl. Praefat. in synodum VII ad Joannem VIII: „In eo sane quod frequenter universalem in hac synodo Graeci patriarcham suum inconvenienter appellant, Apostolatus vester adulationi veniam det saepe praelatis suis non sine reprehensione placere studentium Verum quum apud Constantinopolim positus frequenter Graecos super hoc vocabulo reprehenderem, et fastus vel arrogantiae redarguerem, asserebant, quod non ideo oecumenicum, quem multi universalem interpretati sunt, dicerent patriarcham, quod universi orbis teneat praesulatum, sed quod cuidam parti orbis praesit, quae a Christianis habitatur; nam quod Graeci oecumenen vocant, a Latinis non solum orbis, a cujus universalitate universalis appellatur, verum etiam habitatio vel locus habitabilis nuncupatur.“ (Labbe VII. 30.) Haec Graecorum explicatio inepta dicenda esset, si asseruissent, oecumenici patriarchae nomen propterea

Provinciae Illyrici.

20. In *synodo Trullana* Graeci superba arrogantia, sine ullo motivo, disciplinam occidentalem reprehenderant, imo etiam Romanis Pontificibus et Occidenti leges praescribere attentaverant. Dein violenter eripuerant Sedi Apostolicae *provincias Illyricas*, dioeceses Italiae meridionalis, ac patrimonia amplissima in Italia et Sicilia sita. Nec omnia ista, quamvis justissime reclamassent RR. Pontifices, restituta fuerant, etiam postquam devicta Iconomachorum haeresi pax renovata fuit. Spoliatio illa Romanae Ecclesiae valde dura et nociva erat, summâque injuriâ ipsa affecta fuit, dum provinciae integrae ejus jurisdictioni patriarchali subtrahebantur. Vidimus, Hadrianum I in ea epistola quam pro Concilio Nicaeno II scripsit ad Carolum M., de istis usurpationibus magna cum amaritudine agere, Graecosque inde dignos dicere, qui ut schismatici rejici possent. — Multa igitur erant facta ex parte Orientalium, propter quae Occidentales iis merito succensebant. Nihilominus Romani Pontifices sollicite studebant pacem et concordiam conservare, prudenti oeconomia multa tacite tolerabant, et discordiarum occasiones quantum poterant evitabant.

21. Sed Orientales ambitione et simultate abrepti jam dudum vehementiorem etiam irritationem in Occidentales fovebant, ac decurrente tempore eorum aversio magis magisque crevit. Displicuerat CPtanis valde, quod RR. Pontifices sese opponerent illis Conciliorum CPtani primi et Chalcedonensis decretis, quibus privilegia sedis CPtanae amplificata erant. — Quum Latini in controversiis fidei continuo sese superiores ostenderent, et contra praesules haereticos Orientis ab ipsis orthodoxiae conservatio esset petenda, simultate et invidia multorum Orientalium animi

---

CPtano dari, quod locum aliquem habitabilem gubernet. Sed probabile est, eos nomine οἰκουμένης (terrae habitabilis significasse Imperium orientale christianum illius temporis, quatenus ejusmodi nomen huic Imperio κατ᾽ ἐξοχὴν conveniebat. Reliquae regiones ex sententia Graecorum a barbaris nationibus inhabitabantur. Tali sensu igitur nomen patriarchae oecumenici exponebant; explicationem vero Anastasius non ad amussim, sed tantum ex parte intellexerat.

affecti sunt. Aegre tulerunt, quod auctoritas Romanorum Pontificum tanto vigore et splendore se manifestaret. Quum de ipsis exarchis Italiae saepius Romani Pontifices triumphos referrent, ac demum exstincto dominio Graecorum in Italia, stabiliretur principatus civilis Sedis Apostolicae, majora odia Graeci conceperunt, quamvis revera nihil Pontificibus exprobrare possent, sed culpa ipsis esset tribuenda. — Postremo quum Imperium occidentale auctore Leone III Pontifice in Carolo Magno restauraretur, summa indignatione et ira Orientales commoti sunt. Necessaria illa Romae liberatio a dominio imperiali Orientis, visa est CPtanis rebellio impia; constitutio Imperii occidentalis habita est ut usurpatio perversa. Dominationem *barbarorum* in Occidente ut horrendam considerabant abominationem, et barbara etiam ignorantia omnes ibi teneri, libenter sibi persuadebant, adeoque cum contemptu magno Latinos despiciebant.

Imperium Romanum Occidentis.

22. Attamen saeculo nono dissidii et discordiarum motiva inter Orientem et Occidentem adhuc magna ex parte indolem potius politicam quam ecclesiasticam habebant. Fidei ac doctrinae unitas nondum concussa erat, nec Romani Pontificis primatus juridicus impugnatus. Photius scissioni fundamenta firmiora stravit, extensionemque majorem praeparavit, dum dogmata simul Latinorum et Romani Pontificis primatum ausus est impugnare atque rejicere. De ejus impiis gestis jam sequitur ut agamus.

II.

De scissione a Photio excitata.

Methodius patriarcha.

23. Methodius patriarcha, qui a. 842 Constantinopoli in locum Joannis patriarchae iconomachi ordinatus erat, et una cum Theodora Imperatrice cultum sacrarum imaginum restituerat, ecclesiam illam bene administravit usque ad mortem, qua jam a. 846 ad meliora vocatus est. Ob vindicatam orthodoxiam ac suas virtutes magno in honore

merito habitus est s. Methodius; dissentiebant tamen aliqui ab eo quoad modum agendi, quem minus severum minusque disciplinae proficuum existimabant. Nimia videbatur ipsis esse indulgentia, quam Methodius iis episcopis et clericis exhibebat, qui ex parte Iconoclastarum steterant, nimisque facilis habebatur patriarcha in conferendis sacris ordinibus. Etenim Methodius ut clerum orthodoxum augeret, pronus erat ut manus imponeret iis, quos orthodoxos noverat; unde factum est, ut promoverentur ad ecclesiastica munera etiam aliqui viri qui minus digni erant.

Ignatius succedit.

24. Defuncto s. Methodio, suffragantibus episcopis ac gratulantibus clero et populo, suffectus fuit *Ignatius*, filius Michaëlis Rhangabis quondam Imperatoris. Natus erat ipse a. 798 et appellatus Nicetas; sed postquam pater ejus a. 813 e throno dejectus est et in monasterium relegatus, adolescens „eunuchus invidia factus“ (Anast.) monasticam vitam, suscepto Ignatii nomine, pariter professus est, et „in coenobio a primaeva aetate miris eluxit morum et virtutum splendoribus, ac per id diuturnis exercitiis eruditus et in omni scientia et opere bono probatus, . . . cunctorum unanimitate ad summi sacerdotii petitus et promotus est apicem.“[1] Patriarchatum ejus inde ab initio perturbavit *Gregorius Asbestas*, episcopus Syracusanus in Sicilia, qui tunc Constantinopoli degebat, quemque criminis accusatum Ignatius consecrationi suae interesse prohibuerat, donec causa ejus esset judicata. Cum ipso autem et alii quidam praesules et clerici Ignatio se adversos ostenderunt, et ab eo Methodio praedecessori derogari conquesti sunt. Dissidiorum indoles non omnino explorata est. Conjicit Em. Hergenröther ex variis factis, Ignatium fuisse ex ea cleri parte, quae majorem severitatem desideraverat, Gregorium vero Asbestam, virum ingenio aliisque dotibus insignem, a Methodio pariter ex Sicilia oriundo, magni habitum ac forte minus caute ad metropolitani Syracusani dignitatem promotum esse, dein vero ipsum variorum criminum fuisse accusatum.[2] Actio ejus

---

[1]) Anast. Bibl. Praef. ad Conc. VIII; Labbe VIII. 962.

[2]) V. Photius tom. I. p. 358.

jam agebatur ultimo Methodii anno, quumque penderet, Gregorius ab Ignatio non admissus est ad suam consecrationem. Huic Gregorio vero sese junxerunt ejus amici et Ignatii adversarii, uti Petrus Miletenus, et Eulampius Apameensis episcopi, pluresque clerici et laici.[1] Ita igitur contra Ignatium sese constituit factio quaedam schismatica virorum, qui principes, clerum et populum in patriarcham excitare, eumque diffamare conati sunt. Frustra vero Ignatius studuit eos ad obedientiam redigere, ac demum inter annos 848 et 854 habuit synodum, in qua Gregorium Asbestam ejusque asseclas ut schismatis et plurium criminum reos damnavit, Gregoriumque deposuit.

Gregorius Asbestas.

25. Gregorius Asbestas contra hanc sententiam appellavit Sedem Romanam, provocans ad canones Sardicenses, misitque Zachariam presbyterum vel episcopum[2]), qui Romæ suam causam ageret; Ignatius vero confirmationem sententiae, ut obtineret, a Sede Apostolica petiit. Causa sub Leone IV (a. 847 — 855) et Benedicto III protracta est, quum utriusque partis rationes Sedes Apostolica accuratius examinare vellet. Negotium vero etiam inde videtur fuisse magis complexum, quod nonnisi per usurpationem facti dioeceses Siciliae inde a tempore Leonis Isauri patriarchatui CPtano subjectae erant, ac Sedes Romana continuo contra hanc usurpationem reclamaverat. Quum igitur metropolita Syracusanus appellasset contra depositionem a patriarcha CPtano factam, Romano Pontifici prudenter agendum erat, ne CPtani, si confirmaretur depositio, argumentum inde postea deducere possent, quod Sedes Apo-

---

[1]) Anastasius scribit l. c.: „Sane restiterunt hujus (Ignatii) promotioni quidam perpauci episcopi, inter quos erat Gregorius Syracusanus, eo quod eos propter diffamata et publicata nonnulla crimina in sacerdotio rite ante refricationem in eos illati judicii se non posse recipere, canonica sit et mihi ratione professus; propter quae, quia illa satisfactione non abluerunt, merito postea ab eo et synodo abdicati sunt.“ Labbe VIII. 962.

[2]) Hunc Zachariam presbyterum Cptanum videtur Gregorius Asbestas extra dioecesim suam et inscio Methodio patriarcha in episcopum Taorminae in Sicilia ordinasse. Cfr. Hergenröther l. c. p. 359.

stolica jam agnosceret eorum jurisdictionem in Siciliam. Curandum proinde erat Romanis Pontificibus, ut in hac causa examinanda et dirimenda suam vindicarent auctoritatem. Benedictus III a. 856 Gregorium tantum declaravit suspensum, quin ejus confirmaret depositionem, de qua reservavit examen ulterius. Sed dum causa protrahebatur Gregorius ejusque asseclae audacius impugnarunt Ignatium, quem ex sede pellere nitebantur. Etiam postquam suspensio Gregorio innotuit, ipse non cessavit muneribus episcopalibus fungi et oppugnare Ignatium. Anno 856 contra tumultuantes schismaticos a Theodora Imperatrice convocata est synodus episcoporum, inter quos non erat Ignatius, ibidemque anathema in factiosos illos pronuntiatum est. Theodora nomine suo ac filii Michaëlis III litteras scripsit ad Benedictum III, pariterque Ignatius, miseruntque Romam, ut eas deferret negotiumque promoveret, Lazarum monachum. Sed antequam is advenisset, a. 857 conditio rerum Constantinopoli immutata fuit. Theodora videlicet Imperio privata est, ac sub filio ejus Michaële mox factio schismatica praevaluit.

26. Theodora Imperium, quamdiu Michaël puerilis erat aetatis, prudenter administravit, sed tempestas gravis, quum Michaël adolesceret, excitata est praecipue per Bardam Imperatricis fratrem. Bardas voluptatibus Michaëlem corrupit, et quum ambitione plenus esset, in matrem illum excitavit, quo facilius omnia ab ipso Barda regi possent. Pravis artibus igitur anno 857 ab Imperatore adolescente obtinuit, ut Theodora Augusta ab aula et regimine removeretur, et in monasterium cum filiabus suis relegaretur, sibi vero crederetur summa rerum publicarum, ita quidem ut ejus arbitrio omnia ab eo tempore gererentur. Bardas autem maxime oderat Ignatium, quod sanctus ille praesul eum ob perditos mores reprehendisset, et tandem propter incestuosam publicamque cum nuru sua vidua consuetudinem, ei sacram communionem in festo Epiphaniae a. 857 negasset. Accessit altera inimicitiae causa, quod Ignatius Theodoram Augustam in monasterium relegatam, invitam velare recusaret, quum Imperator ac Bardas id

Theodora Augusta deponitur.

postulassent. Quum patriarcha hanc rem indignam et Ecclesiae legibus adversantem complere renueret, Bardas eum apud Michaëlem, juvenem socordem et fatuum, majestatis reum postulavit, eique suggessit, Ignatium cum Theodora Augusta res novas moliri, et conjurationem inire. Contendebat, patriarcham favere partibus Gebonis, hominis stolidi, qui se filium Theodorae ex anteriori matrimonio jactabat, et seditionem quamdam excitaverat. Itaque sine praevio examine s. Ignatius die 23 Novembris anni 857 in insulam Terebinthum deportatus, ibidemque monasterio inclusus est. Paucis post diebus miserunt ad eum aliquos episcopos, aulicos et patricios, qui illum ad abdicandum patriarchatum adducerent. Sed ipse fortis et constans recusavit dimittere munus suum; potuisset enim ejusmodi abdicatio accipi ut criminis objecti confessio, ac praeterea sentiebat, magna mala imminere ecclesiae CPtanae, si tyrannis illis ipse cederet. Persecutio in Ignatium.

27. Quum igitur nullo modo Ignatium ut dignitati suae renuntiaret adigere possent, Bardas ejusque asseclae nihilominus alium in loco ejus patriarcham constituere ausi sunt. Orientales episcopi maxima parte tristi cedebant ignavia; etenim jam assuefacti erant Imperatorum arbitrio obsecundare, atque disciplina Ecclesiae hac in re jam saepius in Oriente relaxata vel violata erat, ut videlicet patriarchis e sede dejectis et adhuc viventibus alii substituti essent. Michaël Imperator et Bardas quem patriarcham constituerent selegerunt *Photium*, virum laicum ingenio et fama celebrem, ambitioneque ardentem, Gregorii Asbestae asseclam atque amicum. Quaenam hujus viri fuerint natales, vitaeque initia et indoles, brevi exponere convenit.

28. Natus est Photius versus annum 820, quantum videtur, patre Sergio matreque Irene, ex familia CPtana valde nobili et clara. Erat ex eadem stirpe Tarasius ille celeberrimus patriarcha, qui vixit tempore Concilii Nicaeni secundi, eumque vel avi, vel potius patris Photii fratrem fuisse, auctores et ipse Photius tradunt. Etiam Imperatoris familiae Photius erat affinis; frater enim ejus Sergius Photius.

uxorem duxerat Irenem Theodorae Imperatricis et Bardae sororem. Ingenio et eruditione Photius mox valde excelluit, et in aula varia obtinuit munera praeclara, protospatharii, protosecretarii ac senatoris. Litteris porro sacris et profanis admodum excultus, mox docendi provinciam suscepit, magnumque collegit numerum discipulorum nobilium, qui ardenti fervore ei adhaerebant. Quum vero Photius ingenio et eruditione praestaret, rerum civilium ac politicarum esset peritia et usu clarus, multis etiam aliis corporis et animi dotibus appareret insignitus: haec omnia vitiabat ingens superbia atque ambitio, qua factum est ut summas dignitates pessimis etiam artibus assequi et conservare niteretur.[1])

Photius constituitur patriarcha.

29. Photius secutus fuerat partes Gregorii Syracusani, et cum ipso a communione abstinebat Ignatii, quem accu-

---

[1]) Perbelle viri indolem, dotes et vitia depingit Jager in suo opere L. II. p. 20; ejus verba opportunum videtur afferre. „Photius réunissait en lui les plus beaux dons que la nature ait jamais prodigués à un mortel: intelligence élevée, profondeur de génie, vivacité d' esprit, énergie surprenante, activité incroyable, passion violente pour la gloire, et volonté à la fois souple comme l' or et inflexible comme le fer. Il avait un goût prononcé pour les lettres, et y passait les nuits; il était orateur habile, écrivain achevé en prose et en vers, parfois digne de ceux des anciens temps. Il possédait toutes les sciences de son siècle et des siècles précédents; il y excellait, et personne n' était en' état de se mesurer avec lui. Joignez à ces mérites un extérieur agréable, un maintien grave et modeste, un air riant, les manières douces et aisées, une politesse exquise, enfin toutes les formes extérieures qui attirent et séduisent par un charme inexprimable. Cet assemblage de qualités brillantes, unies aux solides, donnait a Photius un ascendant extraordinaire sur tous ses contemporains: il possédait au plus haut degré le talent de se faire des amis, de les attacher à sa cause, et de les y faire persévérer. . . . Que manquait-il à tant de qualités éminentes? L' humilité chrétienne. Si Photius avait possédé cette précieuse vertu, il aurait pu rendre des services immenses à l' Eglise, et faire bénir son nom par les siècles futurs. Mais il était dominé par un orgueil indomptable, et tourmenté par une ambition terrible. Tel est le principe de toutes ses disgrâces personnelles, et du scandale qu'il a donné à l' Eglise. . . . Enfin il y avait tout dans cet homme, et tout était porté à la dernière limite, talents, sciences, qualités bonnes et mauvaises."

sabat, quod sancto Methodio detractaret. Videbantur autem huic viro inesse ea omnia, quibus Ignatii successor eximius appareret; faciliusque videbatur posse palliari usurpatio, dum vir tanta fama insignis thronum patriarchalem ascenderet. Imperatoris mandato accessit species quaedam electionis, saltem a factione Gregorii peractae. Photius finxit quidem, se nonnisi invitum oblatam dignitatem acceptare, ac de ista sua reluctantia postea saepe verba fecit. Sed mox acquievit, et ex laico intra sex dies ad ordinem episcopalem evectus fuit, consecratusque a Gregorio Syracusano a. 857 die Nativitatis Domini, quo die aliquando etiam Tarasius ordinatus erat. — Nullum dubium est, hanc elevationem Photii omnino legibus ecclesiasticis oppositam fuisse. Etenim sedes CPtana de jure non vacabat; nonnisi canonica depositione vel valida abdicatione episcopi adhuc viventis Ignatii, sedis vacatio evenire potuisset. Praeterea Photius ex laico statim ad sublimem ordinem episcopalem elevatus est, quod canonibus antiquioribus interdictum erat; nec interstitia erant observata, a patribus semper exacta, si laicus ordinabatur, quae interstitia ex legislatione Justiniani saltem trium mensium esse debebant.[1]) Ordinatio postremo peracta erat per episcopum schismaticum ab Ignatio depositum, et ex sententia Sedis Apostolicae habendum ut suspensum. Jus ordinationis habuisset episcopus Heracleensis; quaecumque autem fuerit causa, quod Gregorius Syracusanus eam peregerit, is certe quum publice Ignatii et Romani Pontificis contemneret censuras, et solemnem patriarchae CPtani consecrationem susciperet, impium simul reportabat triumphum, et foeda macula Photii elevationem afficiebat.

Elevatio illegitima.

---

[1]) Nov. 123. c. 1. §. 2. „Si laicus hoc modo ad episcopatum eligatur, non repente episcopus ordinetur, sed primo clericis non minus tribus mensibus connumeretur, et ita sanctas regulas et quotidianum ecclesiae ministerium edoctus episcopus ordinetur.“ Leges ecclesiasticae etiam severiores erant, et exigebant secundum Can. Apost 80 et Sardic. 10 unum annum interstitii inter singulos ordines. Passim tamen haec apud Orientales violabantur.

Cedunt episcopi.

30. Major pars praesulum ignavo corde in Photii ordinationem consenserat, sed etiam illi qui Ignatio fidelitatem servarant, decepti sunt a Photio, qui scriptis promisit, se Ignatium habiturum esse ut patrem, et secundum ejus consilia munus suum administraturum. Hac ratione videbatur se exhibere ut Ignatii coadjutorem, et a Gregorii Asbestae schismatici amicitia recedere. Unde factum est, ut omnes initio acquiescerent Photii promotioni.[1]) Sed brevi post, mense Februario 858, Photius larvam abjecit, et postquam documentum scriptum promissi sui dolo recuperavit, declaravit, se nec Ignatium nec metropolitas ei adhaerentes ut episcopos agnoscere, indeque coepit Ignatium ejusque partem vehementius persequi. Tunc episcopi Ignatio fideles, perterriti viri audacia dolosa, animo jam constanti usurpatori se opponere conati sunt. Convenerunt igitur per quadraginta dies in ecclesia s. Irenes, ac postremo Photium declararunt depositum et cum suis asseclis excommunicatum. Videntur autem tum ipsi tum alii presbyteri et laici restitutionem Ignatii a gubernio postulasse. *Coeperunt nonnulli,* scribit Anastasius l. c., *metropolitani, antistites, ac inferioris sacerdotii, vel laici, pontificis sui tormentis compatientes dejectionemque dolentes rectorem sibi proprium reddi magnopere clamitare.* — Sed Photius in impietate sua jam ulterius progressus, ac usurpationem suam vindicans, in ecclesia ss. Apostolorum *congregavit concilium, et una cum sequacibus suis depositis et damnatis, excommunicatis et anathematizatis et aliis sine sedibus, atque cum his, a quibus vel ille irregulariter et illicite provectus fuerat, vel quos ipse temere ac indebite provexerat,*

---

[1]) Ignatius, quamvis recusaverat abdicationem, videtur tamen episcopis fidelibus concessisse, ut successori ex parte amicorum suorum electo adhaerere possent. Metrophanes Smyrnensis episcopus et dux Ignatianorum scribit, eum commendasse, ut successor ex iis eligeretur qui cum ipso communicarent, atque ita se putasse initio, se posse Photium agnoscere. *Ἦν γαρ (Ἰγνάτιος) θεσπίσας, ἐκ τῆς ἐν Χριστῷ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας ψηφίσασθαι πατριάρχην.* Ep. Metroph. ap. Mansi XVI. 416.

contra Ignatium depositionem facere et anathema dicere ausus est.[1]) Conciliabulum hoc versus auctumnum anni 858 finitum esse videtur.[2])

31. Interim quum animi ultro citroque fluctuarent, Ignatius omni injuriarum genere saturatus, in carcerem conjectus, dire vexatus, et catenis vinctus, variis in locis detentus fuit, ac demum mense Augusto 858 in insulam Mitylenem deportatus est. In episcopos vero, clericos, monachos, laicos, qui cum Photio tanquam patriarcha communicare nolebant persecutio desaeviit. Photius tamen arte prudenti studuit firmare auctoritatem suam. Exstant ex eo tempore plures ipsius epistolae ad Bardam, quibus magna cum tristitia de nimia duritia in adversarios suos adhibita conqueritur, suasque angustias ac difficultates moeste describit. Hypocrisi haec tribuenda esse multi existimant, id suadet stylus artificiosus et oratorius illarum litterarum, nec ejusmodi fictio aliena est a Photii indole. Alii ista non omnino ficta fuisse putant; Photium videlicet, opinantur, revera commotum fuisse multis malis et calamitatibus, quae ex Ignatii expulsione suaque usurpatione proveniebant, ac pericula etiam quae ipsi imminebant perspexisse. Hinc eum serio desiderasse, ut animi ad unionem et pacem reducerentur, et ingemuisse ob tristem rerum conditionem. Attamen quum ambitio et superbiae passiones ei plane dominarentur, haud rediit a via sua mala, sed ut quae jam facta erant vindicaret atque firmaret, ad ulteriora facinora mox abreptus est. — Studuit eo tempore Photius etiam litteris datis plures proceres laicos sibi reconciliare, qui quum antea ei amicitia juncti fuissent, ejus usurpationem improbantes adversarii facti sunt. Maxime vero sollicitus fuit, ut metropolitas et episcopos sibi omnino deditos jam variis in sedibus collocaret. Hinc depositis praesulibus ei adversantibus, amicis suis vel viris qui ab Ignatio defecerant, illas sedes contulit.

Vexantur Ignatiani.

---

[1]) Nicol. I. ep. 7 ap. Labbe VIII. 283.

[2]) Hergenröther l. c. p. 383.

Legatio Romam missa.

32. Quum vero non exiguus esset numerus eorum qui Photium haud ut legitimum patriarcham habebant, tum ipse tum Bardas perspexerunt summi momenti esse, ut Sedis Apostolicae auctoritate ille firmaretur. Photius igitur Romam destinavit legatos cum litteris, quibus simul cum professione orthodoxae fidei referebat, qua ratione ipse ad sedem CPtanam evectus esset. Asserere ausus est, Ignatium propter senium et infirmitatem ecclesiae renuntiasse praefecturam, et ab illa recessisse, atque in quamdam insulam profectum, in monasterio manere, cum omni honore et cultu et obsequio tum ab Imperatore tum ab universa civitate habitum. Se vero invitum et reluctantem communi metropolitarum et universi cleri suffragio in ejus successorem esse electum, et vim sibi ab Imperatore illatam, ut patriarchalis throni fastigium ascenderet. — Michaël Imperator pariter ad Nicolaum Pontificem misit epistolam, in qua Ignatii abdicationem et Photii successionem eadem ratione exponebat. Simul tamen varias ferebat accusationes in Ignatium, addebatque, turbas quasdam occasione resignationis ejus esse exortas. Dein vero Pontificem, ut legatos Constantinopolim mitteret, rogabat, eo praetextu, ut pullulantem rursus Iconoclastarum haeresim sua auctoritate penitus evelleret, et collapsam ecclesiasticam disciplinam restauraret. In synodo ob haec negotia habendâ simul exortas turbas facile posse sedari. Photius de legatis mittendis et de synodo habenda nihil scripserat, ut haec petitio Imperatoris esse videretur. Legatos autem Pontificis propterea Constantinopolim accersere constituerant, ut dum ipsi cum Photio communicarent et negotia ecclesiastica componerent, omnibus ille appareret ut patriarcha legitimus et a Sede Apostolica agnitus. Eodem tempore autem pseudopatriarcha ad reliquas Orientis partiarchales ecclesias litteras inthronisticas dedit, quibus simili modo refert, se plane invitum in Ignatii successorem esse suffectum. Plura in iisdem habet de turbis et motibus in ecclesia CPtana exortis, haec vero sua electione nuntiat esse sedata omnesque ad concordiam rediisse.

33. Legatio Romam missa valde splendida erat; delegati videlicet sunt Arsaber spatharius imperiali familiae

affinitate nexus, cum quatuor praesulibus; ac permagna munera Imperatoris legati afferebant.[1] S. Nicolaus Papa legatos cum litteris benigne quidem recepit, attamen vagis rumoribus jam percrebescentibus, ipse suspicabatur fraudes Graecorum, et magna cum prudentia res disposuit. *Cujus* (Photii) *legationem*, ait Anastasius, *praefatus summus Pontifex suscipiens et pertractans, licet hucusque versutiarum ejus atque gestorum ignarus, paene cuncta quae ab eo acta fuerant, sagaci deprehendit acumine.*[2] Synodo dein Romae habita decrevit duos legatos Constantinopolim mittere ad negotia ecclesiastica ibidem tractanda. Quid iis commissum fuerit, clare colligitur ex epistola 9ª Nicolai, quam aliquanto post ad Michaëlem Imp. scripsit. *Quia inter caetera,* inquit, *quae de schismate jam fatae CPtanae ecclesiae hi qui missi fuerant testabantur, maxime eamdem ecclesiam ab Iconomachis recidivam contentionem excitantibus asserebant vexari, Christumque per singula conventicula blasphemari: idcirco duos episcopos qui nobiscum erant, quique ad hoc tantum perficiendum opus idonei esse videbantur, Rodoaldum scilicet et Zachariam, una cum ecclesia quae apud nos est, datis litteris Constantinopolim, idem nimirum piaculum execrantes, e latere nostro direximus, nihil eis penitus injungentes, nisi ut tantummodo causam Ignatii patriarchae qui ante de ecclesia pulsus quam ab aliquo accusatus exstiterat, diligenter investigarent, et sedi apostolicae veracibus plenius referrent indiciis. . . . Photii vero consecrationem non solum minime interim admittendam esse credidimus, verum etiam ipsis legatis nostris ne cum ipso communicarent, frequenti ac commoda jussione praecepimus. Quoniam sicut magniloquus Leo papa scribens ad sanctum Flavianum dicit antistitem: Nos qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus incognitis rebus cujusquam partis in praejudicium diffinire, priusquam universa quae*

Legati Pontificis.

[1]) V. Anastas. in *Vita Nicolai* c. XVIII, et Baronium ad a. 859 n. 59. — Descriptionem donorum cum erudita explicatione habes apud Hefele C. G. B. IV. §. 465.

[2]) Praef. in Conc. VIII; Labbe VIII. 964.

gesta sunt veraciter audiamus. Tantum eis de venerabilibus Domini Nostri Jesu Christi ejusque Genitricis semper Virginis Mariae ac Sanctorum ipsius imaginibus, quidquid quaestio afferret, juste ac pie licentiam dantes.[1])

Nicolai litterae.

34. Legatis igitur suis Rodoaldo Portuensi et Zachariae Ananiensi episcopis Nicolaus commisit litteras d. d. 25 Sept. a. 860, quibus Michaëli et Photio respondit. In litteris prolixioribus ad Imperatorem plurimum questus est de Ignatii depositione, et de Photii laici subrogatione facta contra traditionem Patrum absque consensu Romani Pontificis. Inter alia scribit: *Ad cujus* (apostolicae traditionis) *enim sicut ipsi scitis integritatem observationis, multoties conventus factus fuerit* (fuit) *sanctorum patrum, a quibus et deliberatum ac observatum existit, qualiter absque Romanae Sedis Romanique Pontificis consensu, nullus insurgentis deliberationis terminus daretur. Igitur a vobis Constantinopoli congregatum concilium, ut vestris apicibus nostris intimatum est auribus, hujus tenoris seriem parvipendens, ab institutis supradictis manum considerationis suae reflectere non trepidavit, adeo ut Ignatium supra jam nominatae urbis patriarcham sine Romani consultu Pontificis ibidem coetus conveniens proprio privasset honore.*[2]) In fine epistolae Nicolaus iterum monet Imperatorem, ut provincia Illyrica juribus patriarchalibus Sedis Romanae reddatur, et episcopus Thessalonicensis juxta antiquum morem admittatur ut vicarius Sedis Apostolicae, pariterque ut reddantur ecclesiae Romanae patrimonia ablata in Calabria et Sicilia, utque consecratio archiepiscopi Syracusani exinde a Sede Romana impendatur. — Photio Nicolaus breviorem epistolam scripsit. Laudat professionem fidei orthodoxam, sed ipsius consecrationem ex laico ut canonibus oppositam arguit; confirmationem pro tempore non impendit, ejus tamen spem facit secundum legatorum futura relata. *Quapropter,*

[1]) Epist. 9ª ap. Labbe VIII. 329.

[2]) Nicol. ep. 2ª; ap. Labbe VIII. 270. — Vides etiam hic jam a. 860 a Pontifice ea proponi principia, quae immerito a quibusdam auctoribus hausta dicuntur ex Pseudo-Decretalibus Isidori.

inquit, *vestrae consecrationi consentire modo non possumus, donec nostri qui a nobis Constantinopolim sunt directi revertantur, qualiter per eos cognoscamus vestrae observationis actus et ecclesiasticae utilitatis constantiam, et quo studio circa catholicae fidei defensionem vosmet exerceatis; et tunc si dignum fuerit, ut tantae sedis praesulem, ceu convenit, honorabimus et fraterna dilectione amplectemur.*[1]) Legatis autem Nicolaus simul tradidit varias regulas seu canones, ut iidem Constantinopoli admitterentur, quo in posterum evitarentur ejusmodi turbae.

35. Rodoaldus et Zacharias legati igitur Constantinopolim pervenerunt; sed quum post eorum adventum innotuisset, Nicolaum Papam haud approbare Ignatii ejectionem et Photii subrogationem, indignius ibidem tractati sunt. A consortio aliorum remoti per centum dierum spatium ab Imperatore detenti sunt, iisque exilia et carcerum minae intentatae, nisi ratam haberent Ignatii depositionem et Photii ordinationem. Scribit ipse Nicolaus Pontifex hac de re: *De missis siquidem nostris, quos petitos in servitio beati Petri principis Apostolorum pro utilitate sanctae CPtanae ecclesiae contra depositores imaginum, vel alias necessitates ingruentes, necnon et pro causa solummodo depositionis saepefati viri Ignatii inquirenda, illas in partes direximus, silendum non est: qui, cum eis, sicut dicunt, per centum dierum spatia omnium nisi suorum alloquendi facultas fuisset denegata, ut apostolicae sedis missi non digne suscepti sunt, atque ut decuerat retenti. Quod non pro alia gestum putamus re, nisi ut inquirendi locum de depositione praefati viri non invenirent. . . . Quibus secundum horum relationem longa exilia et diuturnas pediculorum comestiones, si in tali intentione persisterent, quibusdam nuntiantibus, quod illis a nobis injunctum fuit, clam vobis cum sequacibus vestris resistentibus, perficere minime potuerunt, aut depositionem dicti Ignatii utrum justa an injusta fuerit invenire.*[2]) Initio quidem legati restiterunt. *Licet non digne nec legitime decertaverint,*

Legati vexantur.

---

[1]) Epist. 3ª, Labbe VIII. 276.
[2]) Epist. 6ª ad Photium. Labbe VIII. 286.

scribit Nicolaus, *attamen quantumcumque et quomodocumque contradixisse, ac ne deponeretur* (Ignatius) *restitisse probantur.*[1]) Sed paulatim Imperatoris minis perterriti, Photii vero muneribus tentati[2]), animo mutato ministerium suum foeda proditione dehonestarunt et Photio patrocinium omne polliciti sunt.

Photii conciliabulum.

36. Photius igitur ab Imperatore Constantinopoli concilium congregari curavit mense Majo anni 861 in ecclesia ss. Apostolorum. Convenerunt trecenti decem et octo episcopi, unde Photius non erubuit pseudosynodum hanc Concilio comparare Nicaeno. Quamvis Photii et Bardae nutibus omnia dirigerentur, umbra quaedam praesidentiae relicta est legatis Pontificis, ut ipsi judices Ignatii esse viderentur. Legati autem in iis quae fecerunt manifeste transgressi sunt auctoritatem et mandata a Nicolao ipsis concredita. Ignatius primum appellavit ad Romanum Pontificem, ut ab eo judicaretur, sed ejus appellatio non est admissa.[3]) — Nomine legatorum porro ad concilium citatus, et compulsus ut accederet, causam suam magna cum constantia vindicavit, intrepide Photium et adversarios suos facinorum suorum arguit, et merito legatos tanquam judices recusavit, eo quod Photium non rejicerent, sed ut patriarcham haberent et in concilium admisissent. Ita agebant directe contra canones Sardicenses, quibus vetabatur, ne dum causa Romae pendebat episcopo accusato alius substitueretur. Legati sibi conscii quod mandata Pontificis jam transgressi essent, ignavo animo responderunt, voluntati Imperatoris se obsequi. — Frustra etiam Imperatoris ministri variique praesules ab Ignatio postularunt, ut sedis abdicatione pacem restitueret; constanti animo

---

[1]) Epist. 9 ad Michël. Imp., Labbe VIII. 332.

[2]) *Δώροις μὲν παρὰ Φωτίου. ἀπειλαῖς δὲ παρὰ τοῦ βασιλέως ὑποκλαπέντες.* ait Stylianus episcopus Neocaesareensis ep. 1, ap. Labbe VIII. 1397.

[3]) „Cum vero nobis mandatum fuit. ut coram tribunali illo nos constitueremus, clamavimus, appellantes sanctitatem vestram. ut ab ea judicaremur. Sed nullus erat, qui nos audiret.“ Libellus Ignatii ad Nicolaum papam. apud Baronium ad a 861. n. 24 sqq.

enim ipse injustae petitioni cedere recusavit. Quum viri constantiam viderent, qui in conciliabulo convenerant haeserunt quid faciendum esset, ac discordes facti Ignatium dimiserunt.

37. Per aliquot dies dein iterum vario modo tentatus est, ut abdicaret dignitatem suam, sed frustra. Denuo citatus ut synodo se sisteret, venire recusavit, sed Romanum Pontificem appellavit. Ignatius in libello ad Nicolaum dato ait: *Cum misissent praedictorum legatorum ministros, vocant me ad concilium. Ego vero dixi, quod illuc non accederem. Neque enim videram judices illos, legatos scilicet, aliquid secundum ecclesiasticas regulas facere, cum adulterum et intrusum Photium ab ecclesia non ejicerent, sed potius cum illo comedebant, et cujus munera jam dudum acceperant, (nam apud Rhaedetum urbem illis obviam missae sunt vestes sacrae multae). Quapropter tales judices nullo pacto ego accipio, sed ad Papam me adducite, et inde judicium libenter accipio. Haec eadem qui mecum erant alta voce clamarunt. Proinde praefatas epistolas*[1] *ut nobis legerent petimus: canonicae enim demonstrationes et decreta in ipsis inserebantur Innocentii Papae pro s. Joanne Chrysostomo, quod videlicet non oporteret Joannem ad judicium vocari, antequam ipse ad suam restitueretur sedem. Canon etiam Sardicensis quartus haec habet: Quod si quis episcopus depositus fuerit et dixerit, se iterum habere quae dicere possit ad suam defensionem, non antea in ejus sede constituatur alius episcopus, quam Episcopus Romanae ecclesiae hac de re aliquid decernat.* Haec igitur aliaque Ignatius merito suae ad synodum citationi opposuit, nec amplius eidem se sistere voluit. Conciliabulum autem illud contra patriarcham ulterius progressum est. Accusatus fuit, pro-

Ignatii constantia.

---

[1]) Ignatius jam ad legatos transmiserat epistolas Nicolao Pontifici tradendas, quibus referebat ea quae acciderant. „De quibus omnibus, inquit in *libello*, cum litteris vos edocuissemus, quas presbytero Laurentio et duobis Stephanis, alteri videlicet subdiacono, alteri saeculari, episcoporum legatorum famulis tradidimus, quos et juramento obstrinximus, ut vestrae sanctitati illas traderent: nihil horum factum est.“ L. c. n. 26.

ductis falsis testibus, quod contra canones ope gubernii civilis sedem CPtanam occupasset, ac dein iterum damnatus est qui deponatur: imo depositionem ejus et degradationem in ipsa synodo perfecerunt. *Ignatius*, scribit Anastasius Bibl., *in medium trahitur, coram missis Apostolicae Sedis jam senio fessus statuitur, et denuo damnationi submittitur, quin et sacerdotalibus infulis exspoliatur, quasi validior fieret depositio, ubi Sedis Apostolicae per vicarios suos auctoritas adfuisset, cum in his nec illius interfuerit auctoritas, nec missi illi vicariorum more, ut epistolae dant intelligi, fuerint destinati.*[1])

38. Post haec conciliabulum istud aliam sessionem celebravit, in qua ut ad speciem quae Pontifici scripta fuerant adimplerent, de haeresi Iconoclastarum egerunt, et de administratione ac disciplina ecclesiastica varios canones sanxerunt. In ea tantum sessione lectae sunt Nicolai litterae, nec integrae ac genuinae, sed uti eas Photius mutaverat et corruperat. *Quandoquidem*, scribit Nicolaus Pontifex, *ea epistola non solum de sacris imaginibus, verum etiam de audiendo fratre et coëpiscopo nostro Ignatio sententiam Apostolicae Sedis continebat; et vos eam in causa quidem Ignatii consacerdotis nostri quae prius ventilata est, nescimus cujus usi consilio, silentio contexistis; solum hanc postea, quando pro veneratione sacrarum imaginum synodus collecta est, demonstrantes; quamvis in iis quae ibidem ex ea lecta sunt, nonnulla addita, multa mutata, plura subtracta reperiantur, et per omnia talis a vobis effecta, ut aut nihil aut parum aliquid nos per eam de crebro dicti Ignatii disposuisse causa videamur.*[2]) Inter alia mirum corruptionis Nicolaus commemorat exemplum, ex quo Photii animus vaferrimus et ambitione repletus manifeste agnoscitur. *Siquidem*, ait Pontifex, *cum nos inter alia commemorassemus, quod multoties conventus factus fuerit sanctorum Patrum, a quibus et deliberatum ac observatum exstitit, qualiter absque Romanae Sedis Romanique Pontificis consensu nullius insurgentis deliberationis terminus daretur: vos erasistis „abs-*

Litterae Nicolai corruptae.

[1]) Praef. ad Conc. VIII. [2]) Epist. 9.

que", et interposuistis „cum", significare scilicet attentantes: Deliberatum fuerat a sanctis Patribus, ut cum Sedis Apostolicae et ecclesiae vestrae consensu omnis rei finis debeat omnino proferri, cum hoc fieri semper nulla ratione valeat, nullo prorsus exemplo gestum patescat, praesertim cum haec Apostolica semper Sedes in sana fide persistiterit, vestra vero ecclesia, (quantum ad praesulatum pertinet), infirmitate saepe languerit, ac per hoc ista nequiverit adscire quovis modo consensum, cujus pessimum exsecrabatur non immerito sensum.[1])

39. Ignatius post haec aliquo tempore Constantinopoli remansit in palatio Posis dicto, quod olim fuerat matri ipsius Procopiae, ibique composuit *libellum* ad Nicolaum Pontificem, quo eventus ipsi enarrat et ad Sedem Apostolicam appellat. Hisce libellum concludit: *Haec brevibus tibi manifestavi. Tu vero, sanctissime Domine, ostende in me viscera misericordiae, et juxta illum magnum Paulum dic etiam: Quis infirmatur, et ego non infirmor? In mentem revoca praedecessores tuos patriarchas, Fabianum, inquam, Julium et Innocentium, Leonem, et, ut breviter dicam omnes qui pro veritate adversus injustitiam viriliter se gesserunt, et hos imitare, et ad vindictam nostri qui tot injusta passi sumus exurge.*[2]) Photius vero Ignatium cogere meditatus est, ut in ecclesia publice profiteretur, se non canonice electum fuisse, seque non sancte sed tyrannice ecclesiam gubernasse. Sed quum vespere Pentecostes d. 25 Maji a. 861 palatium milites jam circumdedissent, ut Ignatium vi tenerent, is mutatis vestibus salvus aufugit, ac dein per aliquod spatium, multis in angustiis, variis locis sese abscondit. Libellus autem interim Romam delatus est per Theognostum socium illius fidelem, qui erat archimandrita seu abbas monasterii ad Fontem, et exarcha Ignatii in aliquot provinciis pro variis monasteriis, (i. e. vicarius Ignatii quoad supremam gubernationem monasteriorum, quæ exempta erant ab Ordinariis et jurisdictioni patriarchali immediate subjecta). Pervenit tamen Theognostus serius Romam, quam legati Nicolai redeuntes in Urbem, et sic

Ignatii libellus.

[1]) Ibid. [2]) Apud Baron. l. c. n. 31.

Pontifex nonnisi tardius rerum veritatem accurate edoctus est.

Legatorum reditus.

40. Profecti sunt videlicet Rodoaldus et Zacharias legati, favore et muneribus cumulati, versus mensem Augustum a. 861, ut Romam reverterentur. Eos statim secutus est Leo, Michaëli Imperatori a secretis, vir in negotiis gerendis versatus, qui Michaëlis epistolam, Photii litteras apologeticas, et acta concilii deferret. Versus finem anni 861, vel initio anni 862, tum legati tum Leo secretarius Romam pervenerunt. Legati nihil aliud renuntiarunt, nisi depositum Ignatium et Photium in sede CPtana firmatum: Leo vero post duos dies documenta ipsi commissa Pontifici tradidit. *Porro praefati missi tandem reversi*, scribit Nicolaus, *nil aliud renuntiavere, nisi depositum Ignatium et Photium in sede CPtana firmatum. Post duos vero dies legatus a nobis imperialis nomine Leo susceptus duo volumina obtulit, quorum unum depositionis Ignatii gesta continebat, alterum autem habebat de sanctis imaginibus acta. Detulit praeterea idem Leo imperiales litteras deprecantes, quatenus et in depositione Ignatii et in confirmatione Photii consensum praeberemus et subscriberemus.*[1]) Accepit pariter per eum Nicolaus jam commemoratas litteras Photii apologeticas, quibus ipse, affectata quadem pietate et humilitate, sermone diffuso et arte callide composita, quae fecerat excusare et defendere studebat. Praesertim suam ex laico ordinationem sophistica ratione vindicare nitebatur ex disciplina ecclesiae orientalis et exemplis Patrum. Dum disciplinam orientalem describit ut in quibusdam diversam ab occidentali, hanc indirecte carpere nititur. Dein vero fucata modestia advertit, se juxta Pontificis desideria ad scandala pusillorum vitanda providisse, ut in posterum ejusmodi ordinationes etiam in Oriente vitentur.

41. Sed quamvis eo tempore Theognostus ab Ignatio missus nondum advenisset, Nicolaus fraudibus iniquorum non est deceptus. Examinatis litteris et conciliabuli CPtani

---

[1]) Nicol. ep. 1 ad univ. Cath.

actis perspexit Pontifex, legatos Rodoaldum et Zachariam haud secutos, sed transgressos esse mandata ab ipso excepta, litteras iis datas Constantinopoli partim non lectas, partim esse mutilatas atque corruptas, omnia in conciliabulo violenter et contra canones esse peracta. Pontifici igitur visum est necessarium, etiam antequam accuratius singula comperta haberet, reprobare gesta legatorum suorum. *Quapropter*, scribit ipse Pontifex, *dum apud nos imperatorius missus, idest Leo, adesset, convocata tota quae apud nos est ecclesia, professi sumus coram ipsa, sicut et profitemur, pro dejectione vestra* (Ignatii) *et confirmatione Photii nunquam misisse, nunquam missuros esse, et in depositione vestra vel promotione Photii nunquam consensisse, nunquam consensuros esse.*[1]) Imperatoris quidem legatus Leo nisus esse videtur, ut Nicolaum ad agnitionem Photii pertraheret, Romaeque remansit usque ultra medium Martium. Sed firmus in suo judicio perstitit Pontifex, proficiscentique legato litteras tradidit ad Photium et Imperatorem, quibus id eis significavit.

42. Simul vero Nicolaus Encyclicam dedit ad patriarchas et ecclesias Orientis d. d. 18 Martii 862, qua apostolico vigore Ignatii depositionem et Photii usurpationem condemnat, jubetque, hanc suam sententiam omnes ecclesiae amplectantur. *Unde*, scribit, *generaliter agnoscat omnis Ecclesia sanctorum, quia nec nostra fuit conscientia, nec jussio, nec voluntas, super Photii subrogatione vel Ignatii patriarchae depositione; et super hujuscemodi praevaricationibus omnium vestrorum sanctitati satisfaciendo, verissime denuntiamus, quia post verissimam nostri examinis deliberationem nec Photium recipimus, nec Ignatium patriarcham damnamus, nec jussimus, nec consensimus, nec ratam hujuscemodi ordinationem vel indiscretam depositionem manere judicamus, neque firmam absque justae definitionis liberamine ullo modo consentimus, nec Ignatium videlicet patriarcham inter depositos reputamus neque reputabimus, sed nec Photium in episcopali ordine annumeramus nec annumerabimus. . . . Et ut vos hujus Sedis privilegium rite servantes, pari religione catholici, pari etiam* **Nicolai Encyclica.**

[1]) Epist. 13 ad Ignat.; Labbe VIII. 381.

nobiscum super venerabilis Ignatii patriarchae sacerdotii recuperatione et Photii pervasoris expulsione eadem sentiatis, apostolica auctoritate vobis injungimus atque jubemus.[1]) In epistola ad Photium missa Pontifex Sedis Apostolicae auctoritatem vindicat, illius argumenta severâ discussione refutat, eique demum nuntiat, Ignatii condemnationem haud recipi, sed hunc ut legitimum patriarcham esse habendum, Photium vero non agnosci. *Et sicut illum in pristino honore mansurum, si ei damnationis crimina non comprobantur, sancta Romana retinet ecclesia, sic vos, qui incaute et contra paternas traditiones promoti estis, in patriarchatus ordine non recipit, et neque ante justam damnationem Ignatii patriarchae in ordine sacerdotali vobis manere consentit.*[2]) Epistola ad Imperatorem pari cum libertate apostolica scripta est. Modum canonibus oppositum quo res Constantinopoli peractae sint arguens, nuntiat Imperatori: *Quamobrem necessario in sententia nostra, qua stetimus, persistimus, et neque venerabilem Ignatium patriarcham in aliquo damnamus, neque Photium modo quolibet suscipimus.*[3]) Hortatur porro illum, ut non pro arbitrio, sed juxta ecclesiasticam disciplinam negotia ecclesiastica exinde Constantinopoli tractentur. — Quum vero timendum esset, ne litterae istae ad Photium et Imperatorem Constantinopoli occultarentur, Nicolaus epistola encyclica jam memorata providerat, ut sententia Sedis Apostolicae omnibus Orientis ecclesiis fieret manifesta.

43. Aliquanto post multis superatis obstaculis Romam advenit Theognostus, Ignatii libellum appellationis deferens, multique alii Orientales secuti sunt, qui Photii et Bardae violentiam fugiebant. Accuratius tunc Nicolaus res Constantinopoli gestas edoctus est. Hinc mense Aprili a. 863 Romae in synodum convocavit multos Italiae episcopos, et *recitatis omnibus scripturis de graeco sermone in latinum conversis*, causaque discussa Pontifex in Photium tulit damnationis sententiam, qua omni sacerdotali honore et nomine exutus est, eique sub anathemate, quo nonnisi

Damnatio Photii.

---

[1]) Epist. 4ª; Labbe VIII. 277. [2]) Epist. 6ª; Labbe VIII. 282.
[3]) Epist. 5ª; Labbe 278.

in mortis articulo solvi posset, interdictum, ne sacris ultra se ministeriis ingereret, aut Ignatium legitimum patriarcham perturbaret. In hac etiam synodo damnatus est Gregorius Syracusanus Photii ordinator, omnique sacerdotali ministerio ita exutus est, ut ei spes restitutionis aut satisfactionis locus in qualibet synodo intercluderetur, et denuntiatum anathema, si munia aliqua sacerdotalia obiret, vel contra Ignatium turbas excitare pergeret. Omni quoque clericali officio hac in synodo privati sunt, qui a Photio fuerant ordinati. In pristinum gradum restitutus est Ignatius; imo nusquam eum fuisse depositum vel anathematizatum, sed imperiali potentia absque ulla canonica auctoritate ecclesiâ pulsum, pronuntiatum est. In gradus etiam sedesque suas restituti sunt, qui in odium Ignatii fuerant depositi et in exilium amandati. Sacrorum imaginum veneratio contra Iconomachos confirmata est. Zacharias vero legatus praevaricationem suam confessus, depositus est et excommunicatus. Rodoaldus tunc absens erat legatione fungens ad Lotharium regem, ideoque sententia in illum ferenda dilata est.[1]) Sed mense Novembri a. 864 etiam in illum, quum examen et judicium concilii fugeret, eadem sententia depositionis et excommunicationis prolata est. Synodi acta cum epistola Nicolaus Michaëli Imperatori transmisit.

44. Jam videamus quae interim Constantinopoli acciderint. — Multi fidelium Ignatio remanserunt addicti, quumque civitas a. 861 terrae motu aliisque calamitatibus affligeretur, conclamatum est, ob persecutionem illius poenas **Eventus Constantinopoli.**

---

[1]) Haec constant ex epistola 7ª Nicolai Papae ad Michaëlem Imp. data, ex ejusdem epistola 70ª ad Hincmarum et Gallicanos episcopos, et ex Libello synodico, in quo synodus haec Romana recitatur. — Juvabit hic pauca dicere de Libello synodico, qui et Synodicon nominatur. Libellus iste versus finem saeculi IX ab auctore graeco confectus est, continetque brevem notitiam 158 conciliorum novem priorum saeculorum ad Concilium oecumenicum VIII inclusive. Libellum hunc saeculo XVI Andreas Darmarius ex Morea attulit, eumque Pappus theologus Argentoratensis emit, et cum versione latina a. 1601 primum edidit. Invenitur integer in Collect. Concil. Harduini T. V. p. 1491 sqq. Mansi vero ad singula Concilia ea notat quae in libello synodico habentur. V. Hefele, C. G., ed. 2ª B. I. §. 1. p. 84 nota 3.

ejusmodi jam immitti. Inde evenit, ut Imperator et Bardas securum reditum Ignatio publice promitterent; reversus igitur ipse in monasterium sese recepit. — Photius interim studuit firmare dignitatem suam. Splendorem quemdam patriarchatui suo conciliare conatus est variis epistolis, scriptis, laboribus, ut fidem orthodoxam contra haereticos defenderet, et tum singulos, tum integras sectas et nationes, uti Paulicianos et Armenos monophysitas, Ecclesiae reconciliaret. Sed etiam ut varias gentes infideles Slavorum, Chazaros, Bulgaros, Russos, ad fidem adduceret, Photius missionariis eo directis operam dedit. At ex altera parte in impia superbia et ambitione perseverans, pessimis artibus usurpationem suam vindicare ac tueri non destitit.

Photii gesta. 45. Servili plane obsequio Imperatori et aulicis junctus est, et non solum publicis eorum vitiis moribusque dissolutis indulsit, sed in epulis et comessationibus ludicris etiam socium ipsis se praestitit. Epistolis quibusdam suppositis jam antequam legatus Imperatoris Roma rediret studuit comprobare, se ut legitimum patriarcham a Nicolao agnosci, rejici Ignatium. Quum vero Leo legatus rediisset, et epistolae Nicolai quibus usurpatio ejus damnabatur Constantinopolim pervenissent, quantae esset perversitatis luculentius manifestavit. Quamvis enim frequenter asseverasset, nonnisi invitum et coactum se formidandum episcopatus onus suscepisse atque portare, neutiquam sedem quam invaserat reliquit, sed effecit, ut rescripta Pontificis annis 862 et 863 transmissa occultarentur, atque Imperatori ac Bardae illud persuasit principium, Romano Pontifici jus non esse, ut se misceret negotiis Imperii, adeoque irrita esse ejus decreta in causa Ignatii. Eos vero, qui Ignatio adhaerebant, vel blanditiis in suas partes trahere conatus est, vel ipsos, uti et Ignatium, diris persecutionibus vexavit. *Usque in praesens*, scripsit Photio Nicolaus anno 866, *Ecclesiam Dei diversis persecutionibus impugnare non desinis. Ita et fratrem et coëpiscopum nostrum Ignatium, sanctissimum patriarcham, inauditis poenis et horribilibus tormentis afficere non quiescis; sed et omnes quotquot pro veritate et pro fide commode persistere deprehendis, quibus praevales modis perdere*

impraetermisse moliris.[1]) Vir autem hypocrita Photius dum ita saeviret, fingebat se ecclesiam CPtanum contra homines insensatos atque perversos defendere.

46. Sese accinxit porro pseudopatriarcha, ut Romanum Pontificem Nicolaum ejusque primatum et auctoritatem jam aperte impugnaret. Animum ei addiderant difficultates, quae eo tempore in Occidente contra Nicolaum excitatae sunt. Non solum enim tunc in regno Francorum ex parte Hincmari Rhemensis aliorumque praesulum oppositio quaedam contra privilegia Sedis Apostolicae sese manifestabat, sed in causa divortii Lotharii regis, Teutgadus Trevirensis et Guntharius Coloniensis archiepiscopi in apertam rebellionem proruperunt. Imperatorem Ludovicum II in Nicolaum excitare conati sunt, dein vero quum depositi essent et excommunicati, violentam protestationem contra Pontificem sub titulo *epistolae synodalis* promulgarunt et ad multos praesules transmiserunt. Rebellibus etiam se junxit Johannes Ravennatensis episcopus cum fratre suo Gregorio, et Hagano Bergamensis episcopus, ita ut factio seditiosa in Occidente annis 863 et 864 contra Nicolaum sese formaret. Pontifex tamen prudentia et constantia mox conatus illorum reddidit irritos. Sed protestatio illa a factiosis etiam transmissa est ad Photium, a quo et auxilia petierunt. Ita iste in ausibus suis funestis confirmatus est.[2]) — Pugna contra Pontificem.

47. Anno 865, auctore Photio, Michaël Imperator litteras dedit ad Nicolaum Pontificem ab ipso Photio conscriptas, quas Michaël protospatharius mense Augusto illius anni Romam detulit. Deperdita est ista epistola; summa illius capita tamen colliguntur ex epistolis Nicolai octava et nona ad Imperatorem Michaëlem directis, quibus Pontifex huic respondet. Michaëlis epistola referta erat injuriis et contumeliis, et eâdem jam ipse Romani Pontificis primatus impetebatur. Arguebat Pontificem Michaël, ac si ipse ei superior esset cujus mandatis obtemperandum, et postulabat, ut voluntatem ac sententiam Pontifex mutaret. — Imperatoris epistola.

---

[1]) Epist. 11a; Labbe VIII. 371.

[2]) Cfr. Hergenröther l. c. p. 547.

simul advertens, inanem omnino esse Nicolai oppositionem. *Sed dicis*, scribit Pontifex ep. 9[a], *etiam sine consensu nostro Photium et ecclesiam retenturum, et communionem Ecclesiae habiturum, Ignatium vero nihil per nos meliorationis penitus adepturum.* Exigebat etiam, ut Theognostus archimandrita et reliqui Ignatii amici ipsi Imperatori traderentur. Postremo nisi postulata adimpleret Pontifex, urbis exterminium minabatur. *Interminationibus crebris deterrere nos et minitari videmini, tanquam sitis patriae et urbi nostrae ultimum exterminium illaturi.*

48. Nicolaus Imperatoris litteras accepit, quum in eo esset, ut Constantinopolim mitteret legatos cum epistola admodum benevola ad Imperatorem, utque novos conatus faceret ad pacem Constantinopoli restaurandam. Sed quum a Michaële talia scripta ad ipsum directa essent, et illius quoque legatus animum Pontifici infensum prae se ferret, Nicolaus ad Imperatorem graves reddidit litteras, quibus apostolico vigore sugillat ejus irreverentiam, arrogantiam, et malam fidem qua sophismatibus facta et scripta anteriora a vero detorquebat. Ostendit dein, quam juste ac prudenter Apostolica Sedes in causa Ignatii egerit; Romani Pontificis jura et primatum pluribus vindicat, et irrita declarat, quae contra ejus consensum et auctoritatem disponantur. Veluti jam praevidens conamina schismatica Orientalium severa argumentatione ostendit, primatum et jura Romani Pontificis divinae institutionis esse, et a nullo posse violari vel minui. *Si contra privilegia Romanae ecclesiae*, scribit, *nisus vestros erigitis, cavete, ne super vos convertantur. Durum quippe est vobis, contra stimulum calcitrare. Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario, quales Dominus noster Jesus Christus hos haberi praecepit, qui Ecclesiam Dei audire contempserint, praesertim cum ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, et a sanctis universalibus Synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amovere cona-*

Nicolai responsum.

tus, et quod Deus statuit, firmum, validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia, inquam, istius sedis vel ecclesiae perpetua sunt; divinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt et permanent, Deo gratias, hactenus illibata, manebuntque post vos, et quousque christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur privilegia huic sanctae ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata sed jam solummodo celebrata et venerata, per quae non tam honor quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione gratiae Dei per beatum Petrum et in beato Petro simus adepti, nos cogunt nosque compellunt omnium habere sollicitudinem ecclesiarum Dei.[1])

49. Sed ut ostenderet Pontifex, quantopere desideraret pacis et concordiae restaurationem, se paratum exhibet ut Ignatii et Photii causam novo examini subjiciat. *Sed hoc secundum indulgentiam,* inquit, *concedimus, non licentiam id efficiendi pro libito cujuslibet tribuimus.* Ab Apostolica Sede videlicet appellari non posse, sed eam esse supremum tribunal, scite animadvertit et probat. Proponit igitur et monet, ut Ignatius et Photius Romam veniant ad renovandum causae examen, idque merito a se postulari ostendit exemplo Julii Pontificis, qui quondam Athanasium et adversarios ejus Romam accersivit. Sed si Ignatius et Photius venire nequeant, acquiescit ut deputati mittantur, et quinam ex parte Ignatii dirigendi sint Romam determinat. *Porro,* scribit, *si venire illi per se nequeunt, primo quidem ipsi cujus rei causa venire non valent, nobis per satisfactorias suas litteras indicent. Deinde veniant de his qui cum Syracusano Gregorio sunt quotquot voluerint, vices caeterorum tenentes qui sunt ipsius partis. Mittantur etiam de parte Ignatii archiepiscopi quidam, Antonius Cyzici, Basilius Thessalonicae, Constantinus Larissae, Theodorus*

Offertur novum examen.

---

[1]) Epist. 8ª; Labbe VIII. 314.

Syracusanorum[1]), *Metrophanes Smyrnae, et Paulus episcopus Ponti Heracliae, hegumeni autem Niceta Chrysopoleos, Nicolaus Studii, Dositheus Osiidii, Lazarus presbyter, et monachus qui dicitur Cazaris; qui nisi fuerint missi, suspectos vos reddetis.* Ex parte Photii et Imperatoris etiam quoscumque voluerint mitti posse indicat, atque omnibus illis praesentibus examen instituendum sententiamque ferendam. *Quibus ex utraque parte convenientibus et coram nostra praesentia et fratrum et coëpiscoporum nostrorum auditis, quid quaestionis inter utramque partem emerserit, facilius agnoscamus et canonice finiamus.*[2]) Monet demum Nicolaus enixe Imperatorem, ut postulata adimpleat. Anathema vero minatur universis, qui forte litteras suas occultent, ne in manus Michaëlis perveniant, vel qui aliquid in ipsis immutent. Eodem tempore Pontifex etiam ad episcopos Orientis direxit epistolam, qua eos monet, ne artibus Photii circumveniri se sinant.[3])

Photii pertinacia.

50. Constantinopoli Photius ac principes Nicolai litteras ac monita spreverunt, et in coeptis persistiterunt. Nec rerum conditio mutata fuit, quando mense Aprili a. 866 Bardas jussu Michaëlis, et auctore imprimis *Basilio* cubiculario Imperatoris, occisus est. Photius illico Basilii favorem sectatus est, et immemor beneficiorum quae a Barda acceperat, vili obsequio ad Michëlem duas epistolas scripsit, quibus in Bardam invehebat et Imperatori gratulabatur, quod ejus insidias effugisset. Majorem etiam pseudopatriarcha influxum tunc acquisivit. — Clerum vero CPtanum, in quo jam multos habebat discipulos et amicos, intimius sibi devincire nisus est occasione conversionis regis et populi Bulgarorum: controversiâ enim ea in causa cum

---

[1]) Vide, hic commemorari Theodorum episcopum Syracusanum. Incertum est, utrum is ab Ignatio in locum Gregorii depositi fuerit ordinatus, an vero episcopus jam fuerit antea.

[2]) Epist 8ª. — Juvat animadvertere, ex hisce Nicolai litteris, ob praeclaram expositionem doctrinae et principiorum juris, multa decerpta, et Corpori Juris canonici inserta fuisse.

[3]) Cfr. Hergenröther, Photius, B. I. p. 579. Excerpta ex hac epistola exstant ap. Mansi, T. XVI. p. 301—304.

Latinis exortâ, Photius ecclesiae et cleri CPtani honorem et jura visus est vindicare. Quum haec de Bulgaris quaestio cum eventibus quae sequuntur valde connexa sit, breviter ea de re agamus.

Bulgarorum conversio.

51. Bulgari, natio Asiatica, saeculo septimo (a. 679) occuparant regionem inter Danastrim, Danubium et Haemum (Balkan), imperioque orientali passim non exigua pericula parabant. Anno 813 devictis Graecis usque Constantinopolim pervenerunt, et Hadrianopolis archiepiscopum Manuelem magnumque civium numerum in Bulgariam abduxerunt, quorum exemplis et sermonibus permoti multi Bulgarorum, relicta idololatria, religionem christianam susceperunt. Verum jubente rege Cutragone, qui metuebat, ne tota gens ad religionem christianam transiret, Manuel cum pluribus aliis inter cruciatus enecatus est. Postea inter Bulgaros monachus captivus Kuphara praedicavit, regem Bogorim tamen permovere non potuit, ut Christianus fieret. Interim regis soror a Graecis capta Constantinopoli religionem christianam edocta et baptizata est, atque Imperatrix Theodora ei a. 845 reditum in Bulgariam concessit; Kupharae pariter a Bulgaris licentia data est in patriam remeandi. Regia illa virgo multum laboravit, ut Bogorim fratrem converteret ad religionem christianam. Quam ut demum reapse amplecteretur, contulit, quod a. 863 dira fames invocato Christi nomine cessaret, et s. Methodii monachi CPtani sollicitudo, qui perhibetur, quum arte quoque pingendi valeret, pictura ultimi judicii confecta regem vehementer commovisse.[1]) Bogoris igitur anno 864, uti videtur, per episcopum Josephum a Photio missum baptismum, simulque ex Imperatore patrino Michaëlis nomen suscepit. Regis exemplum multi secuti sunt, et anno 865 religio christiana jam late in Bulgaria propagata est. Eo anno Photius ad

---

[1]) Controvertitur, utrum Methodius iste fuerit idem, ac celeberrimus ille Slavorum apostolus. Id valde probabile esse ostendit Em. Hergenröther, Photius t. I. p. 594 sqq., ubi ea quae ad Bulgarorum conversionem eventuumque chronologiam spectant accuratius enarrata invenies.

Michaëlem regem longam dedit epistolam pastoralem, qua ei doctrinam et disciplinam christianam additis adhortationibus fuse exponit, sed ea ratione, quae pro principe ac natione rudiori ac vix conversa nimis subtilis erat et docta.

Legatio ad Nicolaum.

52. Misit autem rex Bogoris eodem fere tempore legatos ad Nicolaum Pontificem, qui huic quaestiones non paucas de religione proponerent, et ab ipso postularent episcopos et presbyteros, ut totius nationis conversio perficeretur, atque res ecclesiasticae in illa regione apto ordine disponerentur. Variis motivis Bogoris inductus est, ut ad Romanum Pontificem se verteret. Dum turbae etiam graviores in regno ejus ob christianismi praedicationem orirentur, clerici orientales minus solliciti et apti visi sunt ad res bene ordinandas, et superstitionibus atque arrogantia gentem vexarunt, uti ex responsis Nicolai colligitur.[1]) *Deprecamini nos simpliciter*, scribit Nicolaus, *ut vobis, quemadmodum caeteris gentibus, veram et perfectam christianitatem, non habentem maculam aut rugam, largiamur, asserentes, quod in patriam vestram multi ex diversis locis Christiani advenerint, qui prout voluntas eorum existit, multa et varia loquuntur, id est Graeci, Armeni et ex caeteris locis* (c. 106). *Refertis, quod Graecorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum, unus ex eis accipiens parvissimam particulam ligni hanc intra ipsum codicem condat, et si undecumque aliqua vertitur ambiguitas, per hoc affirment scire se posse quod cupiunt* (c. 77). *Graecos dicere perhibetis, quod in illarum patria chrisma et oriatur et per totum mundum tribuatur; et ideo nosse desideratis, si verum sit. Sed jam credimus, quod vestra solertia, quod verum non sit, animadvertat* (c. 94). *Praeterea indicastis, quod quidam Graecus mentiens fateretur se presbyterum esse, cum non esset, ac per hoc plurimos in patria vestra baptizasset. Cum ergo vos inspiratione Dei cognovissetis, quod non esset presbyter, judicaveritis, ut amitteret aures et nares, et acerrimis*

---

[1]) V. Responsa Nicolai Papae ad consulta Bulgarorum; Labbe VIII. 516.

verberibus caederetur et ex vestra patria pelleretur (c. 14). — Vides, Orientales Bulgaris querelarum occasionem dedisse; probabile etiam est, Bogorim novisse Photii litem contra Ignatium, indeque CPtanos ei suspectos fuisse.

53. Praeterea vero vix dubitari potest, ob rationes quoque politicas Bogorim cum Occidentalibus et cum Romano Pontifice potius desiderasse connexionem arctiorem, quam cum imperio orientali et cum patriarcha CPtano. Timebat videlicet rex, ne independentia ejus politica periclitaretur, si dependentiâ ecclesiasticâ ipsius regnum patriarchae CPtano subjiceretur. Desiderabat igitur proprium patriarcham in suo regno habere, idque a Pontifice obtinere. Etiam cum principibus Occidentis Bogoris eo tempore studuit amicitiam inire, sperans profecto fore, ut contra Imperium Orientis occasione data inde auxilia obtineret. Ita Annales Bertin. ad a. 866 haec habent: *Mittens* (Bogoris) *ad Ludovicum Germaniae regem, qui ei foedere pacis conjunctus erat, episcopum et presbyteros postulavit, et ab eo missos debita veneratione suscepit. Ludovicus autem ad Carolum fratrem suum mittens, in ministerium clericorum apud fratrem suum vasa sacrata sacrasque vestes et libros petiit. Unde Carolus ab episcopis suis non parvam summam accipiens ei ad dirigendum regi Bulgarorum transmisit.*

54. Venerunt igitur mense Augusto anni 866 Romam Bulgarorum legati, Pontifici deferentes regis litteras ac munera, atque variarum quaestionum solutionem, et ecclesiae in illis regionibus ordinationem a Nicolao petentes. Magno gaudio Nicolaus affectus est, uti ipse in epistola ad Hincmarum (ep. 70[a]) scribit: *Cum his*, inquit, *anxietatibus undique coarctaremur, et ingentibus premeremur angustiis: ecce subito legati . . . regis Bulgarorum nobis adesse nuntiantur. Unde, quis est qui dicere possit, quanto gaudio vel quanta exultatione simus repleti, eo quod et salubrem eorum conversionem per divitias bonitatis Dei cognovimus, et quia illos doctrinam beati Petri Apostoli et Sedis ejus exquisivisse comperimus, qui licet longe positi corpore, nobis*

Legatorum adventus.

tamen facti sunt fide praesentes[1]). Magna cum sapientia ad quaestiones propositas Pontifex respondit, ita ut Nicolai *Responsa ad consulta Bulgarorum* constituant egregium documentum sollicitudinis pastoralis hujus Pontificis. Quoad petitionem ut patriarcham haberent, Pontifex respondet c. 72: *Requisistis, si liceat in vobis patriarcham ordinari. Sed de hoc nihil diffinitive respondere possumus, priusquam legati nostri, quos vobiscum mittimus, reversi fuerint, ut nobis, quae inter vos multitudo sit, et unanimitas Christianorum renuntient. Nam interim episcopum habetote, et cum incremento divinae gratiae christianitas ibi fuerit dilatata, et episcopi per singulas ecclesias ordinati, tunc eligendus est inter vos unus, qui, si non patriarcha, certe archiepiscopus appellandus sit, ad quem omnes concurrent.* — Conjunctioni vero cum Sede Apostolica servandae providet scribens c. 106: *Sed et illi, sive nunc sive post haec, semper in rebus dubiis et negotiis majoribus Sedem totius Ecclesiae more consulent Apostolicam, et ab illa instructi in quibus oportet instituent, et quae Dei sunt sedula praedicatione docebunt.*

Nicolai sollicitudo.

55. Misit Nicolaus in Bulgariam ut legatos suos Paulum Populoniae et Formosum Portus episcopos; Bogoris eos magno cum honore recepit, quumque diversos ritus et usus admittere in regno suo nollet, orientales missionarios dimisit, et juxta legatorum mentem omnia disposuit. Tantum favorem Formosus apud regem consecutus est, ut hunc in archiepiscopum expeteret. Sed Nicolaus non consensit, alios tamen duos episcopos cum presbyteris in Bulgariam misit. De istis eventibus Anastasius in *Vita* Nicolai: *Porro a praenominato rege Bulgarorum apostolici missi pia mente carissimaque devotione suscepti, coepere salutaribus populum edocere monitis, et a minimo usque ad maximum sacro fonte, Dei gratia, abluere, omnemque ritum christianae fidei (sicut a sanctissimo papa instructi fuerant) et consuetudinem Bulgaris tradiderunt. Gloriosus autem rex fidei tanta coepit flagrare monitis hujus pii Patris constantia, ut omnes a suo regno pellens alienigenas praefatorum apostoli-*

---

[1]) Labbe VIII. 470.

corum solummodo praedicatione usus missorum, pascuis vitae aeternae jugiter refici, pia mente decreverit: unumque ex iis, Formosum vita et moribus episcopum, sibi dari archiepiscopum expetierit. Tunc iterum idem rex legatos suos Romam direxit, et inter alia beatissimo Papae id ipsum suggerens, ab ejus sanctitate pro instructione gentis illius presbyteros postulavit. Ipse vero talibus Papa compertis, valde garisus est, et infinitas Deo laudes rependens, non paucos numero coram se probavit presbyteros, et quos dignos reperit, praedicationis gratia in Bulgariam direxit, cum quibus Dominicum Trivensem et Grimoaldum Polymartiensem episcopos destinavit. Ut, quia Formosum ipsum plebem dimittere sibi creditam non oportebat episcopum, ex his presbyteris ad archiepiscopatus dignitatem qui dignus inveniretur in nomine Domini tandem eligeretur, et Sedi consecrandus Apostolicae mitteretur. — Isti igitur episcopi et presbyteri in Bulgariam profecti sunt, et per aliquod tempus ibidem magno cum fructu religionem christianam propagarunt atque firmarunt.

56. Quum anno 866 exeunte Formosus et Paulus cum legatis Bogoris in Bulgariam redirent, Nicolaus ea occasione usus est, ut Constantinopolim mitteret legationem, et novum conatum faceret ad turbas in illa ecclesia exortas sedandas. In synodo plurium episcoporum Pontifex statuerat quae conveniebant. Qua de re scribit in epistola (70[a]) ad Hincmarum Rhemensem: *Sed ut plenius haec tam ipsi Imperatori quam aliis fidelibus intimari potuissent, convocatis quibusdam e vicinis locis fratribus et coëpiscopis nostris, de his, quod nobis canonice visum est decrevimus et ordinavimus. Quo rite, sicut arbitramur, ordinato, quaerere coepimus opportunitatem, qua freti missos Apostolicae Sedis etiam adhuc Constantinopolim cum exhortatoriis epistolis destinaremus . . . . Videbatur enim nobis iter navale satis difficile, et propter eorumdem Graecorum expertas insidias valde cavendum . . . . Sed et* (valde gavisi sumus), *quia per eorum* (Bulgarorum) *regnum facilem ac terrenum missis nostris ad terram Graecorum accessum patere perspeximus. Ordinatis igitur tam quae Bulgarum gentis congrua fidei rudimentis*

Legati Cpolim missi.

agnovimus, quam quae Constantinopolim mittere disposueramus, missos quoque nostros cum legatis jam nominati regis per ipsius transituros regionem direximus.[1]) Legatis istis Nicolaus deferendas dederat epistolas d. d. 13. Nov. 866 ad Imperatorem, Bardam cujus necem ignorabat, Photium, Ignatium, et alios; iterumque Encyclicam misit ad orientales episcopos, qua eos de rerum statu instruit ac monet, ut ecclesiasticam tueantur disciplinam, caveantque ne laici ad episcopatus promoveantur.[2])

Retinentur in Bulgaria.

57. Profecti quidem sunt Pontificis legati, sed jussu Michaëlis Imperatoris et Basilii, qui ab eo pariter Augustus creatus erat, in finibus regni Bulgarorum prohibiti sunt ulterius progredi, nisi *libellum fidei* signarent, quo plura ipsis proponebantur damnanda, quae Photius Latinis tanquam erronea exprobrabat. Anastasius in *Vita Nicolai* scribit: *Donatus reverendus episcopus, Leoque presbyter, et Marinus apostolicae Sedis minister, dum Constantinopolim ire vellent, ecce inter fines Bulgariae CPtanorumque quemdam Theodorum marcham illam custodientem invenerunt, qui eos ultra non dimisit abire, quin potius innumeris eos denotans injuriis, adeo tantae Sedis legatis abusus est, ut etiam equorum in quibus sedebant capita percuteret, diceretque: Imperator noster vos necessarios sane non habet. Sed idem Imperator legatis regis Bulgarorum ita fertur dixisse:*

---

1) V. Labbe VIII. 470.

2) Anastasius refert, secundum exemplum Photii etiam alibi in Oriente jam laicos episcopatum assecutos esse. „Nam tantum, scribit, hujus ambitionis pullulavit longe lateque temeritas, ut mox Hierosolymis quidam laicus nomine Salomon, extemplo clericus factus, sit ordinatus antistes; quod nunquam factum est, etiam ab ipso Jacobo, qui primus illic episcopus exstitit, nisi postquam Photius noviter in clero plantatus et confestim praesul factus auditus est. Apud Constantinopolim autem nonnulli ex tunc laici etiam virtutibus operam tribuebant, tantum ut sacram possent pertingere dignitatem; at ubi compotes fieri nequiverint, mox continentiae frenis laxatis in suis voluptatibus ire coeperunt, et quod non sanctitatis sed avaritiae cultores existerent, protinus ostenderunt. . . . Praeterea penes Alexandriam et Antiochiam in tantum radix hujus pestis excrevit, ut a tempore promotionis crebro dicti Photii hactenus evelli non possit.“ Praef. in Conc. VIII.

Nisi per Bulgariam missi Sedis Apostolicae venissent, nec faciem meam nec Romam diebus vitae suae viderent. Illi vero per quadraginta dies illic residentes, ut cognoverunt quia hoc Imperator Graecorum fieri jusserat, terga verterunt et Romam haec eadem nuntiantes coacti reversi sunt[1]). *De* libello fidei autem Nicolaus scribit in epistola (70) ad Hincmarum: *Et adhuc, quod est gravius et insanius, a missis nostris contra omnem regulam et praeter omnem consuetudinem, libellum fidei, si ab eis recipi vellent, exigere moliebantur, in quo tam ista capitula, tam ea tenentes anathematizarent; nec non epistolas canonicas has* (commendatitias) *ei, quem suum oecumenicum patriarcham appellant, dandas improbe requirebant.*[2])

58. Interim Photius actus impietatis ardore, qui vehementer inflammatus erat iis quae apud Bulgaros evenerant, sese accinxit ad bellum apertum contra Romanum Pontificem. Misit igitur ad episcopos Orientis encyclicam epistolam, quae haberi potest ut documentum illud, quo schismati futuro via aperta est. Eâdem errores et usurpationes Latinorum in Bulgaria magna cum violentia impugnat, et praesules Orientis ad Concilium oecumenicum contra eos Constantinopoli celebrandum invitat. Incipit haec epistola illis verbis: *Photius miseratione divina archiepiscopus Constantinopoleos, novae Romae, et oecumenicus patriarcha. — Humani generis hostis nondum videtur nostris malis satis contentus, neque fraudibus et adinventionibus suis finem imposuisse, quas ab initio contra nos struere studuit.* — Postquam dein de erroribus devictis, de Armenorum ex haeresi reditu, ac de Bulgarorum recenti conversione cum fastu quodam disseruit, incipit invectivas suas contra Latinos, eorumque in Bulgariam irruptionem erroresque ibi introductos furibunda eloquentia enarrat. Ista jam citemus ut appareat, quaenam capita ab ipso Latinis, ut schisma perficeret, objecta fuerint. *O iniquum,* exclamat, *et invidum facinus et impium consilium! Cum enim istarum rerum* (in Bulgaria) *narratio et fama bonorum nuntiorum esset*

Photii encyclica.

[1]) Vita Nicolai c. 41. 42. [2]) Labbe VIII. 470.

argumentum et occasio, ad moestitiam nihilominus e vestigio transmutatur laetitia ipsa, gaudio in dolorem et lacrymas converso. Gens enim illa cum vix duos annos rectam Christianorum religionem veneraretur, viri quidam impii et quorum commercium est vitandum, (et quonam nomine pius aliquis eos dicere posset?), viri, inquam, e tenebris emergentes, occidentalis enim plagae fuerunt genimina, (hei mihi, quomodo reliqua narrare potero?) isti quidam adversus gentem illam, Bulgarorum videlicet, nuper ad pietatem informatam, quasi tonitruum quoddam vel terrae motus vel grandinis impetus, vel potius (ut magis proprie loquamur) ut singularis ferus, irruentes, vineam Domini dilectam et nuper plantatam pedibus et dentibus, conversationis videlicet pravae, malis moribus et dogmatum corruptela, quod ad eorum audaciam pertinet, depraedantes depasti sunt. A rectis enim et puris dogmatibus et Christianorum immaculata fide evellere malis artibus et corrumpere illos procurarunt.

Errores Latinis exprobrati.

59. Singula capita errorum enumerat. *Et primum quidem ad sabbatorum jejunia ipsos impie transtulerunt. Solet autem vel quaelibit parva traditionum praevaricatio, ad universi dogmatis contumeliam et contemptum converti. — Primam praeterea Quadragesimae hebdomadam ab alio Quadragesimae jejunio intercidentes, in lactis potationem et casei comestionem, et aliarum rerum hujusmodi ingluviem protraxerunt. Hic illi viam transgressionum aperientes et dilatantes a recta via alios averterunt. — Sacerdotes etiam legitimis nuptiis honestatos, isti quidem qui multas virgines absque viris mulieres ostendunt et matres filios alentes quorum patres videre non licet, hi inquam, effecerunt, ut Dei vere sacerdotes odio haberentur et vitarentur, Manetis culturae semina in illis disseminantes*[1]*), et animas, quae nuper coeperant germinare pietatis semen, zizaniorum superseminatione profanantes. Quin etiam illos qui a presbyteris chrismate uncti fue-*

[1]) *Τῆς Μανοῦ γεωργίας ἐν αὐτοῖς τὰ σπέρματα κατασπείροντες:* accusat Latinos quod Manichaeismo, rejectis sacerdotum connubiis, faveant. Ap. Baron. ad a. 863 n. 37 male vertitur „malae messis germina in seipsis disseminantes.“

rant, iterum inungere ipsi non horruerunt, episcopos seipsos jactitantes, et presbyterorum chrisma inutile esse et frustra conferri, portentose docentes. Num reperitur aliquis, qui talem unquam auribus acceperit insipientiam, quam isti mente capti audere non dubitarunt? illos videlicet qui semel uncti sunt chrismate, iterum ungentes, et Christianorum excelsa et divina mysteria et sacramenta in magnas nugas et derisum magnum convertentes. Sed, inquiunt illorum sapientes et docti vel potius revera omnino indocti et a rebus sacris alieni et imperiti: non licet sacerdotibus eos qui sacro baptismate initiantur et decorantur chrismate sanctificare; solis enim pontificibus hoc datum est. Sed dicant mihi, unde venit haec lex? et quisnam hujus legis conditor? Quive ex Apostolis, vel Patribus, vel Synodis id docuit? . . . Sacerdos baptizat baptizandum perficiens: quomodo igitur illius puritati, cujus ipse est auctor, custodiam et confirmationem auferes a sacerdote? neque ministrum illum esse permittes tanti doni? neque in baptizato aliquid sacerdotem perficere asseris? Ea videlicet de causa, ut tuus sacerdos vanis nominibus te exornans, te solum principem, te episcopum ostendat in sella collocatum.

60. Dein vehementius errorem dogmaticum *de processione Spiritus Sancti* Latinis exprobrat. — *Sed neque hoc tantum impie agendum illi decreverunt, verum etiam si quae est malorum summa et apex, ad hunc deducti sunt. Praeter enim absurditates quas supra recensuimus, sacrum etiam et sanctum symbolum, quod ab omnibus synodicis et oecumenicis calculis irrefragabilem vim habet et auctoritatem, spuriis et falsis quibusdam disceptationibus et alienis rationibus et audaciae quodam excessu adulterare conabantur. O mali daemonis artes! Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere noviter docentes. Quis unquam talem vocem ab iis qui alias impie sunt locuti prolatam audivit? Quis lubricus anguis eorum cordibus hoc instillavit? Quis omnino eorum qui inter Christianos agunt ferre posset in sancta Trinitate duo introducta principia et causas, Patrem nempe causam Filii et Spiritus, Spiritus autem causam Filium? Hoc est monarchiam in duplicem deitatem solvere, et non minus quam gentilitiam mythologiam,*

Processio Spiritus S.

Christianorum discerpere theologiam, atque ita Trinitatis dignitatem supersubstantialis et monarchicae per contumeliam imminuere.

Convocatio ad synodum.

61. Convocat dein praesules ad synodum, ut errores istos cum auctoribus eorum damnent et orthodoxam doctrinam in Bulgaria custodiant. Sed etiam manifestius bellum contra Sedem Romanam movendum indicat, referens, ex Occidente missam esse epistolam synodalem multis cum accusationibus contra Nicolaum, et hac de re quoque sententiam esse ferendam. *Ex partibus enim Italiae*, scribit, *synodica quaedam epistola ad nos allata est, sexcenta mala continens et delicta, quae adversus proprium eorum episcopum illi qui Italiam incolunt conqueruntur; sexcentas etiam obtestationes cum magna irae Dei comminatione nobis adhibent, ne ipsos praetermittamus ita misere perditos et tanta et adeo gravi tyrannide oppressos; sacerdotales praeterea leges et omnes ecclesiasticas regulas conculcatas narrant. Quae jam diu quidem a monachis et presbyteris inde aufugientibus ad omnium aures devenerunt. Nunc vero, ut superius dixi, diversae litterae diversorum inde venerunt hujusmodi tragoediae et sexcentorum malorum plenae, quarum exempla juxta eorum preces et contestationes . . . his nostris litteris adjecimus, ut de his rebus etiam, sancta universali synodo in Domino congregata, quae placuerint Deo communi sententia confirmentur, et magna pax Ecclesiae Christi restituatur.*[1])

Epistola ad Bulgaros.

62. Praeterea vero Photius nomine Imperatorum Michaëlis et Basilii ad regem Bulgarorum misit epistolam, qua conquestus est, quod a Graecis sese verterit ad Latinos, multasque in hos congerit accusationes. Praeter quinque errorum capita quae in Photii encyclica continentur, epistola haec adhuc alia continebat, uti ex Nicolai ep. 70[a] ad Hincmarum colligitur. *Accipientibus nobis*, scribit, *et perscrutantibus eamdem cum aliis scriptis epistolam, non, hanc saepe memorati principes dictantes, nisi in lacu blasphemiae*

---

[1]) Vide litteras Photii ap. Baron. ad a. 863, n. 33 sqq.; Migne, Patr. Gr. tom. CII. p. 722 sqq.

tinxisse calamum, et luto erroris usi pro atramento fuisse procul dubio patuere. Recensens dein varias accusationes quas superius jam memoravimus, etiam haec addit: *Insimulare tentant, quoniam presbyteros chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus, quod tamen chrisma nos ex aqua fluminis conficere fallaciter arbitrantur . . . . Mentiuntur, nos agnum in Pascha more Judaeorum super altare pariter cum Dominico corpore benedicere et offerre. Quin et reprehendere satagunt, quia penes nos clerici barbas radere suas non abnuunt, et quia diaconus non suscepto presbyteratus officio apud nos episcopus ordinatur.*[1]) Sed et primatum Ecclesiae Romanae directe in ea epistola fuisse impetitum, colligitur ex istis Nicolai verbis: *Sed quid mirum, si hoc isti praetendunt, cum etiam glorientur atque perhibeant, quando de Romana urbe Imperatores Constantinopolim sunt translati, tunc et primatum Romanae Sedis ad CPtanam ecclesiam transmigrasse, et cum dignitatibus regiis etiam ecclesiae Romanae privilegia translata fuisse. Ita ut ejusdem invasor ecclesiae Photius etiam ipse se in scriptis suis archiepiscopum atque universalem patriarcham appellet.*[2]) — Ita Photius ex falsis principiis ultimas consequentias schismaticas deduxit.

63. Antequam ulterius progrediamur convenit, ut examinemus breviter modum agendi Nicolai quoad Bulgaros, ac Photii accusationes. Etenim tum Graeci schismatici ac Protestantes, tum alii quidam auctores, uti Pichler,[3]) dum Photium defendunt et excusant, Nicolaum arguunt, quod ipse et missionarii ab eo in Bulgariam missi, ambitione vel violentia sua provocaverint Photium ad encyclicam illam promulgandam. Sed omnino injustam esse hanc accusationem liquet, si rerum adjuncta perpenduntur. Bulgarorum regnum situm erat in Illyrico, quod de jure spectabat ad patriarchatum occidentalem Romani Pontificis. Vidimus, a Leone Isauro (a. 730) Illyrici provincias violenter juribus patriarchalibus Romani Pontificis subtractas, Expenduntur accusationes.

---

[1]) Labbe VIII. 470. 471. [2]) Ibidem col. 472.

[3]) V. Pichler, Geschichte der kirchlichen Trennung zwischen dem Orient und Occident. B. I. p. 192 sqq. (München 1864).

et patriarchae CPtano addictas fuisse. Sed Bulgari pagani jam a. 678 sub Constantino Pogonato regnum suum fundaverant in parte Illyrici; adeoque illa regio semper ad patriarchatum Romanum pertinuerat, donec irruentibus Bulgaris paganis religio christiana ibidem exstincta fuit. Vides proinde. Romanos Pontifices, uti summo jure totum Illyricum ipsis ereptum sibi vindicabant, ita a fortiori in Bulgariae regnum ad fidem conversum suum influxum et jurisdictionem patriarchalem potuisse et debuisse extendere. Quando autem Bogoris ipse a Nicolao petiit, ut res ecclesiasticas Bulgarorum conversorum disponeret, sollicitudo ecclesiarum quae Nicolao incumbebat, ut illi obsecundaret omnino requirebat, simulque ea occasione plane utendum erat. ut jurisdictio patriarchalis in illis partibus restitueretur. Quodsi missionariis orientalibus molestum erat, a Bogore tale consilium suscipi et a Nicolao episcopos et presbyteros latinos mitti, ipsos vero ex regionibus istis a rege dimitti: motiva quidem politica regis displicere poterant, Pontificis vero acta reprehendi non poterant. Caeterum ipsorum Orientalium culpa magna erat. Etenim quum Nicolaus nosset eorum animum ad schisma propensum et Latinis hostilem, quumque justae adessent querelae de presbyteris graecis in Bulgaria, Pontifex necessario providere debebat rebus ecclesiasticis et religiosis in illo regno.

Bulgariae regnum.

64. Immerito etiam carpit Pichler[1]) Nicolaum, ac si in Responsis ad Bulgaros clerum orientalem inconvenienti ratione tractaverit, e. g. agens de presbyteris matrimonio junctis. Ipsum Pontificis hac de re responsum citemus. *Consulendum decernitis*, scribit c. 70, *utrum presbyterum uxorem habentem debeatis sustentare et honorare, an a vobis projicere. Quo respondemus, quoniam, licet ipsi valde reprehensibiles sint, vos tamen Dominum imitari convenit, qui solem suum, ut Evangelium testatur, oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Dejicere vero eum a vobis ideo non debetis, quoniam nec Judam Do-*

Clerici uxorati.

---

[1]) L. c.

minus, cum esset mendax discipulus, de numero Apostolorum dejecit. Verum de presbyteris qualescumque sint, vobis, qui laici estis, nec judicandum est, nec de vita ipsorum quidpiam investigandum, sed episcoporum judicio quidquid est per omnia reservandum. — Animadvertendum est, quod ex quaestione colligitur, Bulgaros jam scivisse, presbyteros ad coelibatum teneri in Ecclesia latina; quumque regi propositum esset, Ecclesiae latinae disciplinam et ritum suscipere, Nicolai responsum non directe refertur ad presbyteros orientales arguendos, sed generale est, adeoque merito coelibatum vindicat, et connubium presbyterorum reprehendit. Summa autem responsi in eo est, ut moneat, judicia de presbyteris episcopis reservari, nec laicos istis negotiis se immiscere debere. Id patet etiam ex responso sequenti (c. 71), quo de presbyteris agitur adulteris. Statuit enim, Bulgaros posse etiam a talibus sacramenta suscipere, quamdiu non ab episcopo reprobati sint. Ita Pontifex congrua principia de disciplina ecclesiastica Bulgaros edocet. Quod si vero indirecte in presbyteros uxoratos Graecorum reprehensio cadit, id sane ipsis Orientalibus adscribendum est, qui tanta cum arrogantia Latinorum disciplinam perstringere solebant.

65. Caeterum advertendum est, eo tempore jam Photium ejusque partem perversitatem suam aperte manifestasse, nec Nicolao fuisse curandum, ut praesertim quum ad aliam nationem scriberet, Orientalium vanitati et praejudiciis parceret. — Generatim vero in ejusmodi homines, quales fuerunt Photius et asseclae ejus, lenitate potius agendum fuisse quam auctoritatis vigore, falsa opinio est. Lenitas enim conducere potest, ut quis placetur, reconcilietur, et erigatur a lapsu qui infirmitate potius quam malitiâ contigit. Homines autem qui manifesta impietate et ambitionis perversitate consilia sua pessima exsequebantur, atque ita jam eo pervenerant, ut facinoribus constricti summas rerum in ecclesia orientali tenerent, lenitate reduci non poterant. Etenim Photius ut a coeptis recederet, retractare debuisset quae peregerat facinora, et honores ac dignitates dimittere, illudque sibi comparasset

Vigor adhibendus.

malum, quod homines animi elati maxime fugiunt, quale est infamia. Quamquam autem eam ignominiam tolerare, fuisset ei vere conducibile ad aeternam beatitudinem consequendam, jam tamen in comperto est, hominum ejusmodi mentem obtenebratam esse passionibus et obcaecatam, nec supernis eos percelli et duci motivis. Quare si remedia mordacia in causa Photii pro dubiis haberi poterant, lenientia sine dubio inutilia praenoscebantur.

Disciplinae diversitas.

66. Ex accusationibus quas in sua encyclica Photius contra Latinos affert, pleraeque respiciunt *diversitatem disciplinae* ecclesiasticae in Ecclesia orientali et occidentali. De istis differentiis plane aliter scripserat Photius in epistola apologetica ad Nicolaum, dum promotionem suam ex laico diversitate disciplinae orientalis et occidentalis excusat. Quamvis ex obliquo passim studeat carpere Latinorum mores, tamen pluribus evolvit, in variis disciplinae capitibus differentias admitti. *Nam revera*, inquit, *inter alia communia omnibus sunt, quae omnes custodire necesse est, et ante alia quae de fide habemus, ubi vel paulum declinare, est mortifero se piaculo obstringere. Quaedam proprie alios consequuntur, quorum praetermissio eis mulctam affert quibus illa tenenda data sunt; qui vero non acceperunt, hi propterea quod non observaverint, minime condemnantur. Et quae oecumenicis et communibus praecepta sunt suffragiis, convenit ab omnibus custodiri; quae vero Patrum aliquis exposuit, aut localis definivit synodus, eorum qui servant non efficiunt superstitiosam mentem, qui autem non acceperunt, ea praeterire sine periculo possunt. Sic tonderi aliis patrium est, aliis synodica etiam definitione abjiciendum.*[1]) — Certe superfluum est, singula quae hac in re dein Photius in sua epistola encyclica caeco scripsit furore, accuratius diluere.

Quaestio de confirmatione.

67. Tantum de ea Photii accusatione pauca dicamus, qua conqueritur magno furore, a latinis presbyteris in Bulgaria rejici confirmationem a presbyteris graecis colla-

---

[1]) Ap. Baron. a 861 n. 43. — Migne, P. G. CII. Photii epist. II. col. 603.

tam ut invalidam, eamque sacram unctionem ab illis repeti. Forte ejusmodi factum adscripseris missionariorum illorum errori quo opinati sint, confirmationem a presbyteris nunquam valide administrari. Haud tamen censemus hanc fuisse rationem, cur invalidam istam confirmationem Latini habuerint; sed alia, eaque solida fuerunt ipsis motiva. Ea de re scribit Em. Hergenröther: „Quum Bulgarorum regio consideraretur a Latinis ut subjecta patriarchatui Romano, quumque in hoc patriarchatu ordinarie confirmatio conferri non posset, nisi ab episcopis, videntur inde intulisse Latini, presbyterorum graecorum confirmationem validam ibi non esse habendam. Accedebat, quod presbyteri illi essent manifeste Photiani, quorum ordinatio ex decretis Nicolai rejiciebatur. Praeterea vero, idque maximi momenti habendum, confirmatio collata erat chrismate a Photio consecrato; consecrationem chrismatis enim antiqua consuetudine in Oriente patriarchae sibi reservabant. Metrophanes diserte dicit, a Latinis *chrisma* Photii esse rejectum, *ἀπεδοκίμασαν τοῦ Φωτίου τὸ μύρον.*[1]) Si presbyteri latini Photii chrisma agnovissent, eo ipso etiam agnovissent eum ut patriarcham."[2]) Similes rationes afferuntur a Benedicto XIV, quum De Synod. L. VII. c. IX. n. 3. hanc quaestionem tangit.

68. Praesertim vero haec ad quaestionem illustrandam advertenda existimamus. Vetusta est illa apud Graecos consuetudo, ut simplices sacerdotes sacramentum confirmationis administrent, puerosque statim post baptismum sacro chrismate liniant. Ejusmodi autem confirmatio a simplici presbytero administrata, „non potest aliunde, ait Benedictus XIV l. c., vires sortiri, quam a delegatione sive expresse sive tacite eidem sacerdoti facta a Romano Pontifice," adque ejusmodi privilegium saltem tacite a Sede Apostolica orientalibus presbyteris concessum, illa potestas confirmandi presbyterorum orientalium reducenda Orientis disciplina.

---

[1]) Metrophanis Metropol. Smyrnensis ep. ad Manuëlem Patritium. Hard. Coll. Conc. t. V. col. 1114.

[2]) Photius T. I. p. 640.

est. Ac talem potestatem schismate quidem per se non amittunt illi presbyteri, sed cessat eadem per expressam Sedis Apostolicae interdictionem vel revocationem.[1]) Etiamsi igitur Photii presbyteri schismate excitato per se non amisissent confirmandi facultatem, ea tamen certe destituti sunt eo, quod a Nicolao I omni potestate sacra munera exercendi privati essent. In concilio Romano enim mense Aprili a. 863 habito, Pontifex statuerat decreto III: „Eos vero, quos Photius neophytus et Cptanae sedis invasor in quolibet ecclesiastico ordine provexit, quoniam manifestum est eos in omnibus consecratoris sui pravitatibus consensisse, atque ei post invasionem communicare, omni clericali officio privamus et apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto eos penitus sequestramus."[2]) Atque etiam Hadrianus II in epistola quadam ad Ignatium patriarcham advertit, presbyteros orientales in Bulgaria fuisse asseclas Photii, qui non solum in illa regione, sed in tota Ecclesia per Sedem Apostolicam omni exercitio sacerdotali interdicti fuerant[3]); adeoque

Confirmatio invalida.

---

[1]) Ita rem se habere, colligitur ex variis documentis auctoritatis ecclesiasticae quae hanc quaestionem spectant. Sic concilium provinciale Smyrnae a. 1869 ab episcopis latinis illius provinciae celebratum, sect. II. cap. II. de confirmatione art. 3. declarat: „Quod vero spectat ad confirmationem acatholicorum ritus orientalis, qui divino lumine illustrati ad catholicae Ecclesiae gremium revertuntur, standum est decisioni supremae Congregationis S. Officii editae sub die 15. Januarii 1766, quae est sequentis tenoris: „„St. Dominus Clemens Papa XIII, auditis votis Emmorum PP. Cardinalium Inquisitorum generalium, censuit non expedire, quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem, et ad mentem: Mens est, quod in casibus particularibus inquirendum sit, quonam in loco conversi ad fidem fuerint confirmati; etenim in Bulgaria et in Cypro insula aut in Italia et insulis adjacentibus aut penes Maronitas Libanenses, aut ubicunque fuit haec facultas expresse adempta, denuo confirmari debent absolute. Si vero confirmati fuerint in Valachia, Moldavia, Asia etc., et ubicunque facultas non fuit expresse revocata, valide confirmati fuerunt."" V. Collectio Conciliorum Lacensis t. VI. p. 569. (Friburgi 1882).

[2]) Nicol. ep. 7. Labbe VIII. 288.

[3]) *Τοῦ Φωτίου κοινωνοὶ καὶ συμμύσται, οὓς οὐ μόνον εἰς τὴν Βουλγάρων χώραν, ἀλλὰ καὶ εἰς πᾶσαν ἐκκλησίαν ὡς ἱερεῖς ἐνεργεῖν*

merito eos inhibitos fuisse, ut in Bulgaria sacra munera exercerent. — Patet igitur, gravissimas fuisse rationes, cur confirmatio a presbyteris Photianis in Bulgaria collata invalida haberetur.[1])

Quaestio *de processione Spiritus sancti* ex Patre Filioque, in theologia dogmatica fusius pro dignitate rei tractatur, atque additionem vocis *Filioque* in Symbolo legitimam fuisse, ibidem probatur.[2]) Unde accusationes Photii quoad hoc doctrinae caput, modo haud discutiemus.

69. Celebravit dein Photius mense Augusto a. 869 Constantinopoli pseudo-synodum suam. Congregatis videlicet episcopis suis quos accersere potuit, praesidente Imperatore Michaële ac forte etiam Basilio, et quibusdam homuncionibus sordidis et turpibus quasi legatis patriarcharum orientalium in medium adductis, judicium peregit de Romano Pontifice, et sententiam excommunicationis atque anathema in Nicolaum et in omnes cum eo communicantes ferre ausus est. Aliqui auctores, uti Jager et Wouters, existimant, concilium hoc revera habitum non fuisse, sed synodum ac sententiam cum ingenti subscriptionum numero a Photio esse confictas. Attamen quamvis plura in hac re obscura sint, colligitur nihilominus ex testimonio scriptorum illius aetatis, synodum revera habitam esse, sed multiplici fraude Photium gesta et acta ejus corrupisse, maxime ut hanc synodum tanquam oecumenicum concilium repraesentaret. Conciliabulum istud commemorat Anastasius Bibl. in Praefatione ad Concilium VIII

Celebratur conciliabulum.

ἐχωλύσαμεν. V. Labbe Coll. Conc. VIII. 1386. Hergenröther, Photius, T. II p. 165.

[1]) Etsi Photii in conficiendo chrismate usurpatio non obstitisset valori confirmationis cum ejusmodi chrismate, inde tamen vehementer movebantur presbyteri latini, ut obsisterent confirmationi a Photianis administratae. Admisso enim hoc chrismate, uti diximus, illius patriarchalem dignitatem visi fuissent agnoscere. Ratio autem peremptoria, cur invalida esset Photianorum confirmatio, certe habetur in ea interdictione functionum sacerdotalium, de qua ultimo loco egimus.

[2]) Cfr. tractatum nostr. De Deo trino, Cap. II. Art. II., et Dissertat. in hist. eccles. T. II. p. 113 sqq.

scribens: *Quod horribilius est,* (Photius) *conciliabulum praesidente Michaële Imperatore colligit, falsos homines quasi vicarios orientalium sedium format, accusatores muneribus armat et mendaciis construit, testes eos adsciscit, quos et accusatores opponit. Judices nonnunquam et in accusati personam admittit, excessus quosdam quasi praefati summi Pontificis fingit, impingit, et sicut putabat, damnatione simul et anathemate punit.*[1]) — Ita etiam scriptores graeci e. g. Metrophanes et Nicetas istam synodum revera celebratam esse enarrant.

Photii fraudes.

70. Quamvis autem pseudo-synodum illam revera habitam esse censeamus, haud dubium est, plures quoad hoc conciliabulum Photii fuisse fraudes et fictiones. Finxit in eadem repraesentationem patriarcharum Orientis per apocrisiarios falso substitutos; videtur ipse hunc characterem tribuisse quibusdam hominibus, clericis vel monachis, ipsius asseclis, qui forte ex variis Orientis regionibus Constantinopoli aderant. Magna parte dixeris synodum compositam ex episcopis qui Constantinopoli viciniores erant, et ex aliis quibusdam, qui uti id assuetum erat, Constantinopoli ob negotia tunc versabantur (σύνοδος ἐνδημοῦσα). Acta dein hujus synodi, vota et subscriptiones plurimas, ipse Photius fraudulenter composuit, ut conciliabulo speciem synodi oecumenicae tribueret; subscriptionem Michaëlis Imperatoris refertur pseudo-patriarcha ab ipso ebrio obtinuisse, Basilii subscriptionem finxisse; (forte tamen Basilius subscripsit, sed postea id inficiatus est). Ex Anastasio adhuc haec de illius synodi indole citari possunt. *Verum,* scribit in Praef. ad Conc. VIII, *iste falsarius* (Photius) *falsorum excessuum adversus insontem, absentem, et invictum, mendacem codicem compilat, mille circiter antistitum subscriptiones falsas interserit, sibi nemine prorsus consentiente vel conscribente ex numerosa episcoporum multitudine, nisi uno et viginti praesulibus.*[2]) An haec omnino accurate dicta sint, dubitaverim.

---

[1]) V. Labbe VIII. 965. [2]) V. Labbe l. c.

71. Basilii Imperatoris legatus postea sub Hadriano Romam missus, Pontifici et synodo Romanae libellum a Photio compositum, quo Acta synodi continebantur, et in archivio CPtano repertum, obtulit. Ea occasione quum fraudes impias Photii adverterentur, legatus dixit: *Credo in hoc opusculo diabolus habitat, quia per os complicis sui Photii ea quae per se dicere nequit, eructat. Nam et subscriptionem Basilii nostri Imperatoris post subscriptionem Michaëlis, quem ebriosissimum subscribere noctu suasit, falsissime continet, quam ejus non esse restitutio Ignatii declaravit, et satisfactio nostra, si vobis placuerit, jurejurando firmavit. Neque enim unius semper catholici Basilii nomen non potuit falso suis feralibus commentis inserere, qui mutato charactere potuit multorum episcoporum nomina cum paucis complicibus suis describere. Quorum videlicet episcoporum universitas tam immunis est hujus subscriptionis, quam tenoris ignara. Siquidem nullus CPtanorum, quando illud conciliabulum collectum fuisset (quia revera nec fuit) agnovit, sed quia Constantinopolim comprovinciales, veluti regiam civitatem, pro diversis negotiis instar istius urbis ascendunt, pervicacissimus Photius mendacium suum veritatis medicamento, sicut ei a primaevo fuerat institutum, linivit. Dum in locum quorumdam sanctissimorum episcoporum cives quidem aliquorum illorum, sed transfugas, ut fama vulgatum est, muneribus obcaecatos, subscribere fecit. Inde est, quod subscriptionum istius videntur diversi characteres, et quidam eorum acutiori penna, quidam grossa, nonnulli vero decrepitum simulantes grossiori membranam inquinantes, describunt, ut videlicet fraude praesentium, simplicitati absentium illudatur, et illud credat facilius universitas verissimum, quod dissimilibus litteris fecerit falsitas esse diversum.*[1])

72. Postquam Photius ejusque asseclae in illo conciliabulo damnationis et depositionis sententiam impie in Nicolaum Pontificem tulerunt, audax ille pseudo-patriarcha, quum dissidia fuisse sciret inter Ludovicum II Imperatorem

Ad Ludovicum II recurrit.

[1]) *Vita Hadriani* II in Libro pontificali c. XXVIII sqq. — Auctor *Vitae Hadriani* habetur Gulielmus, quidam R. E. Bibliothecarius.

et Nicolaum, speravit eo se deventurum, ut ad sententiam ab ipso latam exequendam adduceret Imperatorem. Misit igitur ad Ludovicum et Engelbergam imperatricem, mulierem pecuniarum cupidam, cum ditissimis muneribus legatos Zachariam Chalcedonis et Theodorum Laodicaeae episcopos. Gesta et decreta pseudo-synodi suae per hos Imperatori transmisit simul cum epistola reverentia plena, qua etiam pollicebatur, se effecturum Constantinopoli, ut eorum dignitas imperialis nomenque agnoscerentur, si Nicolaum e sede pontificia expelleret. — Spe tamen sua frustratus est Photius, nam brevi post legati ejus a Basilio Imperatore ex itinere revocati sunt.

Nicolai acta. 73. Interim Nicolaus Pontifex non destitit, quamvis infirmitatibus detentus esset et vitae fini jam proximus, rebus Orientis curas suas impendere. Commemoratur id in Annalibus Bertinianis ab Hincmaro, cujus clerici cum epistola archiepiscopi, qua varias accusationes in eum latas diluebat, eo tempore Romam pervenerunt. *Hincmari clerici,* dicitur ad a. 867, *mense Augusto Romam venientes, Nicolaum Papam jam valde infirmatum, et in contentione quam contra Graecorum Imperatores Michaëlem et Basilium, sed et contra orientales episcopos habebat, magnopere laborantem invenerunt. Quapropter usque ad mensem Octobrem ibidem sunt immorati.*[1]) — Intelligebat sane Pontifex, summa pericula per Photii perversitatem imminere unitati Ecclesiae occidentalis et orientalis jamdudum labefactatae, suique muneris censuit, usque ad ultimum spiritus halitum obviare ruinae. Hinc ex una parte, quamvis vix fructum sperare posset, extremo conamine novam legationem Constantinopolim destinavit. Statuit videlicet, ut duo ex episcopis, qui in Bulgariam missi erant, Constantinopolim proficisci tentarent, duobus aliis in illo regno remanentibus. *Inter haec quidem,* scribit Anastasius in *Vita* Nicolai, *statuit beatissimus Papa . . ., ut penetrantibus ipsis Bulgariam episcopis, Paulus Populoniensis ipseque Grimaldus episcopi in Bulgaria quidquid ad divinum ministerium pro*

[1]) Pertz M. G. I. 475.

instructione illius gentis pertineret, efficerent. Et saepius dictus Formosus, atque Dominicus, venerabiles episcopi, iterum Constantinopolim pro schismate ibi exorto proficiscerentur.[1]) — Ex altera vero parte clericis Hincmari tradidit solemnem et fusiorem epistolam (ep. 70) ad Rhemensem archiepiscopum et omnes praesules Galliae. Ea epistola, data d. 23 Octobris a. 867, Nicolaus exponit, quae in ecclesia CPtana acciderant, Photiique accusationes in Romanum Pontificem et occidentalem ecclesiam prolatas. Gesta conciliabuli et consummationem schismatis nondum videtur Pontifex eo tempore novisse. Exhortatur Galliae praesules, ut in hisce rerum adjunctis unitatem cum Sede Apostolica firmiter teneant, atque habitis synodis ipsi pro vera fide et Dei Ecclesia decertent, calumnias Graecorum refellant, et responsa ad eas accusationes scriptis concepta Romam transmittant. *Magnopere convenit,* ait, *ut et vestra quoque fraternitas, morem secuta majorum, concertans nobis et unanimiter collaborans in talibus inveniatur.*[2]) Ad regem Carolum Calvum atque ad Germaniae episcopos pariter isto de negotio litteras dedit. — Hincmarus Rhemensis magno fervore ea quae ipsi Nicolaus commiserat exsecutus est, ac varii contra Graecos libri eo tempore in Gallia sunt confecti. Ex quibus adhuc exstant Æneae Parisiensis episcopi (m. 870) *Liber adversus Graecos,* et Ratramni monachi opus amplius *Contra Graecorum opposita Romanam ecclesiam infamantia.* — Nicolaus Pontifex autem meritis plenus et vere Magnus, eo anno 867 Idibus Novembris ex hac luce migravit ad Dominum. Sed jam ante hunc diem res in Oriente penitus mutatae sunt; Michaële occiso videlicet Basilius solus regnavit, Photium ex sede CPtana dejecit, restituitque Ignatium.

Episcopi Galliae.

---

[1]) Vita Nicolai c. LXXV.

[2]) V. Labbe VIII. 471.

III.

De Concilio oecumenico octavo.

Basilius Imperator.

74. Basilius Macedo Adrianopoli anno 812 humili loco natus, quum corporis robore vigeret et in domandis equis excelleret, favorem assecutus est Michaëlis Imperatoris. Qui primum equis et stabulis suis eum praefecit, dein vero, quum nec animi et ingenii dotes homini deessent, isque se Imperatori praeberet gratum in venationibus, comessationibus, ac ludis equestribus comitem, Michaël per varios honorum gradus eum evexit, ac demum post Bardae necem Augustum creavit. At mox Michaël suspectum habuit Basilium, quem sibi superiorem animadvertebat, hujusque vita periclitari visa est. Tunc Basilio auctore conjuratio in Imperatorem facta est, isque quum ebriosus decumberet nocte 23 Septembris anni 867 in cubiculo suo est trucidatus. Male partum imperium non sine laude Basilius administravit, illudque imprimis bene fecit, quod Photium pseudo-patriarcham e sede dejiceret, Ignatium restitueret, et de pace in ecclesia CPtana instauranda se sollicitum ostenderet.

Photius destitutus.

75. Quidam auctores graeci narrant, Photium a Basilio destitutum fuisse, quod ejus in Michaëlem facinus argueret; sed cum charactere Photti id parum cohaeret, atque Nicetas, auctor fere coaevus, in *Vita Ignatii* plane aliter rem refert. *Photius*, scribit, *in operibus manuum suarum malignans capiebatur. Qui quum dubius haereret, ad quem tandem summa imperii esset perventura, subinde apud Michaëlem carpebat Basilium, et vicissim apud Basilium obtrectabat Michaëli, ratus, amborum se ita amicitiam sibi comparaturum, dum erga utrumque benevolentiam simularet, ut uter tandem ex illis solus imperium obtineret, illum sibi devinctissimum haberet. Atqui non probavit se Basilio, qui admodum veteratoris illius strophis offendebatur. Nec ita multo post ipse Michaël ad sancti Mamantis martyris aedem per insidias mactatur, merito dignoque sua amentia scelere et*

impietate fato perfunctus: cum imperium una cum matre annos quindecim, menses octo, solus novem prope annos administrasset, cumque malum fecisset in conspectu ecclesiae Dei periit. Initio autem Indictionis primae, nono Kalendas Octobris, Basilius regia occupata Imperator est consalutatus: qui missis ad revocandum ex itinere Zachariam, illum e media via retraxit. Posteroque die quam renuntiatus erat Imperator, Photium de throno deturbatum in coenobium Scepen appellatum ejicit; postridieque Eliam, splendidissimum regiae classis drungarium, cum dromone regio seu celoce, ad sanctissimum patriarcham ex insula Constantinopolim ea qua par est honoris pompa reducendum mittit: qui illum tantisper in paternis aedibus suis, quas Mangana appellant, collocat. . . Tunc vero Basilius Imperator adductum in Magnaurae palatium Ignatium, silentio indicto, multis laudibus cohonestavit. Dies erat dominica, tertia et vigesima Novembris (a. 867), *quo etiam anni tempore prius in exilium pulsus erat, qui Dei praesidio et clementia fretus, novennalem ac perfectam ex virtutis certamine lauream adeptus, ecclesiae suae throno restituitur.*[1]) — Varia erant sane Basilio motiva, ut Photio destituto Ignatium revocaret. Scissio illa cum Romano Pontifice et Occidente, ad quam Photius ambitione ardens res adduxerat, perniciosa videbatur Imperatori, quum perspiceret, Imperii incolumitati potius conducere concordiam cum Ecclesia et principibus Occidentis. Sagacis prudentiae etiam erat, exstinguere ipsam in ecclesia CPtana divisionem; non pauci enim, ac maxime inferioris plebis multitudo, addicti erant Ignatio patriarchae injuste depulso, unde ejus restitutio favorem popularem Basilio conciliabat. Hic demum Photii animum versutum satis perspexerat, ab eo et ab audaci Gregorii Asbestae factione insidias et pericula timere poterat, et cavendum ab istis hominibus censebat. Ex hisce motivis velox mutatio rerum ecclesiasticarum quae initio imperii Basilii accidit facile explicatur.

76. Ignatius sedi restitutus Photium ejusque asseclas a communione semovit, petiitque ab Imperatore, ut Con- Ignatius restitutus.

---

[1]) Nicetas, Vita Ignat., ap. Labbe Coll. Conc. T. VIII. col. 1226.

cilium oecumenicum congregaretur, quo omnia ecclesiae vulnera sanari possent. Magnae et multae profecto erant in ordinandis Constantinopoli rebus ecclesiasticis difficultates, et qua ratione agendum esset cum episcopis et clericis Photianae partis et schisma penitus exstinguendum, arduum erat definire; nec sine aliarum ecclesiarum ac maxime Romani Pontificis concursu omnia disponi posse videbantur. Ad rem Anastasius in Praef. Conc. VIII: *Verum quia et Ignatius thronum quo praejudicialiter fuerat expulsus absque iterata potioris Sedis, id est primae, auctoritate non recipere proposuerat, et Imperator tantum (proh nefas!) et ubique dispersum a Christi Ecclesia* (scandalum) *generali satagebat eradicare sententia, visum est utrique Romam et ad tria patriarchia fore mittendum Orientis, et a Roma quidem decreta dispensatoria, et sicut erant culparum causarumque discretiones, ita et poenarum qualitates judicandarum, necnon et personas vice fungentes apostolica postulandum, a thronis autem orientalibus consensus nihilominus et personas ducendum.*[1]) Directa igitur est Romam ab Imperatore et patriarcha legatio cum litteris Basilii et Ignatii, et, sicut innuerat Nicolaus, adjuncti sunt etiam ex parte Photii viri duo, qui ejus causam Romae defendere possent. Missi sunt, ab Imperatore Basilius Pinacas spatharius, ab Ignatio Joannes Sylaei in Pamphilia metropolita et Petrus Troadis episcopus; ex factione autem Photii Petrus metropolita Sardensis et Methodius monachus. Sed Petrus Sardensis naufragio facto in itinere obiit, solusque ex parte Photii Methodius Romam pervenit, qui Photii causae iniquae ibidem parum profuit.[2]) Basilius Impe-

Legatio Romam missa.

[1]) Labbe VIII. 966.

[2]) In *Vita Hadriani* dicitur: „Sed divino judicio disertissimam partem Photii pelagus sorbuit, et simplicissimam partem Ignatii cum legato imperiali salvam servavit. Nullusque ex neophyti parte nisi monachulus, Methodius nomine, solus evasit. Qui postmodum neque Photium pro cujus parte venerat, neque Ignatium contra quem, sed neque universalis Ecclesiae ad quam venerat, jura suscipiens, tertio conventus, tertio perfidiae denotatus, semel anathematizatus, abscessit.“ C. XXIV.

rator litteris suis d. d. 11 Decembris 867 Pontifici, quem Nicolaum adhuc esse supponebat, nuntiabat, se juxta praecedentia Pontificis decreta deposito Photio restituisse Ignatium, reliqua vero quae maxime spectabant praesules et clericos ex parte Photii eorumque punitionem vel reconciliationem, ipsum censuisse Pontificis dispositioni esse relinquenda. Rogat, ut apocrisiariis missis quae facienda sint nuntiet. *Ita,* scribit, *Pater spiritualis et divinitus honorande summe Pontifex, accelera pro ecclesiae nostrae correctione et conflictu contra injustitiam atque ad veritatis satisfactionem, multam nobis congeriem bonorum donare, id est unitatem mundam, compagem spiritualem ab omni contentione et schismate liberam, Ecclesiam in Christo unam et ovile uni obsecundans pastori, cujus tu minister ac immolator* (θεραπεύτης καὶ λειτουργὸς) *existis verissimus.*[1])

77. Sicut ista Imperatoris, ita maxime Ignatii epistola singulari in Pontificem Romanum reverentia conscripta est, atque in hac continetur primatus in universam Ecclesiam a Christo instituti aperta et solemnis professio. Exordium enim epistolae ejusmodi est: *Eorum vulnerum atque livorum qui in membris hominis consistunt multos medicos protulit ars, hanc quidem passionem alio accipiente et alteram altero, et per experientiam amputante et medente; eorum vero quae in membris sunt Christi et Dei Salvatoris omnium nostrum capitis, et sponsae catholicae Ecclesiae, unum singularem praecellentem atque catholicissimum medicum ipse princeps summus, et fortissimus sermo, et ordinator et curator, et solus ex toto magister, Deus omnium produxit, videlicet tuam fraternam Sanctitatem et paternam Almitatem; propter quae dixit Petro magno et summo Apostolorum: Tu es Petrus et super hanc petram etc. Et iterum: Tibi dabo claves regni coelorum etc. Tales enim beatas voces non secundum quamdam utique sortem Apostolorum principi solum circumscripsit et definivit, sed per eum ad omnes, qui post illum secundum ipsum efficiendi erant summi pastores, et divinissimi sacrique Pontifices senioris Romae, transmisit. Et ideo ab olim et*

Reverentia in Pontificem.

[1]) Labbe VIII. 1007.

prisco tempore in exortis haeresibus et praevaricationibus eradicatores et interemptores malarum zizaniarum, et labefactorum et penitus insanabiliter aegrotantium membrorum, multi multoties facti sunt eorum, qui Sanctitatem et summam Paternitatem tuam illic praecesserunt, successores scilicet principis Apostolorum, et illius zelum in fide quae secundum Christum est imitantes, et nunc nostris temporibus Beatitudo tua digne tractavit datam sibi a Christo potestatem.[1]) Nihil magnificentius afferri potest ad probandum, Graecos ante schisma Romani Pontificis primatum jure divino institutum agnovisse, praesertim cum postea Synodi octavae Patres eam Ignatii epistolam canonice scriptam et plenam justitiae dixerint, et Actioni tertiae Synodi interseruerint.

Legatorum adventus.

78. Legati Romam pervenientes Nicolaum Papam ad Deum migrasse invenerunt, cui die 14 Decembris a. 867 successerat Hadrianus II. Eos nonnisi post medium annum 868 Romae advenisse, colligitur ex variis Hadriani epistolis ad Basilium et Ignatium. Ex iisdem videlicet apparet, Romae, usque ad medium annum 867, tantum advenisse Euthymium spatharium, qui ante legationem istam Constantinopoli ab Imperatore directus erat, statim quum imperium arripuisset; miratur etiam Hadrianus, quod sibi ab Ignatio nondum epistola scripta sit.[2]) Itineris difficultates retardasse adventum legatorum haud dubium est: dum enim Hadrianus in epistola secunda ad Ignatium a. 869 (IV Idus Junii) data, de Joanne Sylaei metropolita, illius apocrisiario, loquitur, ait: *Qui pericula infinita non solum per mare, sed et per aridam gradiendo sustinuerat.*[3]) Ab Hadriano ad s. Mariam Majorem legati solemniter recepti sunt, ac Pontifex in synodo Romae habenda ulteriora in hac causa disponere constituit. Quum quaestiones variae examinandae essent, ac multiplicibus negotiis Hadrianus

---

[1]) Ap. Labbe VIII. col. 1009.

[2]) Cfr. epp. Hadriani ad Ignat. et Imp. d. d. 1 Aug. 868. Conc. oecum. VIII. Act. VII., Labbe VIII. 1084. 1085.

[3]) V. Concil. oecum. VIII. Act. III. Labbe VIII. 1011.

detineretur, synodus ista nonnisi mense Junio a. 869 habita est.[1])

79. In hac synodo igitur de causa Ignatii et Photii actum et statutum est. Inter alia tres lectae sunt ad episcopos Allocutiones, quarum ultima principium exponitur, Romanum Pontificem omnium episcoporum judicem esse, sed a nemine judicari posse. In eadem de damnatione Honorii minus accurate disseritur, quemadmodum in Dissertatione *De causa Honorii R. P. n. 83* animadvertimus. Dein ab Hadriano sententia lata est. Photii contra Ignatium et S. Sedem varia conciliabula, acta, decreta et scripta damnata sunt. Photius ipse rursus anathematizatus est, ita tamen ut si Nicolai I et Hadriani II decretis obedientiam sponderet, communio laica ei concederetur. Ii qui actis pseudosynodi Photii contra Nicolaum consenserant et subscripserant, si acta illa flammis tradiderint, decretis Nicolai morem gesserint et redierint ad communionem Ignatii patriarchae, in communionem Ecclesiae recepti, sin minus ea indigni declarati sunt. Omnes qui conciliabuli Photiani acta absconderint vel defenderint et non potius igni devoverint, si sint clerici e gradu suo dejecti sunt, si laici anathemati subjecti.[2]) Postremo omnes qui in synodo aderant, ex ecclesia S. Petri egressi sunt, et in gradibus templi codex ille qui acta conciliabuli Photiani continebat, coram omnibus igni traditus est. *Quem nimirum,* ait auctor Vitae Hadriani, *rogus ut fomentum quoddam ignis excepit, et paene antequam semiustum credi potuisset, cum magno foetere picisque odore consumpsit, et cum forte focus inundatione pluviae naturaliter debuisset exstingui, ad pluviam quasi ad guttas olei flamma convaluit, et in laudes Dei sanctissimique Papae Nicolai, simulque Hadriani*

Synodus Romana.

[1]) Communis fere opinio, quam Baronius, Pagi uterque, Schröchk, Jager, sequuntur, ea erat, illud concilium jam anno 868 habitum fuisse. Sed Jaffé in Regestis RR. Pontificum ostendit, anno 869 synodum esse adscribendam, quae sententia certa jam a gravissimis auctoribus, uti sunt Hefele et Hergenröther, adoptata et vindicata est. Cfr. Hergenröther, Photius, B. II. p. 32.

[2]) V. Conc. oecum. VIII. Act. VII. Labbe VIII. 1087 sqq.

summi Pontificis miraculi stupor, tam Latinorum quam Graecorum corda resolvit.[1])

Legati Pontificis missi Cpolim.

80. Post synodum celebratam Hadrianus cum legatis CPtanis remeantibus misit Donatum episcopum Ostiensem, Stephanum episcopum Nepesinum, et Marinum ecclesiae Romanae diaconum, ut praeessent Concilio generali, quod ea in urbe per industriam Basilii Imperatoris celebrari statuebat. *Volumus ergo*, scribit Pontifex in epistola ad Basilium, *per vestrae pietatis industriam illic* (Constantinopoli) *numerosum celebrari Concilium, cui nostri quoque missi praesidentes, et culparum personarumque differentias liquido cognoscentes, juxta quod in mandatis acceperunt, singulorum libere discretiones exerceant.*[2]) — Ex more Hadrianus legatis tradidit *Commonitorium* seu instructionem, qua ratione et quibus de rebus ipsis agendum esset, atque *libellum* seu professionem fidei et submissionis, cui omnes subscriberent; alioquin ad consessum et judicium synodale non admitterentur. *Eisque* (legatis) *praecepit*, dicitur in Vita Hadriani, *ut omne scandalum ecclesiae CPtanae solerter sopirent, consecratisque a Methodio et Ignatio sub satisfactione libelli, quem de scrinio susceperant, proprias ecclesias redderent. Photianis vero sub eadem ac districtiori satisfactione communicarent quidem, sed sacerdotum judicium, usque ad Sedis Apostolicae sententiam, manente sanctissimi Papae Nicolai judicio, protelarent*[3]). Necessarium haud visum est de illis accusationibus in Synodo agere, quas Photius contra Occidentales protulerat. Photio soli enim haec videbantur adscribenda eoque damnato concidere, nec ulterius attendenda vel discutienda et divulganda. Totum in eo positum apparebat, ut Photius penitus rejiceretur, pax cito restitueretur, et Orientales ad reverentiam in Sedem Romanam ejusque de fide et disciplina decreta reducerentur. Alia quaestio est, annon valde conduxisset ad posteriora schismata vitanda, illa quoque accusationum capita damnare; sed eo tempore quae postea evenerunt praevideri

---

[1]) Vita Hadriani II. c. XXXIII.

[2]) Labbe VIII. 982. [3]) Vita Hadriani II. c. XXXIV.

non poterant, atque ob gravia motiva illam selegerunt agendi viam. Unde haud reprehendendi apparent Pontifex ejusque legati, sed dispositione quadam divina rem ita peractam fuisse, potius censendum est.

81. Pervenerunt legati post varia itineris incommoda Constantinopolim, et die 25 Septembris a. 869 magno cum gaudio magnaque cum solemnitate a Basilio Imperatore et ab Ignatio patriarcha recepti sunt. Die subsequente, quum iterum ad Imperatorem accessissent, hic suam manifestavit spem fore, ut eorum ope scandala Photii auferantur et pax restituatur. Tunc legati de exigenda subscriptione libelli verba fecerunt, qua de re auctor Vitae Hadriani: *Legati sanctae Sedis Apostolicae responderunt: Et nos ideo venimus, ideo missi sumus,* (ut unitas et tranquillitas restaurentur): *sed neminem Orientalium vestrorum unquam in nostram synodum suscipere possumus, nisi oblato libello, cujus formam de scrinio sanctae Sedis Apostolicae sumpsimus, nobis fuerit satisfactum. — Imperator et patriarcha dixerunt: Quia novum hoc et inauditum de libello proferendo asseritis, necesse est ut tenoris illius formam videamus. Nec mora, libelli forma prolata est, et de latino in graecum conversa omnium notitiae declaratur. Quorum quidam libellum proferentes in sancta synodo resederunt, proferre nolentes extra synodum inglorii relicti sunt, sed dietim fervore sancti Spiritus temperati, praemissa libelli satisfactione ad unitatem sanctae synodi reversi sunt.*[1]) Cum honore recepti.

82. Quum inter praecipua facta Concilii habenda sit subscriptio hujus libelli, ejus tenorem convenit accuratius exponere. Erat professio fidei iis fere verbis concepta, quibus constabat formula, cujus subscriptionem Hormisdas Papa occasione sopiti schismatis Acaciani ab episcopis orientalibus postulaverat. Inde est quod legati dicunt, de scriniis ecclesiae Romanae formulam esse desumptam. In Anastasii versione Actorum Concilii libellus quoad partem praecipuam hisce verbis conceptus est: *Prima salus est, rectae fidei re-* Libellus fidei.

---

[1]) Vita Hadriani II. c. XL.

gulam custodire: deinde a constitutis Dei et patrum nullatenus deviare. Unum quippe horum ad fidem pertinet, alterum ad opus bonum . . . Et quia non potest Domini Nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petrum aedificabo ecclesiam meam; haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, et patrum, et praecipue sanctorum Sedis Apostolicae Praesulum, sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes haereses, simul cum Iconomachis. Anathematizamus etiam Photium, qui . . . . superstite Ignatio in CPtanam est pervasorie, imo tyrannice, a quibusdam schismaticis vel anathematizatis atque depositis institutus ecclesiam. — Sequitur professio adhaesionis ad synodos et decreta Nicolai I et Hadriani II, et damnatio Photii, Gregorii Syracusani eorumque sequacium. Deinde: *Porro de venerabilissimo Ignatio patriarcha nostro, et de iis qui ex parte hujus sunt, quod auctoritas Apostolicae Sedis vestrae decrevit, tota mente sequimur et religiosa devotione veneramur, atque pro nosse et posse nostro pia intentione ac spiritali conflictu defendimus. Quoniam, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et observantes ejus omnia constituta, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas; promittentes etiam sequestratos a communione ecclesiae catholicae, id est non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.*[1]) . . . Splendidissima sane his continetur professio primatus Sedis Apostolicae ejusque privilegiorum, et submissio sub eadem Sede.

Textus graecus.

83. Advertendum porro est, in textu graeco Concilii qui exstat hanc formulam brevius esse conceptam, et ea tantum in illa haberi quae damnationem Photii et agnitionem Ignatii spectant, deesse vero generalia illa principia de primatu Romani Pontificis.[2]) Attamen ex gravissimis

---

[1]) Conc. oecum. VIII. Act. I. Labbe VIII. 988. [2]) V. Labbe VIII. 1283.

rationibus colligitur, Anastasii textum authenticum esse. Generatim textus graecus Concilii qui modo habetur compendii instar est, uti clare ostendit Hergenröther.[1]) Libellum fidei Constantinopoli a Graecis susceptum fuisse eique subscriptum juxta textum latinum qui exstat, nullamque mutationem essentialem factam, colligitur inde, quod Anastasius advertit, in textu graeco haberi variationes quasdam minimas ob indolem linguae graecae. *Hic in codice authentico graeco*, scribit, *post latinum libellum positus est idem ipse libellus graece interpretatus, quamvis pro ignorantia latinarum litterarum jam nunc latine hunc scribere Graeci paulatim omittant. Sed notandum est, quia si hujus libelli aliqua in graeca interpretatione videntur haberi aliter quam in latina editione, non voluntate sed necessitate factum est. Interpres enim in quibusdam quidem proprietates graecae dictionis minus consequens, in quibusdam vero latinitatis eloquia liquide nesciens, parum quid ex eodem libello mutasse dignoscitur.*[2]) Neque legati id permisissent, ut ea in textu graeco omitterentur, quae

---

[1]) Photius, II. p. 63 sqq. — Actorum synodi ex officio quinque exemplaria facta erant pro quinque patriarchis. Sed codex, quem Romam deferebant legati Pontificis, ipsis ablatus est, quum redeuntes in praedones incidissent; alia quatuor exemplaria amissa sunt, ac probabile est, ea esse destructa, quando Photius iterum sedem CPtanam invasit. Sed Anastasius Bibl., qui tempore Concilii Constantinopoli erat, missus ab Imperatore Ludovico II, ut de connubio inter Constantinum filium Basilii et Irmengardam Ludovici filiam ageret, transcripserat codicem, et ejus diligentiae tribuendum est, quod latina versione genuina Acta Concilii habeantur. „Diversos, scribit in Praefat., hominum eventus considerans, gesta hujus Synodi, quae Apostolicae Sedis loci servatores in uno volumine secum portaturi conscripserant, in altero codice transscripta Romam usque deferre proposui. Unde factum est, ut eisdem loci servatoribus in praedones incidentibus, et codicem ipsum cum omnibus supellectilibus suis amittentibus, ego codicem quem detuleram Romam vexisse dignoscerer, quem Sanctitas vestra grato suscipiens animo, mihi transferendum in latinam tradidit dictionem. . . . Interpretans igitur hanc sacram Synodum verbum e verbo, quantum idioma latinum permisit, excerpsi; nonnumquam vero, manente sensu, constructionem graecam in latinam necessario commutavi." Labbe VIII. 969.

[2]) Conc. Const. IV. Act. I. Anastasii nota ad libellum fidei; Labbe VIII. 991. Cfr. Hergenröther, Photius II. p. 78 nota 16.

praecipue primatum R. Pontificis exprimebant, nec tam difficiles se praebuissent praesules graeci ad libellum istum signandum, nisi Romanae ecclesiae auctoritas magno vigore ibi vindicata fuisset. Aegre videlicet tantum plures episcopos subscripsisse, ex historia Synodi colligitur, atque haec difficultas una ex causis fuit, cur Concilium praesertim initio non valde numerosum esset. Altera ratio fuit, quod tantum paulatim ex sedibus longinquis varii advenerint, qui postquam subscripserant admittebantur. Tertia vero atque haec praecipua, quod Photius decennio tyrannidis suae e sedibus praesules fideles deturbaverit, et fere ubique discipulos et amicos suos constituerit episcopos. Photiani autem illi ad Synodum non admittebantur.

Initium Concilii oecum. VIII.

84. Concilium inceptum est die 5^0 Octobris anni 869 ad aedes S. Sophiae; videlicet in catechumeniis hujus ecclesiae. Erant autem illa catechumenia portus ecclesiae superiores ad dexteram partem sita, in quibus catechumeni instruebantur. Praesidebant legati Romani Pontificis, post illos sequebantur Ignatius CPtanus, et legati sedium patriarchalium Antiochenae et Hierosolymitanae. Sedes Antiochena vacabat, sed eam repraesentabat Thomas metropolita Tyri. Elias presbyter erat legatus Theodosii patriarchae Hierosolymarum, qui etiam a principe Saraceno licentiam et missionem obtinuerat Constantinopolim proficiscendi, ut de captivis reddendis ageret. Legatus sedis Alexandrinae, Josephus, nondum advenerat, sed durante Synodo venit. Ex parte Imperatoris plures patricii synodo adfuerunt, quos Basilius adesse jusserat, ut Concilii ordinem moderarentur et omnia secundum juris regulas fieri curarent. Inter eos primas partes habebat Baanes. Primae Actioni interfuerunt tantum duodecim episcopi, sed in fine Synodi adfuerunt centum et duo, praeter Ignatium ac legatos Sedis Romanae et reliquarum sedium patriarchalium.

85. Concilii Acta paucis referamus. — In *prima Sessione* annuentibus legatis Pontificis, lectus est sermo Imperatoris ad Concilium. Deinde legati protulerunt epistolam Hadriani II ad Imperatorem, quae pariter lecta est.

Discussa et probata fuit legatio eorum, qui patriarcharum Orientis personam gerebant. Post haec, jubentibus legatis, lectus est libellus ille satisfactionis et professionis de quo supra diximus; Synodus eum approbavit eique subscripsit. — In *secunda, tertia et quarta Sessione* litterae Basilii et Ignatii ad Nicolaum I et Hadrianum II et responsoriae Hadriani ad Ignatium sunt recensitae, decem episcopi a Methodio vel Ignatio ordinati, plures presbyteri, diaconi et subdiaconi, Photii partibus addicti, quum veniam a Synodo et poenitentiam petiissent, et libello Roma allato subscripsissent, in integrum sunt restituti, qui vero subscribere noluerunt a Synodo exclusi sunt. — In *Sessione quinta* Photius jussu Imperatoris coram Synodo constitutus, cum ad interrogata nihil prorsus responderet, et affectato silentio immotus maneret, a Synodo dimissus est et ad agendam poenitentiam instigatus. — *Sessioni sextae* interfuit Basilius Imperator, qui pro concione dicens Photianos ad poenitentiam exhortatus est. Ubi dicendi finem fecit Imperator, schismaticis septem adhuc dierum induciae datae sunt. — In *Sessione septima* intromissi sunt Photius, Gregorius Asbestas, et alii Photianarum partium episcopi, qui cum libello Roma misso subscribere Ignatiumque agnoscere nollent, anathemate percussi sunt. — In *Sessione octava* jubente Imperatore, omnia Photii scripta contra Nicolaum Pontificem et Ignatium in ignem sunt conjecta, et anathematismi in Iconomachos et Photium ejusque asseclas repetiti. — In *Sessione nona* falsis testibus, qui contra Ignatium testimonia dixerant, poena canonica est injuncta, cujus moderandae potestatem Ignatio Synodus fecit. — Denique in *Sessione decima,* praesentibus Basilio ejusque filio Constantino, item legatis Ludovici II Imperatoris Occidentis, habita, lecti et confirmati sunt viginti septem canones de fide ac disciplina a Patribus conditi. Promulgata est definitio fidei, in qua omnibus haeresibus quae hucusque emerserant anathemate percussis, Photii damnatio confirmata, lectaque Imperatoris gratiarum actio, cum adhortatione gravissima tum ad episcopos tum ad laicos. Dein acta singulorum subscriptionibus munita, totiusque Con- Variae Sessiones.

cilii nomine duae epistolae encyclicae ad episcopos universosque fideles datae sunt. Additae quoque litterae Basilii Imperatoris et Ignatii patriarchae ad Hadrianum II, quibus dispensationes ab eo petebantur, ejusque potestas canonum severitatem moderandi agnoscebatur. Atque ita cum acclamationibus assuetis Concilium absolutum fuit.[1])

Auctoritas Sedis Romanae.

86. Ut indoles hujus Synodi et rerum status intelligatur, juvabit haec addere. Legati Pontificis auctoritatem et jura Sedis Apostolicae magno cum vigore in hac sua missione tuiti sunt, quamvis id passim Basilio Imperatori minus placeret. Iterato inculcarunt, sententiam jam latam esse a Nicolao, eamque ratam manere et a Synodo non posse mutari. Ipsorum quoque postulationi attribuendum est, quod canones isti viginti septem, probabiliter Romae jam praeparati, conditi fuerint. Auctoritas Romanae Sedis praesertim canone 21° praeclare vindicatur et reverentia in eam inculcatur; agnoscitur tamen ex altera parte tunc primum is patriarcharum ordo, ut CPtanus habeatur secundus. Quum reliqui patriarchatus sub jugo Saracenorum gementes admodum diminuti essent, videntur Romani legati censuisse, convenienter id, quod de facto jamdudum obtinebat, posse firmari. Dicitur in illo canone: *Definimus, neminem prorsus mundi potentium, quemquam eorum qui patriarchalibus sedibus praesunt inhonorare, aut movere e proprio throno tentare, sed omni reverentia et honore dignos judicare; praecipue quidem sanctissimum papam senioris Romae, deinceps autem Constantinopoleos patriarcham, deinde vero Alexandriae, ac Antiochiae, atque Hierosolymorum; sed nec alium quemcumque conscriptiones contra sanctissimum papam senioris Romae ac verba complicare et componere sub occasione quasi diffamatorum quorumdam criminum; quod et nuper Photius fecit, et multo ante Dioscorus. Quisquis autem tanta jactantia et audacia usus fuerit, ut secundum Photium vel Dioscorum in scriptis vel sine scriptis injurias quasdam contra sedem Petri Apostolorum principis*

---

[1]) Vide hoc compendium gestorum Synodi oecum. VIII. ap. Vascotti, Hist. eccl. tom. I. p. 397.

moveat, aequalem et eamdem quam illi condemnationem recipiat. Si vero quis aliqua saeculi potestate fruens vel potens pellere tentaverit praefatum apostolicae cathedrae papam, aut aliorum patriarcharum quemquam, anathema sit. Porro si Synodus universalis fuerit congregata, et facta fuerit etiam de sancta Romana ecclesia quaevis ambiguitas vel controversia, oportet venerabiliter et cum omni reverentia de proposita quaestione sciscitari, et absolutionem accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romae pontifices.[1])

87. Magna cum prudentia simul et cum auctoritate etiam egerunt legati, quum quaestio agitaretur de audiendo Photio et asseclis ejus. Urgebant Basilius, senatores ac varii Patres, ut audirentur illi; spe videlicet ducebantur inani, perveniri posse ad aliquam reconciliationem. Legati vero omnino abnuerunt causam illorum denuo agi et examinari posse, eo quod Sedes Apostolica eos jam condemnaverit, ejusque sententia omnibus innotuerit. Baanes advertit, illos ignorare judicia Sedis Romanae; ac tunc legati, quamvis observarent, hoc non posse supponi, tamen prudentia practica permiserunt, ut Photius et ejus asseclae comparerent, iisque judicia Sedis Apostolicae legerentur, utque interrogarentur, an illa admitterent. Sed irreformabilem esse sententiam R. Pontificis, antea solemniter declaraverunt. Ita habetur in Actione quarta Synodi: *Sanctissimi vicarii senioris Romae dixerunt: Et quos dicitis introduci, ignorant, quid judicavit sancta Romana ecclesia? Baanes magnificentissimus patricius et praepositus dixit: Ignorant; cum enim non essent ibidem, nec audissent opus vestrum in faciem, qualem certitudinem habere illos ex auditu vultis ad suam ipsius* (ipsorum) *condemnationem? Donatus et Stephanus Dei amicissimi episcopi et Marinus reverendissimus diaconus sanctae Romanae ecclesiae, sanctissimi vicarii senioris Romae, dixerunt: Nobis non licet rescindere judicium sacrorum Romanorum Pontificum; hoc enim contrarium est canonicis institutis, quoniam praesentes illic per proprios*

Photii causa an discussa.

[1]) Concil. VIII. Act. X. Labbe VIII. 1140.

missos et Romae demorantes contra se sententiam et prolatam damnationem in Photium et in manus impositionem ejus et audierunt et liquido didicerunt. Verumtamen ut manifestiorem eis justam judicationem sanctae Romanae ecclesiae faciamus, ingrediantur et exaudiant legi synodicas definitiones et judicia beatissimi Papae Nicolai, et certificentur magis ac magis. Magnificentissimi et gloriosissimi principes dixerunt: Hoc bonum est et optimum, audiant illi judicium beatissimi Papae Nicolai in conspectu nostro, et si habuerint quod ad contradictionem, dicent, aut persuasi acquiescent; quod si habent contradicendi, suscipiant propriam damnationem; si vero non susceperint, tunc fiet quod visum fuerit canonibus. — Quum legati timerent, ne nimium quid illi vellent Photianis concedi, et aliquantulum hac de re disceptaretur, postremo praecisis verbis dixerunt: *Ingrediantur, sed nos non propter contentionem advocamus eos, sed ut tantum beatissimi papae Nicolai epistolam audiant.*[1])

88. Legati Pontificis dein etiam rescriptum dederunt ad Imperatorem, quo exponebant, Photium jam judicatum esse ac damnatum, adeoque haud convenire, ut ipse et asseclae ejus denuo examinentur, sed id tantum reliquum esse, ut sententia in eos lata executioni mandetur. Attamen quum Imperator spe reconciliationis ductus eum et asseclas ejus adduci vellet ad Concilii Sessionem sextam cui ipse aderat, non restiterunt legati. Auctoritatem enim R. Pontificis ac sententiae ejus satis vindicaverant, suaque declaratione aperta et firma caverant, ne introductione Photii et sequacium ipsius coram Synodo, juribus Sedis Apostolicae derogari posset. Ex dictis autem colliges minus accurata esse, quae Illmus Maret affert hac in causa, ut doctrinis suis argumenta conquirat. Exaggerata sunt quae dicit: *Les magistrats et les évêques, se fondant sans doute sur les exemples des conciles précédents, furent unanimes à demander la revision détaillée du procès de Photius et de ses partisans. „Qu' on leur donne communication, disaient-ils, des décisions de Rome, et s'ils ne peuvent*

Gallicanorum opinio.

[1]) Cfr. Labbe VIII. 1017. 1018.

pas se justifier, qu'ils demeurent condamnés." *Les légats du Saint Siége s'opposèrent à cette révision: „Il ne nous est pas permis, répondirent-ils, d'abolir les jugements des pontifes romains.*" [1]) Revera processus *revisio per singula* nullatenus postulata fuit, sed spe submissionis vel pacis Imperator et patricii voluerunt, ut Photio et asseclis ejus legerentur litterae Pontificis, et fusius iis exponeretur judicium factum et sententia lata, utque interrogarentur, quid ad haec responderent. Hac ratione censebant, eos vel ad submissionem adduci, vel apertissime de sua iniquitate convinci.[2]) Legati vero sollicite curam habuere, ne vel minimum laederetur suprema potestas Apostolicae Sedis, quae sententiam tulerat. — Scribit dein Maret l. c.: *Puisque le Concile consentît à ne pas recommencer le procès de Photius, il put et il dut, puisque cette cause personnelle lui était déférée, se convaincre, par un examen sommaire, de la parfaite équité des sentences pontificales.* Haec ambigua sunt. Certe causa Photii nullatenus synodo ita *commissa* erat, ut tanquam tribunal superius examinaret sententiam Pontificis, cum jure dissensus vel reformationis, vel confirmationis talis sine qua illa sententia vim non habuisset. Sed Concilium convocatum erat, ut facilius omnia ordinarentur, et sententia a summo Pontifice jam lata executioni mandaretur. Conveniebat certe episcopis pro eorum dignitate et officio, ut etiam perspicerent ea, quae in causa Photii Romae acta

---

[1]) Du Concile général et de la paix religieuse, tome I. p. 323.

[2]) Hac in re nimium quid concedere videtur Muzzarelli, dum scribit: „Igitur sciendum est, quod Actione quarta proceres pertinaciter flagitaverant, instaurari judicium contra Photium et ejus asseclas, quamvis a Nicolao damnatos, protestantes aliter se non subscripturos gestis synodalibus. Et sancta synodus per Metrophanem metropolitam Smyrnae hanc instantiam approbaverat." (De auctor. RR. PP. t. II., c. XII. § 7). Eo quo diximus modo rem explicandam censemus, praesertim quum annueret petitis Baanis ipse Metrophanes, Photii adversarius acerrimus, qui Romani Pontificis sententiam contra illum semper tuebatur. Caeterum non est cur negemus, praesules et proceres Orientis passim cum quadam simultate influxum praeponderantem auctoritatis Sedis Apostolicae in negotia ecclesiae CPtanae considerasse.

jam erant, et hac ratione examen aliquod causae per summa capita institui poterat.

Photii obstinatio.

89. Caeterum Photius superba obstinatione ad ea quae contra ipsum proferebantur et quae ab ipso quaerebantur respondere recusavit, ac personam suscipiens viri justi ab iniquis oppressi, impie Christum Dominum coram judicibus imitari affectavit. Episcopi quidem, qui a Methodio Ignatiove ordinati dein Photio adhaeserant, magna ex parte resipuerunt, et rejecto Photio, Ignatio juncti sunt. Sed praesules illi plurimi a Photio ipso ordinati, qui amici ejus discipulique erant, constanti perversitate Photii partes tuiti sunt. Id partim inde provenit, quod revera homo ille artibus suis eos firmiter sibi devinxerat, partim ex eo, quod etiamsi Ignatium agnovissent, tamen munera sua et dignitatem amisissent. Unde viri superbia inflati ac solida virtute carentes satius habuere, affectare fidelitatem in pseudo-patriarcham Photium, et firmam constantiam in conficta suae causae justitia, quam cedere Pontifici, Concilio, et Imperatori, seseque reos fateri ac poenitentiam suscipere.

Theoria de pentarchia.

90. Restat, ut quaedam dicamus de theoria periculosa *pentarchiae* quinque patriarchatuum in Ecclesia, quae doctrina passim in hac Synodo celebrata est; atque de modo quo post Concilium *negotium Bulgariae* terminatum fuit. — Quum inde a quarto quintove saeculo quinque patriartriarchatus de facto in Ecclesia existerent, Orientales, quamvis primis saeculis tantum tres patriarchatus recenserentur, nihilominus magno cum ardore doctrinam de congruitate, necessitate, imo divina ordinatione ejusmodi pentarchiae decursu temporis evolverunt. Hisce patriarchis supremam tribuebant Ecclesiae gubernationem in rebus fidei et disciplinae. Passim quidem, dum multum evehebant hanc pentarchiam, simul agnoscebant et vindicabant primatum et auctoritatem summam Romani Pontificis, uti Theodorus Studita, qui in oppugnatione Iconoclastarum egregie Apostolicae Sedis primatum tuitus est, simul tamen multum insistebat ejusmodi pentarchiae, ut quatuor patriarcharum consentientem doctrinam contra patriarchas hae-

racticos CPtanos atque Iconoclastas urgeret. — Habebat profecto illa theoria multa pericula. Immerito divina pentarchiae institutio asserebatur, Romani Pontificis primatus facile obscurabatur, consectaria statuebantur quae cum primatu illo aegre componi poterant; aequalitatem quamdam patriarcharum pronum erat contingere, vel privilegia summa adscribere patriarchae CPtano ob dignitatem politicam urbis; imo postea separatio a Sede Romana jam ex ejusmodi theoria explicari posse videbatur. Paulatim Orientales ad pessima prodierunt, et theoriam de patriarchis substituerunt verae doctrinae de primatu Romani Pontificis.

91. Tempore Concilii VIII certe primatus Sedis Apostolicae agnoscebatur tum theoretice tum practice, atque etiam Latini quidam illam theoriam pentarchiae patriarcharum admittebant, et cum doctrina de primatu conciliabant. Ita Anastasius Bibliothecarius dum in Praefatione ad versionem Concilii VIII ostendit, hoc Concilium merito dici universale, inter varias rationes etiam hanc affert: *Quia cum Christus in corpore suo quod est Ecclesia tot patriarchales sedes, quot in cujusque mortali corpore sensus, locaverit, profecto nihil generalitati deest Ecclesiae, si omnes illae sedes unius fuerint voluntatis, sicut nihil deest motui corporis, si omnes quinque sensus integrae communisque fuerint sanitatis. Inter quas videlicet sedes quia Romana praecellit, non immerito visui comparatur, qui profecto cunctis sensibus praeeminet, acutior illis existens, et communionem eorum sicut nullus eorum cum omnibus habens.*[1]) **Auctores latini.**

[1]) Nicolaus Pontifex parum ejusmodi Orientalium theoriis favebat, uti patet ex responsis ad Bulgaros c. 92. „Desideratis nosse, quot sint veraciter patriarchae. Veraciter illi habendi sunt patriarchae, qui *sedes apostolicas* per successiones pontificum obtinent, i. e. qui illis praesunt ecclesiis, quas Apostoli instituisse probantur, Romanam videlicet et Alexandrinam et Antiochenam. . . . CPtanus autem et Jerosolymitanus antistites, licet dicantur patriarchae, non tantae tamen auctoritatis quantae superiores existunt. Nam CPtanam ecclesiam nec Apostolorum quisquam instituit, nec Nicaena Synodus, quae cunctis synodis celebrior et venerabilior est, ejus mentionem aliquam fecit, sed solum quia Constantinopolis nova Roma dicta est, favore principum potius

Proponitur in Concilio.

92. In Synodo ipsa pluries vehementer magnificata est dignitas et auctoritas quinque sedium, et pentarchiae theoria cum quodam fastu exaltata, quamvis agnosceretur Romanus primatus. Ita Metrophanes Smyrnensis celebrat *tanquam quaedam luminaria magna, videlicet quinque patriarchalia Capita in illuminationem totius terrae, quo praesint diei et nocti, et separent inter lucem et tenebras, id est, inter eos qui agunt opera lucis, hoc est divinae justitiae, et inter eos qui agunt opera tenebrarum, id est injustitiae.*[1]) Elias apocrisiarius seu legatus Theodosii patriarchae Hierosolymitani: *Nostis omnes*, inquit, *amici Christi, fratres, quia Spiritus sanctus qui locutus est in prophetis, ipse et in apostolis est affatus, et omnia quaecumque gesta sunt a patribus nostris olim et in lege posita sunt, et gratia spirituali acta consistunt, et ideo patriarchalia capita in mundo posuit Spiritus sanctus, ut in Ecclesia Dei pullulantia scandala per ea exterminentur, et pacifica constitutio in ipsa interveniat et concedatur. Igitur cum praesidens et praecedens senex senioris Romae nequaquam receperit Photium, nec etiam Orientis tres throni, . . . non erat opus vocare illum ad examinationem vel rejudicationem.*[2]) Ulterius vero progreditur Basilius Imperator, qui supponit illud principium, *a majori parte patriarcharum quaestiones ecclesiasticas dirimi,* dum interrogat in sermone adhortatorio Photianos: *Actionem et judicium quatuor patriarchalium sedium, quis dissolvere poterit? Ad quem enim effugietis, solutionem obligamenti petentes?*[3]) Et antea jam dixerat: *Protectione*

---

quam ratione, patriarcha ejus pontifex appellatus est. Hierosolymitanus autem praesul, licet et ipse patriarcha dicatur et secundum antiquam consuetudinem et Nicaenam synodum honorandus sit, salva tamen metropoli propria dignitate: sed et in eadem sancta et magna Synodo (Nic. c. 7) nequaquam Jerosolymitanus, sed Æliae episcopus dicitur. Nam vera Jerusalem tantum in coelis est, quae est mater nostra; illa vero Jerusalem terrestris secundum quod Dominus praedixit adeo funditus ab Ælio Adriano Imp. Rom. destructa est, ut in ea nec lapis super lapidem sit derelictus etc."

[1]) Act. VI. Labbe VIII. 1045. [2]) Act. I. Labbe VIII. 996.

[3]) Act. VI. Labbe VIII. p. 1058.

veri Dei nostri quinque patriarchia orbis terrarum recta sentiunt, et non est laesio fidei, et ideo quidquid judicant, necessario debetis recipere. . . . Quidquid judicaverunt patriarchae, confirmamus. Nemo enim potest datam eis potestatem a Christo Deo et Salvatore nostro reprobare.[1]) Etiam disertius in patriarchis summum Ecclesiae tribunal reponit Baanes Commissarius Imperialis, dum hac ratione disserit: *Posuit Deus Ecclesiam suam in quinque patriarchis, et definivit in Evangeliis suis, ut nunquam aliquando penitus decidant, eo quod capita Ecclesiae sint; etenim illud quod dicitur: „Et portae inferi non praevalebunt adversus eam", hoc denuntiat, quando duo ceciderunt, currunt ad tria, cum tria ceciderunt, currunt ad duo, cum vero quatuor forte ceciderint, unum, quod permanet in omnium capite Christo Deo nostro, revocat iterum reliquum corpus Ecclesiae.*[2]) Haec sane fuit non Synodi, sed Baanis inepta expositio; ostendit tamen, quales opiniones eo tempore in Oriente jam viguerint. Ad illa verba merito Thomassinus: „Quae in hac argumentatione artes, quae fraudes delitescerent, excutere supersedeo. Hoc unum moneo, Graecorum artes offuciasque in coaequandis quinque patriarchis prohibere non potuisse, quin experimento tot saeculorum quae luculentissima certissimaque est Scripturarum interpretatio, constet, illum unum qui primus est inter patriarchas, caeteris affuisse saepissime ab errorum haeresumque barathro educendis, nec eguisse ipsum unquam beneficii vicissitudine. Denique quamvis subinde existeret et emicaret Graecorum jactantia, indubitatum tamen est, et hac ipsa generali Synodo VIII plurimum discriminis interpositum fuisse Papam inter et patriarchas caeteros, . . . ut ne opus quidem sit alio documento ullo ad primae Sedis singularem praecellentiam adstruendam."[3]) Sed quum illa de pentarchia sententia tantopere Orientalium animos pervasisset, facilius postea ad schisma pervenerunt et in eo perseverarunt contendentes, patriarcham Romanum a reliquis me-

Baanes de pentarchia.

---

[1]) Ibidem p. 1050. [2]) Act. VIII. Labbe VIII. 1106.
[3]) De Eccles. discipl. P. I. L. I. c. XIII. n. 7.

rito esse derelictum ob errores. Et jam illa aetate varia acciderunt ex parte Graecorum, quibus ostendebant, indolem primatus et jurisdictionis Romani Pontificis haud satis ab illis perspici et comprehendi, et aegre tantum ob necessitatem suscipi.[1])

Libelli fidei ablati.

93. Atque hoc loco commemoranda veniunt ea quae acciderunt quoad *libellos fidei,* quos omnes episcopi et clerici ad Concilium admissi signare debuerant. Ex dicendis enim dubius rerum status fluctuansque Orientalium animus, ac pericula inde imminentia conspicientur. Rem ipsis verbis Anastasii enarremus, qui in suis ad versionem Concilii notis quae acciderunt ad vivum depingit. — „Postquam, omnes, scribit, sua chirographa fecerunt et testibus roborata tradiderunt, surrexerunt quidam eorum, et ad sanctissimum patriarcham Ignatium atque ad Basilium pium Imperatorem accedentes secreto dixerunt, non bene factum fuisse, ut ecclesiam CPtanam tanta subjectione Romanae subdi ecclesiae permiserint, ita ut hanc ei tanquam dominae ancillam tradiderint. Quibus verbis Imperator commotus, jussit primoribus, qui vicariorum Apostolicae Sedis obsequio deputati erant, ut cum illi ad aliquam ecclesiam cum suis pergerent, ipsi mansionem eorum ingressi chirographa illa latenter auferrent. Nam eos palam scandalizare penitus recusabat. Cum ergo vicarii, Donatus scilicet et Stephanus episcopi atque Marinus diaconus, ad collocutionem patriarchae perrexissent, custodes, fures facti, penetrantes domum quamdam partem clanculo ex numerosis illis chirographis abstulere. Quo illi reversi comperto taliter inter alia Imperatori loquentes dixere: Nos quidem Romam ob amissa chirographa redire non audebimus, tu tamen inchoatae pro Ecclesiae statu pietatis nihil omnino mercedis lucraberis.“

„Nos autem, pergit Anastasius loquens de seipso, qui pro causa nuptialis contractus inter utrumque Imperatorem efficiendi aderamus, his ei verbis dicta transmisimus: Non

[1]) Cfr. de hac theoria pentarchiae patriarchatuum Hergenröther Photius T. II. p. 132 sqq.

decet imperatoriam potestatem, aut ea facere quae destruenda sunt, aut ea destruere quae non destruenda consistunt. Cum ergo consensu tuo chirographa facta fuerint, si male consensisti, palam poenitentiam age, et quod fecisti non clam, sed palam destrue. Jam vero si bene fecisti consentiendo, ut Sedi Apostolicae pro futura cautela fierent ab episcopis chirographa: quamobrem ea, poenitens de bono, sublata, tegi consentis? Jam vero si fateris, quod non voto tuo factum fuerit, ut auferrentur chirographa, respondemus: Tum liquido patebit, voto tuo non fuisse tantum piaculum commissum, cum hos distringens, quos vicariis pro custodia dedisti, quae ablata sunt, eos reddere jure coëgeris. Neque enim alii debent restituere vel corrigere si quid vicarii perdiderunt, vel si quid sinistri perpessi sunt, nisi illi, qui hos cum suis omnibus ad custodiendum reverenter et salvandum insigniter imperatoria pietate receperunt.“

„At vero Imperator his auditis accersivit vicarios, et eis omnia chirographa reddidit, ita ut nec unum saltem deesse putaretur, dicens: Ego quidem ut magistram ecclesiasticorum negotiorum Sedem Apostolicam per meos legatos adii, et ideo vestram praesentiam praestolatus sum, ut vestro decreto et solertia ecclesia nostra remedia sanitatis reciperet, et nos non nostris motibus, sed vestrae sententiae pareremus. Ergo chirographa quae a nostris sacerdotibus ac cunctis clericis salubriter exegistis recipite, et spiritali patri nostro sanctissimo Papae repraesentate. Ita ut si quis eorum per abrupta vitiorum vel devia pravitatum solito incedere more tentaverit, his quodammodo ab eis refraenetur, et talibus loris ad rectum justitiae tramitem revocetur. — Quo facto vicarii gavisi, libellos acceptos nobis caute deferendos tradiderunt: qui videlicet, antequam remeandi ad patriam iter arripuissent, separati sumus, quia a Dyrrachio navigio venimus Sipontum, deinde terreno itinere Beneventum, posthaec Romam, eosdem libellos portantes. Missi vero Sedis Apostolicae a Dyrrachio simili modo navem ingressi Anconam petebant. Sed Sclavenorum piratas incurrentes, omnia quae possidere

Restituuntur.

videbantur penitus amiserunt."[1]) Ex hisce vides, apud Orientales quidem viguisse dogma de primatu Romani Pontificis, sed verbis et factis passim apparuisse, de indole et extensione hujus primatus notiones fuisse parum accuratas, et facile eos declinasse ad acta primatus juribus opposita.

Quaestio de Bulgaria.

94. Etiam quaestio de *Bulgariae ecclesia* post Concilium eo fuit dirempta modo, ut jura Sedis Romanae omnino laederentur. Quum Bogoris rex paulo ante ad Pontificem Nicolaum se vertisset, et patriarchatui occidentali ecclesia recens Bulgariae juncta fuisset, mox tamen ille rex ad CPtanos iterum visus est declinare. Aegre tulisse videtur, quod Nicolaus ei nec Formosum nec dein Marinum concesserit ut Bulgariae archiepiscopum, quamvis Pontifex ei facultatem faceret alium quemcumque eligendi vel petendi. Praeterea dixeris, mutato animo utilius visum fuisse regi pro scopo politico, ut amicitiam cum CPtano Imperio coleret, quum post Michaëlis interitum Basilius Imperator, fama celeber, regni felicis spem faceret. CPtani autem et maxime Imperator omni quo poterant modo adlaborabant, quo Bulgaris persuaderent, ut patriarchatui CPtano provinciam suam submitterent. Tempore Synodi igitur, haud dubie CPtanis agentibus et instigantibus, Constantinopolim venerunt Bulgarorum legati qui petierunt, ut a vicariis patriarcharum dirimeretur ea quaestio, cui patriarchatui Bulgaria subdi deberet.

Congressus habitus.

95. Triduo post finitam synodum legati Pontificis *callide*[2]) convocati sunt ad congressum, cui interfuerunt praeter ipsos, Basilius Imp., Ignatius, vicarii reliquorum patriarcharum Orientis, et Bulgarorum legati quibus praeerat Petrus ille regis propinquus qui etiam Romam missus fuerat; unus praeterea tantum aderat interpres, ut inter viros diversi idiomatis, Latini, Graeci, Bulgarici, sermones

[1]) Concil. VIII. Act. I., Notae in libellum fidei. Labbe VIII. 989. Ap. Baronium ad a. 869, n. 82 sqq.

[2]) Ita auctor *Vitae Hadriani c. XLVI.* satis indicans finem congressus legatis haud indicatum fuisse.

misceri possent. Post solitas salutationes, Bulgarorum legati quaestionem hisce verbis proposuerunt: *Usque hodie pagani fuimus, et nuper ad gratiam christianitatis accessimus; ideoque ne in aliquo errare videamur, cui ecclesiae subdi debeamus, a vobis qui vices summorum patriarcharum geritis nosse desideramus.* — Legati Romani responderunt ipsis, eos se jam tradidisse ecclesiae Romanae ejusque presbyteros suscepisse; atque ita discussionem declinare conati sunt. Sed Bulgari, a CPtanis sane instructi quaestionem *facti* et *juris* distinxerunt, et dixerunt: *A sancta Romana ecclesia sacerdotes nos petiisse et suscepisse, et hactenus habere nos, confitemur, et ei in omnibus obedire decernimus; verum utrum Romanae an CPtanae ecclesiae rationabilius* (al. rationabiliter) *subdi debeamus, cum his patriarcharum vicariis definite.*[1]) Adverterunt profecto missi Romani, artibus se circumventos CPtanorum, quum dubitare non possent, quin vicarii sedium orientalium obsequium praestarent Imperatori et patriarchae Constantinopoleos.

96. Sed Apostolicae Sedis jura egregie tuiti sunt legati. Imprimis recusarunt agnoscere congressum illum ut tribunal, quod ejusmodi quaestionem jure dirimere posset, et solemniter contra talem protestati sunt conatum. *Omnibus liquet*, dixerunt juxta Anastasii relationem, *neque nos, neque loci servatores orientalium sedium causa vindicandarum quarumlibet dioeceseon veniendi Constantinopolim invitatos, sed controversiam pro qua disponenda et definienda, vel a piis Imperatoribus expetiti, vel a praesulibus nostris destinati sumus, Deo auctore sane dissolvimus, et propria singuli subscriptione signavimus: super dioecesi autem Illyrici, quam Sedes Apostolica jure prisco, et impraesentiarum sibi a possessoribus ejus reddito, nunc quieta retentione possidet, et regulariter utitur, eadem principalis Sedes neque pulsata est, neque ut pro ea mitteret ad altercandum ullo modo provocata; sed neque nos personas advocatorum vel assertorum ejus assumimus, neque quid illa si adesset responderet objectis, agnovimus, quippe qui nihil hinc ab ea in*

Controversia acrior.

---

[1]) *Vita Hadriani*, c. XLIX.

mandatis accepimus, ac per hoc disceptare non jussi, quidquam non possumus; verum nec loci servatores Orientis judicum se personas assumpturos in controversiis, in quibus ab utraque non sunt parte judices appellati vel electi, conjicimus, praesertim quum Apostolus perhibeat: Mediator, inquiens, unius non est, et sacri canones non quorumcumque, sed electorum judicum sententiam minime spernendam edoceant, et quidam probabilium patrum dicat: Justus mediator non est, qui sic unam partem audit, ut alteri nihil reservet.[1]) — Ita igitur legati contra *competentiam* illius tribunalis protestati sunt, et bene adverterunt, vicarios patriarcharum nullo modo ut *arbitros* seu electos judices sese gerere posse, quum ad hoc nec delegati nec acceptati essent.

Legatorum resistentia.

97. Sed nihilominus protracta est discussio de hoc negotio, atque tunc protestatione praemissa legati Sedis Romanae quaestionem juridicam egregie vindicarunt. Ostenderunt, provinciam Illyricam semper fuisse provinciam ecclesiasticam patriarchatus Romani, atque etiam mutata ditione politica patriarchalem jurisdictionem de jure et de facto Sedi Romanae remansisse, eamque sub sua jurisdictione patriarchali tum latinos tum graecos presbyteros habuisse. Hinc etiam nunc Bulgariam patriarchatui Romano attribuendam fuisse, uti et ipsi Bulgari eo se verterant. — Urgent legati maxime illud principium, jurisdictionem ecclesiasticam non sequi jurisdictionis civilis mutationes. *Aliud ordinant*, inquiunt, *jura sedium, aliud patiuntur divisiones regnorum. Nos de divisione regnorum non agimus, sed de jure sedium loquimur.*[2]) — Quoad haec etiam apprime Anastasius Bibliothecarius agens de illo negotio: *Quum alia sit*, inquit, *in mundanis negotiis, alia in ecclesiasticis dispositio juris, . . . etsi graeci principes regioni, quantum ad rempublicam attinet, dominati sunt, non tamen praejudicare possunt Dei Ecclesiae juri.*[3])

---

[1]) Praefat. in Concil. VIII.: Labbe VIII. 972.

[2]) In *Vita Hadriani*, c. LII.

[3]) Anast. Praef. in Concil. VIII.; Labbe VIII. 971.

98. Vicarii patriarcharum orientalium rationes illas diluere quidem non poterant, sed Orientalium animis insidebant Caesaropapismi principia de dependentia ditionis ecclesiasticae a ditione politica, simul vero CPtanis obsequium praestare volebant. Cum Bulgari dixissent, in isto regno fuisse graecos presbyteros, quando Bulgari id expugnarunt, jam inde vicarii orientales deduxerunt, provinciam pertinuisse ad patriarchatum CPtanum. Quum vero legati Pontificis hoc argumentum refutassent, responderunt: *Etiamsi graecorum presbyterorum ordinationem vestri juris fuisse doceatis, illam tamen patriam Graecorum regno pertinuisse nunquam negare poteritis. . . . Satis indecens est, ut vos qui Graecorum imperium detractantes Francorum foederibus inhaeretis, in regno nostri principis ordinandi jura servetis. Quapropter Bulgarorum patriam, quam ex Graecorum potestate dudum fuisse et graecos sacerdotes habuisse comperimus, sanctae ecclesiae CPtanae, a qua per paganismum recesserat, nunc per christianismum restitui judicamus.*[1]) Legati Pontificis cum vigore reposuerunt, sententiam hanc utpote prolatam ab iis qui nullum jus sententiam dicendi haberent, se penitus rescindere usque ad definitionem Hadriani Pontificis. Dein gravibus verbis monuerunt Ignatium ne se misceret gubernio ecclesiae Bulgaricae, eique tradiderunt epistolam Hadriani, quam de negotio Bulgarorum patriarchae transmittendam Roma attulerant. Sed Ignatius, qui in ipsa quaestione agitanda silentium servaverat, certe tamen quae agenda erant noverat, *licet magnopere monitus* epistolam legere distulit, ac haec tantum verba respondit: *Absit a me, ut ego his praesumptionibus contra decorem sanctae Sedis apostolicae implicer, qui nec ita juveniliter ago, ut mihi subripi valeat, nec ita seniliter deliro, ut quod in aliis reprehendere debeo, ipse committam.*[2])

Sententia Orientalium.

99. Hac ratione igitur collocutio ista finita est, in qua Orientales suam de pentarchia theoriam in Romanae Sedis injuriam practice applicarunt. Post legatorum vero dis-

---

[1]) In *Vita Hadriani*, cc. LI. LVI.
[2]) Ibidem, cc. LVII. LVIII.

cessum datum est missis Bulgarorum *quoddam scriptum graecis verbis et litteris exaratum continens, quasi loci servatores Orientis inter loci servatores Romanos et patriarcham Ignatium arbitri existentes judicaverint, Bulgarorum patriam quae in Illyrico constituta est, dioecesi CPtanae subjiciendam.* Ita Anastasius in Praefatione ad Concilium VIII.[1]) Advertit tamen ipse: *Licet hoc ipsum an loci servatores Orientis decreverint, nullis certe probetur indiciis.*[2]) — Quamvis videlicet vicarii orientales in favorem ecclesiae CPtanae de Bulgariae causa judicaverint, forte tamen aliquam sententiam, ut rem cum auctoritate dirimerent, non tulerunt, vel saltem documentum Bulgaris datum ab ipsis non emanavit. — Exinde vero a rege Bulgarorum latini sacerdotes dimissi sunt, et Ignatius patriarchico jure illam provinciam gubernare non dubitavit. Consecravit Bulgariae archiepiscopum, qui a quibusdam auctoribus Theophylactus dicitur, isque alios ordinavit episcopos; presbyteri etiam graeci in Bulgariam missi sunt. Severius quidem Ignatius ab Hadriano et Joanne VIII ob usurpatam in Bulgariam jurisdictionem monitus fuit, qui etiam excommunicationem ei minati sunt. Attamen ipse usque ad mortem patriarchica jura in illam regionem exercuit, nec excommunicatus fuit. Difficilem fuisse Ignatii patriarchae conditionem, nemo est qui non videt. Nam et Imperator et clerus Orientis magno cum ardore ista jura supposita ecclesiae CPtanae vindicabant, et si Ignatius ea dimisisset, adversarii ejus inde cepissent occasionem maxime opportunam, ut patriarcham odiis voverent multorum, iterumque ex sede deturbarent. Nec tamen senex pietatis probatae et constantis Sedi Apostolicae restitisset, nisi et ipse, hac in re angustioris mentis, Orientaliumque principiis et opinionibus paulisper affectus, existimasset, se jura ecclesiae suae defendere. Certe etiam viri pii temporum et nationum praejudiciis et defectibus passim afficiuntur, indeque humani quid patiuntur. Benignius ad patriarcham excusandum Baronius scribit: *Neque est*, inquit, *quod quis ob*

Usurpatio Orientalium.

[1]) Labbe VIII. 971. [2]) Ibidem.

litem hanc Ignatium animo fuisse in Apostolicam Sedem infenso existimet vel ingrato, cum quae juris essent suae ecclesiae defendere, juramento teneretur obstrictus, etiam aeternae vitae dispendio: non enim aliena retinere, sed sua possidere ex possessione praedecessorum ipse justum putarit, cui haud dubium sponte cessisset, si id facere sibi licuisse credidisset. Probatum vas igne erat ipse, excoctumque fornace omni rubigine carens. At vero nullum penitus contraxisse unquam vel levem pulverem ipsum s. Ignatium ex hac vel alia causa, dici non patitur humana conditio, quo sanctorum neminem caruisse, Dei Genitrice excepta, fatentur omnes.[1])

IV.

De eventibus post Concilium oecumenicum octavum.

100. Mense Martio anni 870 legati Romani Constantinopoli profecti sunt. Quum auctoritatem Sedis Apostolicae tanto vigore vindicassent, Imperator quidem non parum in eos commotus erat; cum benevolentiae tamen signis atque muneribus eos dimisit. Basilii spatharius Theodosius usque ad Dyrrhachium eos comitatus est, sed eorum securitati pro ulteriori itinere haud fuit provisum. Atque ita accidit, ut in manus piratarum Slavonicorum inciderent, a quibus detenti et omnibus quae possidebant privati sunt. Aliquot ex comitibus fuga elapsi nuntium de tristissimo eventu Romam detulerunt, et non nisi post multiplices conatus Hadriani Pontificis, quo petente etiam Ludovicus II Imperator operam suo interventu praestitit, versus finem anni 870 legati captivitate soluti in urbem pervenerunt. Jam diximus, codicem quoque Actorum Concilii cum reliquo suppellectili iis fuisse ereptum, sed Anastasium Bibliothecarium ex eo quem ipse attulerat versionem latinam Actorum Synodi oecumenicae octavae confecisse.

Legatorum reditus.

---

[1]) Baron. ad a. 878. n. 42.

101. Sequenti anno 871 mediante ab Imperatore Basilio et Ignatio patriarcha Romam missus est Theognostus abbas, vir dignissimus, ut legatus, qui et munera, et litteras Imperatoris atque Ignatii ad Hadrianum deferebat insigni reverentia plenas. De prospero primum itinere legatorum quaerit Imperator, quum jam modicum tempus exspectans nihil de ipsis audierit. Haec ficte a Basilio scribi, censet Baronius (a. 871. n. 8.), quum Imperator tristes eventus qui in confinibus regni sui acciderant tamdiu ignorare non potuerit: quaestionem dubiam relinquamus. Dein tum ipse tum Ignatius dispensationes quasdam quoad aliquos, qui fuerant Photiani, petunt. Verba afferamus ex Ignatii epistola, quum ex eadem clare res conspiciatur, simulque colligatur, veram dispensationem petitam, adeoque jus dispensandi etiam pro aliis patriarchatibus in Romano Pontifice agnitum fuisse. *Quod autem,* scribit *sanctissimis vicariis paternae sanctitatis vestrae adhuc praesentibus penitus perfectum non est neque finem accepit, rogamus nunc terminari et disponi perfecte, ac integre scribi ad humilitatem nostram de illis lectoribus, qui tonsi sunt a Photii manus impositione: qui quum sint paene innumerabilis multitudinis in universis regionibus et civitatibus ecclesiae, postulant ex necessitate aliorum fieri sacerdotalem provectum: ut cognoscamus etiam super hac re vestram voluntatem atque decretum certissime ac manifestissime, utrum sint digni promoveri ad majores sacerdotii gradus, an non sint; dubium enim hoc tantum dimiserunt. Et adhuc postulamus etiam de intimo filio nostro et veritatis antagonista, Paulo videlicet chartophylace, ut, si est possibilis in eum dispensationis aliqua ratio, recipiat dignitatem episcopatus, quemadmodum et antea in litteris nostris efflagitavimus. Deinde quidem super Theodoro, qui a nobis quidem consecratus est metropolita Cariae, multum autem laboravit et afflictus est ab initio injustae ac iniquae dejectionis nostrae, in novissimo vero cum misero Photio conveniens, propter ejus immensa tormenta quae sibi resistentibus inferebat, consensit, et usque ad ultimum ipsius diem impoenitens, nihilominus rursus corde contrito et spiritu humilitatis veniam expetivit.*

Petuntur dispensationes.

Prohibuerunt enim eum sacerdotio fungi quoquo modo sanctissimi vicarii almitatis vestrae, et quod subscripserit, ut fatebatur in eam quae facta est ab infelicissimo Photio quasi depositio beatissimi et optimi patris nostri Nicolai decessoris sanctitatis tuae. Haec sunt de quibus rogamus sanctitatem vestram, ut si possibile sit utatur verbo dispensationis et misericordiae in his, cum omnia alia optimum et commodum finem ac dispositionem susceperint.[1])

102. Respondit Hadrianus litteris ad Imperatorem quae integrae exstant[2]), et epistola ad Ignatium cujus tantum fragmenta supersunt.[3]) Multa in prima epistola dicit in laudem Imperatoris Basilii, sed sugillat eum, quod absque praesidio legatos remiserit, ita ut in regionibus sub ejusdem imperio constitutis a piratis capti fuerint. Dein questus est de Ignatio, quod Bulgaris antistitem a se ordinatum mittere praesumpserit, et jurisdictionem in illam provinciam usurpaverit. Qua de re etiam in epistola ad Ignatium hunc severius monet, simulque ei exprobrat, quod contra canones et ipsius ultimae Synodi decretum ex laicis sine interstitiis diaconos ordinaverit. Dispensationes petitas vero concedere recusat Pontifex, uti ex litteris ad Basilium colligitur. Perniciosum esse animadvertit, sine gravissimis motivis disciplinae canonibus atque statutis derogare. Romanaeque ecclesiae morem levitati Orientalium scite opponit. *Porro de tribus capitulis*, scribit, *super quibus, praefato postulante smo fratre et coëpiscopo nostro Ignatio, divinitus protectum Imperium vestrum nos deprecatum esse dignoscitur, nil possumus ab eo quod jam constitutum est ordinare diversum vel disponere, maxime de Photii consecratione: . . . nisi forte nos quibusdam ex utraque parte in praesentia nostra repertis contigerit scire, quae usque huc nescimus, vel discere quae nunc penitus ignoramus. Non enim est in nobis est, et non est. . . . Ab illis quippe sacratissimis constitutis, quae vel apostolicae memoriae praedecessor noster papa Nicolaus antea salubriter*

Hadriani responsa.

---

[1]) Labbe, Coll. Conc. T. VIII. col. 1171.
[2]) Labbe VIII. 1173. [3]) Labbe VIII. 1185.

sanxit vel nos postea dispensatorie protulimus, nulla motione vel mutatione discedemus, aut ad dextram vel sinistram quoque modo declinabimus. Quae videlicet jamdudum probavit Ecclesia, et immutilata servanda nuper gestum universale Concilium statuit. Neque enim nobis moris est, ut pro libito proprio paternis sanctionibus abutamur, quemadmodum quibusdam, qui apud vos summa rerum ecclesiasticarum gubernacula moderantes, tunc synodorum statuta vel etiam apostolicae Sedis decreta proferunt, cum vel alios laedere vel se juvare cupiunt, et haec tunc sub silentio tegunt, quando fortasse contra se vel pro aliis proponerentur.[1])

Concilium confirmatum. 103. Hadriani verbis implicita habetur confirmatio Concilii oecumenici octavi. Legati Pontificis caute subscripserant ea formula: *Ego . . . locum obtinens domini mei Hadriani summi Pontificis et universalis papae, omnia quae superius leguntur, huic sanctae et universali Synodo praesidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii praesulis promulgari et manu propria subscripsi.*[2]) Patet autem, gesta ab Hadriano confirmata fuisse. Apud Occidentales exinde nulla de oecumenicitate hujus Concilii quaestio invenitur, atque Romani Pontifices in professione fidei quam saeculo nono emittebant post electionem, promittebant, se octo universalia Concilia, et quidem *octavum quoque CPtanum usque ad unum apicem immutilata servare.*[3]) Et auctores universim semper hanc synodum inter oecumenicas recensuerunt. — Orientales schismatici hoc Concilium rejecerunt, multique in locum ejus ut synodum oecumenicam octavam substituerunt pseudo-synodum, quam paulo post, scilicet anno 879, Photius restitutus habuit. Orientales orthodoxi universim synodam nostram ut octavam universalem venerati sunt; dixeris tamen, postea plures, quamvis eam omnino reciperent, haud numerasse inter Concilia oecumenica. Nam Abrahamus Cretensis Florentinae Synodi interpres et primus editor, ipsi Synodo Florentinae titulum octavae Synodi inscripsit, eumdemque ipsi tribuit *privile-*

---

[1]) Labbe VIII. 1173. [2]) Labbe VIII. 1156.
[3]) V. Baronium ad a. 869, n. 59.

gium editionis, quod Clemens VII Medicaeus concessit. Qua de re Natalis Alexander: „Sed, inquit, *Cretenses semper mendaces,* neque hac in re fidelis *Abraham* et benedicendus; cum nec Florentinae Synodi Acta et Decreta, nec Eugenii IV Pontificis Maximi Diploma ipsi nomen Synodi oecumenicae octavae uspiam tribuant. Privilegium autem editionis a Pontifice, cujus nomine datum est, expensum non fuit, sed expressus est titulus libri, prout ab editore fuerat adscriptus ab eo qui *privilegium* exaravit.“[1]) Vindicat tamen Abrahamum Cretensem et Clementem VII adnotator Natalis, Roncaglia, scribens in nota ad l. c.: „Ego nihil ab utroque vehementer erratum video, morem enim Graecorum, non Latinorum ea in re sectati sunt, et quidem non Graecorum tantummodo qui schismati adhaerebant, sed eorum pariter qui cum Latinis conveniebant. Postremi enim Graeci, recta licet sentientes, Synodum Florentinam octavam numerarunt, non quod Synodum contra Photium rejicerent, sed quod ita mos Graecorum ferret.“ — In Concilio Florentino Marcus Ephesinus negavit, Synodum nostram oecumenicam esse, atque Cardinalis Cesarini legatus Pontificis carpitur a Baronio (ad a. 869, n. 61), quod Marci effata non rejecerit et refutaverit. Sed merito advertit Ill. Hefele, id inde factum, quod Cesarini quaestionem secundariam excitare et discutere noluerit, ac propterea verba transeunter prolata sine directa responsione transmiserit.[2]) — Jam ulteriores eventus in Oriente et Occidente referamus.

104. Photius, quamvis a duobus Pontificibus in synodis Romanis et in Concilio generali VIII damnatus ac depositus, atque a Basilio Imperatore e sede CPtana dejectus et in monasterium relegatus, nec resipuit nec animo despondit. Sed mentis vastum ingenium animique in perversitate audaciam eo direxit, ut factionem sibi adhaerentem retineret, malisque artibus futura prospera praepararet. Merito de ipso episcopi, qui ab Ignatio quondam defecerant, in libello quo oblato in Concilii Actione II lap- Photii artes.

---

[1]) In saec. IX. Dissert. IV. §. XXIV. [2]) C. G. IV. §. 496.

sum suum deprecati sunt, ad sui excusationem Photii indolem describentes, dixerant: *Quia erat vir alia quidem loquens, et alia cogitans, et operam dans mendacio; ex arte gentilium semper proponebat bona, deveniebat autem in mala; et erat potens ad superandum et decipiendum, ut non est factus nec fiet ullus hominum.*[1]) Impigro labore devinctos sibi retinuit amicos, discipulos et asseclas suos, ac sese ut verum patriarcham, illos ut veram ecclesiam exhibuit; munera etiam episcopalia in occulto complevit, simulque affectata pietate et gravitate, et eruditione qua praecellebat, splendorem quemdam ac magni nominis famam conservavit. Etiam cum viris Occidentis Romanisve, quantum videtur, studuit amicitiam colere, ut eorum auxilio et influxu occasione data uti posset. Zachariam Ananiensem et alios quosdam ei favisse probabile est ex eventibus posterioribus; sed quod satis mirum est, Anastasium Bibliothecarium quoque auxilium suum promisisse Photio, atque Photium in eo sperasse, ex una ejusdem Photii epistola ad Anastasium manifestum fit.[2])

Imperatorem sibi reconciliat.

105. Praesertim vero Imperatorem sibi reconciliare studuit, atque per gradus procedens, primum duabus lit-

[1]) Labbe VIII. 1000.

[2]) Epistola haec satis obscura exstat ap. Montacutium ep. 170; ap. Migne, P. G. CII. 878; ap. Baronium latine ad a. 878, n. 1, melius versa: „Photius Anastasio presbytero et bibliothecario Romae. — A sacra quidem (ut est in proverbio) instituta res est. (*Ἀφ' ἱερᾶς μέν σοι, τὸ παροιμιῶδες, ὁ ἀγών* Diogen. Cent. 3. 36). At serius quam oportuit. Nec vero consilium reprehendo. Video autem tempus praeteriisse. Quod mihi videtur non ineleganter aenigmate significari: occasionem nempe a fronte intonsam esse, pone vero calvam. Si quis enim tempori defuerit, exclusus, quamvis occasionem innumeris prosequatur artibus, adipisci non potest.“ (Jager L. VII. p. 253: L'occasion a des cheveux longs par devant, il faut la saisir; mais elle est chauve par derrière, et lorsqu'on la laisse passer, on ne peut plus la saisir quelque effort qu'on fasse.) „Sed bene est quod mens et voluntas tua, vel sero, misericors fuit. Amicorum enim est, non utilitate gratiam metiri, sed proposito et benevolentia.“ — ‚Homo callidus et veterator, ait Baronius l. c. n. 8. 9., consuetudine litterarum aliqua cum Anastasio Bibl. Romanae Sedis contraxit familiaritatem, quem apud Joannem Pont. plurimum posse sciret. . . . Haec Photius ad Anastasium, magna ut apparet intercedente inter eos ex amicitiae usu fiducia; quae in

teris opportuno tempore ad eum directis effecit, ut major libertas ei concederetur; dein vero obtinuit, ut in quaestionibus quae eruditionem et scientiam spectabant Imperator per viros, opera Photii callide intermissos, hujus sententiam peteret. Demum favorem Imperatoris eousque sibi conciliavit, ut reditus ei concederetur et ipse ad filios Basilii instruendos in palatium accerseretur. Secundum Nicetae narrationem maxime artificio quodam fraudulento Basilium sibi devinxit. Erat quippe Basilius Imperator, uti diximus, obscuro loco natus, et vehementer dolebat, se nullum illustris sui generis documentum afferre posse. Photius igitur qui inepta ista Imperatoris vota noverat, geneologiam quamdam Basilii dolo confinxit, multisque fabulis adornavit, in qua Basilii genus a Tiridate Armenorum rege recta derivabatur. Hanc genealogiam in vetustissimis membranis ementitis characteribus Alexandrinis descriptam et antiquis chartis obvolutam, opera Theophanis clerici regii Photio dediti, tanquam documentum arcanis refertum et in bibliotheca inventum, Basilio offerendam et commendandam curavit. Quum Basilius obscuri documenti explicationem vehementer desideraret, Theophanes se eam nescire fassus est, et unum Photium totius orbis eruditissimum virum eum codicem explanare posse asseruit. *Ergo*, scribit Nicetas in Vita Ignatii,[1]) *extemplo ad Photium mittitur. Praetexit ille, nulli posse arcanum illud, nisi soli Imperatori committi, de quo illud ipsum perscriptum esset. Quid igitur? capitur Imperatoris facilitas hac fabula, et cum Photio in gratiam redit. Solent enim faustae quamvis vanissimae praedictiones excelsam et gloriae appetentiorem indolem eludere et enervare penitusque in suam potestatem redigere. Haec inter Basilium et Photium origo familiaritatis.*[2])

Genealogia ficta.

---

damnato saepius et multipliciter homine non potuit esse absque suspicione inhaerentis Anastasio culpae.' Cfr. ad rem Hergenröther, Photius, II. pp. 228 sqq.

[1]) Vita Ignatii, ap. Labbe VIII. 1177.

[2]) L. c. 1251. — Illud in genealogia ista habebatur maxime mirum et arcanum, quod quando ad patrem Basilii auctor pervenit, scripsit,

106. Multum praeterea apud Imperatorem in Photii favorem egit Theodorus Santabarenus monachus, Photii assecla ex longo tempore, et quondam ab eo abbas monasterii Studii constitutus, homo valde astutus qui et artes magicas exercere dicebatur. *Exstitit mox* scribit Nicetas, *et alia necessitudinis occasio, Theodorus ille habitu vesteque in speciem monachus, sed omnium improborum improbissimus et versutorum versutissimus, Santabarenus, inquam, de quo opinor, audivistis omnes. Hunc nescio quomodo repertum, (nam pares, ut dicitur, cum paribus facile congregantur), ut virum singulari sanctitate, praescientia, rerumque futurarum cognitione potentissimum: quibus tamen virtutibus non solum caruit omnibus, sed contra, ut ajunt, magicis praestigiis, et ariolandi, conjectandi, incantandi, animasque evocandi artibus insignis habebatur: hunc Imperatori sistit, immensisque celebratum laudibus commendat. Cumque jam Imperator intimo familiarissimoque uteretur, Photius per eum patriarchae Ignatio insidiatur, sedemque amissam occulte recuperare conatur, sibique denuo reditum sacrilege comparat.*[1])

Photius revocatur. 107. Revocatus igitur ex exilio Photius, mox ut filios Imperatoris instrueret destinatus est; exinde in Magaura regio palatio habitavit, ubi et multos discipulos iterum collegit, et perfracte munera patriarchalia clam exercuit. Quum vero ab Ignatio obtinere non posset, ut in sacerdotium restitueretur, callide dissimulavit furorem, praevidens Ignatium senem brevi moriturum, sibique jam successionem praeparans. Imo postea gloriatus est, se cum

---

ex eo filium nasciturum nomine *Beclas*, quem dein iis characteribus describit, qui Basilio Imperatori conveniebant, eumque omnium retro regum felicissime et diutissime regnaturum vaticinatur. Praesagium arcanum Photius ita Imperatori explicavit, ut nomine *Beclas* ipsum (Basilium), uxorem ejus (Eudociam), et filios ipsius (Constantinum, Leonem, Alexandrum, Stephanum) designari, atque ita generis ipsius regnum felicissimum praedici eum doceret. Relatio haec ab aliquot auctoribus ut fabula rejicitur (Fontani, Schröckh, Neander); sed veram eam esse censet Hergenröther, Photius T. II. p. 259, cum multis criticis. Quae enim narrantur a charactere Photii non abludunt, aetatis illius moribus conveniunt, favorem Photii apud Basilium bene explanant, et ab auctore fide digno referuntur. Cfr. Baronium ad a. 878 nn. 36 sqq.

[1]) Vita Ignatii, Labbe VIII. 1251.

sene patriarcha omnino reconciliatum fuisse, ac venia mutua data amicitiam intimam coluisse. Basilius autem quum videret, se non obtinuisse quod speraverat, videlicet pacem completam ecclesiae CPtanae, sed Photii sequaces esse permultos, quumque hic favorem ipsius jam obtinuisset, eo animum vertit, ut post mortem Ignatii Photius sedem perditam recuperaret.

Photius restituitur.

108. Morte sancta quievit Ignatius die 23 Octobris anni 877,[1]) quum ad aetatem octoginta fere annorum pervenisset. Photius triduo post patriarchicam sedem CPtanam, favente Basilio Imperatore, rursus occupavit. Se coactum fuisse omnesque ejus restitutionem postulasse, postea mentitus est; id sane probabile censemus, eum etiam hac vice, ut antea, comoediam quamdam egisse et resistentiam et coactionem finxisse. Omnibus iterum fraudis, munerum, violentiae mediis usus est, ut eos qui resistebant episcopos vel lucraretur, vel e suis sedibus pelleret, atque in adversarios constantes dire saeviit. Illico vero etiam artes omnes adhibuit, ut a Sede Romana confirmationem consequeretur. Movit igitur Imperatorem, ut hic Romam mitteret litteras, (a Photio censerem confectas), quibus, haud commemorata Ignatii morte, nuntiabat, scissionem Constantinopoli adhuc perdurare ejusque occasione clericos et monachos male tractari; his vero malis medendis petebat legatos ipsi acceptos. Zachariam Ananiensem et Anastasium Bibliothecarium postulatos fuisse, conjicere possumus. Sperabat Photius, hac ratione venturos legatos, quos in suas partes trahere posset, eosque quae acciderant comprobaturos esse, antequam Pontifex aliquam de iis sententiam tulisset.

Joannes VIII R. P.

109. Romae Hadriano defuncto in Sedem apostolicam die 14ª Decembris anni 872 successerat *Joannes VIII*. Virtutibus, apostolico vigore, prudentia quoque eum difficillimis illis temporibus non caruisse, sed hisce excelluisse, jam vidimus. Ad eum Basilii epistolae pervenerunt mense

---

[1]) Huic anno mortem Ignatii cum cl. Hergenröther assignandam censemus. Plures auctores eam accidisse a. 878 existimant, sed prioris sententiae firma argumenta vide ap. Hergenröther, Photius T. II. p. 286.

Aprili a. 878, atque Joannes ratus est, opportunam se nactum occasionem, ut ad negotia ecclesiastica disponenda legatos Constantinopolim et in Bulgariam mitteret. Attamen haud eos dedit legatos quos Imperator postulaverat, forte quod minus firmos atque constantes illos haberet, sed Paulum Anconitanum episcopum, et Eugenium Ostiensem qui quondam ut presbyter legatis ad Synodum octavam comes fuerat. *Quia vero*, scribit Joannes Imperatori, *Deo amabiles viros quos nominatim litteris expetitis quibusdam incommodis impeditos destinare nequivimus, misimus Paulum et Eugenium, sanctissimos et venerandos episcopos dilectosque consiliarios nostros, quorum nobis et fides probata et scientia manifesta est.*[1]) Imperatori eos commendat petitque, ut etiam secure eos deduci curet in Bulgariam, *ut causa tantum visitationis, gloriosum ejusdem provinciae* (Bulgariae) *principem adeant, et de optata memoria ei Apostolorum, ut condecet, expletis officiis persalutationes edicant.* Prudenter Pontifex hic omittit commemorare negotia ecclesiastica quae in Bulgaria ordinanda legatis pariter commiserat, nec tamen certe decipere voluit Imperatorem. Haud dubitare enim poterat Joannes, ad Basilii notitiam perventuras esse eas quas simul ad Ignatium dabat litteras.[2]) Hisce autem Ignatium, quem adhuc in vivis esse credebat Pontifex, gravissime de usurpata in Bulgariam jurisdictione monet et increpat, eique nisi intra triginta dies episcopi et presbyteri graeci ab ipso e Bulgaria evocentur, suspensionem ab eucharistia, dein si obstinatus permaneat, depositionis poenam indicit.[3]) Regem Bulgarorum et proceres suis litteris Joannes pariter monuit, ut ad obedientiam erga ecclesiam Romanam reverterentur,[4]) ad episcopos vero et presbyteros graecos in Bulgaria versantes rescripta dedit admodum severa, quibus eos censuris implicatos esse denuntiat, depositionemque minatur,

---

[1]) Joannis VIII ep. 80; Labbe IX. 66

[2]) Verba quae Bulgaros spectant in epistola Joannis ad Imperatorem, a schismaticis corrupta esse suspicatur Baronius, ad a. 878 num. 4, nota.

[3]) Ep. 78; Labbe IX. 63. [4]) Ep. 75; Labbe IX. 59.

nisi Bulgariam relinquant.[1]) Ex his vides, Joannem, quamvis eo tempore maxime desideraret ab Imperatore orientali auxilia contra Saracenos, jura tamen Ecclesiae intrepide vindicasse.

110. Quum auctumno anni 878 Eugenius et Paulus Constantinopolim venissent, Ignatiumque mortuum, Photium vero patriarchatu fungentem invenirent, initio incerti haeserunt, et a Photii communione abstinuerunt. Sed Photius ipsis persuadere conatus est ex litteris Joannis ad Imperatorem datis, Pontifici rata fore quae quoad successionem Photii a Basilio peracta erant; legatosque promisit Romam profecturos, qui Pontificis plenum consensum obtinerent. Hisce aliisque artibus, Photii quoque muneribus et minis imperialibus, demum eo deducti sunt legati, ut publice illius communionem colerent, imo etiam declararent, se missos esse, ut Ignatium censuris plecterent, Photium vero patriarcham proclamarent. Quod si alterum ob negotium Bulgarorum vere asserere poterant, alterum sane fictio erat, quam nonnisi sophistica consequentia forte ex litteris Joannis ad Basilium colligere potuerint. Monachus quidam Andreas, qui se ipsis ut legatum patriarchae Hierosolymarum exhibuit, suis sermonibus etiam multum contulit, ut scrupulos legatis eximeret, et ad partes Photii eos adduceret. — Quamvis vero multi Photii adversarii hac legatorum cum Photio communione eorumque dictis permoverentur, ut etiam ipsi jam sese ei amplius non opponerent, fuerunt tamen complures, qui suspicati sunt, fraudem subesse, legatosque, uti antea Zacharias et Rodoaldus, Pontificis mandatis non stare. Hinc Photius, ut omnino firmaret episcopatum suum, legatione Romam missa Joannis confirmationem obtinere nisus est.[2]) Legati Romani.

111. Legationi Photii praeerat *Theodorus Santabarenus* vir ille versutissimus, qui Photii causam Romae omnibus quibus potuit artibus promovit. Venerunt legati illi Romam mense Majo anni 879, ac Pontifex deliberans quid Photii legatio.

---

[1]) Ep. 79; Labbe IX. 65.

[2]) V. Hergenröther, Photius, T. II. p. 308 sqq.

in istis rerum adjunctis facere conveniret, synodum habuit, cui septemdecem episcopi adfuerunt, inter quos primas partes gessit Zacharias Ananiensis. Obtinuerunt tandem legati Photii quod postulabant, atque die 16° Augusti a. 879 Joannes VIII dedit ad Basilium Imperatorem ejusque filios litteras, quibus eis significat, se propter pacis et unitatis ecclesiasticae bonum, de decessorum et Synodi oecumenicae decretis *dispensare*, et Photium ut patriarcham in communionem recipere, ea lege, ut is in synodo coram Sedis Apostolicae legatis celebranda *veniam* postularet.

Photius agnoscitur. „Nunc itaque, scribit, aliis patriarchis, Alexandrino videlicet, et Antiocheno et Jerosolymitano, atque omnibus archiepiscopis, metropolitis, episcopis et sacerdotibus, cunctoque clero Cptanae ecclesiae, qui de ordinatione b. mem. Methodii et Ignatii reverendissimorum patriarcharum existunt, una voluntate parique voto consentientibus, eundem Photium *satisfaciendo misericordiam coram synodo secundum consuetudinem postulantem*, in vera dilectione fratrem, in pontificali officio comministrum, in pastorali magisterio consacerdotem pro Ecclesiae Dei pace et utilitate, amodo, Christo favente, recipimus et habemus.“[1]) Eam praeterae conditionem restitutioni Photii adjecit, ut *Bulgariam ecclesiae Romanae restitueret.* Decrevit denique, ut post ejus obitum haud e laicis et curialibus, sed ex clero CPtano patriarcha eligeretur.

112. Hanc Joannis agendi rationem multi scriptores catholici atque insignes vehementer perstringunt, inter quos Baronius[2]), Natalis Alexander, Binius, Jager, quorum alii culpabilem ignaviam Pontifici exprobrant, alii a Photio eum deceptum esse advertunt. Plures tamen auctores, uti Em. Hergenröther, observant, gravissimas revera fuisse Joanni VIII rationes, ut moderatione magna et dispensatione uteretur, eumque praevidere haud potuisse ea, quae dein evenerunt, nec tantam Photii iniquitatem supponere.

---

[1]) Ep. 199; Labbe IX. 130.

[2]) Ad a. 879 n. 5. — Opinatur Baronius, ex Joannis VIII ignavia hac in re fabulam prodiisse de Joanna papissa.

— Motiva quae Joannem ad oeconomiam indulgentiae et dispensationis adducere poterant, haec erant. Ignatius, patriarcha legitimus, hac vita functus erat, adeoque Photius haud sese ingerebat ut usurpator in ecclesiam episcopi alicujus adhuc viventis. Eruditione omnisque generis scientia atque cultura Photius prae omnibus Orientalibus excellebat; permagna erat multitudo amicorum ejus, atque etiam maxima pars episcoporum orientalium jam partes ipsius sequebantur, pauci tantum resistebant. A patriarchis orientalibus eum jam agnitum esse, testabatur Imperator, adeoque universo Orienti consentienti resisteretne unus Pontifex? Nonnisi restitutione Photii ecclesiae orientali pax reddi posse videbatur; eo rejecto imminebat scissio funesta. Nam quum Basilius Photium tueretur, is etiam contra Sedis Apostolicae mandata in sede CPtana remansisset, atque ita separatione confecta omni influxu in Orientem Romanus Pontifex destitutus fuisset. Imprudens praeterea esse videbatur, sine omnimoda necessitate offendere Imperatorem Basilium eo tempore, quo occidentale Imperium omnino declinabat, sed ab Orientis Imperatore auxilia contra Saracenorum incursus exspectabantur. Atque etiam privilegia et jura Sedis Apostolicae roborari videbantur, quum ab ipsa Orientales eam peterent confirmationem, qua Photii episcopatus legitimus fieret. — Caeterum ea erant illorum temporum adjuncta difficillima, ut in multis negotiis ecclesiasticis, tum quoad res tum quoad personas, canones non stricte observari possent, sed oeconomia quaedam dispensationis, moderationis et indulgentiae adhibenda videretur. Hunc rerum statum generalem eumdemque characterem pontificatus Joannis VIII, ipse Pontifex, cui caeteroquin vigor animi et magna solertia in rebus gerendis haud deerat, exprimit in aliqua epistola scribens: *Moderatio Sedis Apostolicae et universalis Ecclesiae dispositio in hoc periculoso tempore paene cuncta dispensatorie moderanda compellit.*[1]) Ratio agendi Pontificia.

[1]) Epist. 34 ad Anspert. Mediolan.; Labbe IX. 30. — Motiva allata vide ap. Hergenröther, Photius, T. II. p. 381.

113. Quodsi vero Joannis moderatio quoad Photium haud felices produxit effectus, ne severius de ipso judicemus, etiam illud prae oculis habendum est quod in rebus humanis passim evenire solet. Quandoque videlicet cum ea subsequuntur, quae dum res geritur praevidere non licet, in causa sunt, ut a posteris tanquam imprudentia vituperetur, quod eo tempore pro sapientia merito habendum erat.[1]) — Nec tamen velim negare, dum observamus accu-

Status rerum Romae.

ratius quae versus finem saeculi noni gesta sint, animadverti in pluribus viris ecclesiasticis Occidentis, qui summis muneribus fungebantur, quibusque Pontifices necessario ut consiliariis et adjutoribus utebantur, quamdam animorum fluctuationem, inconstantiam, humanam potius prudentiam et artem politicam. Jam vidimus, qua ratione varii insignes viri ecclesiastici, uti Rodoaldus, Zacharias, Anastasius, Eugenius atque Paulus, minus cautos, fideles, atque constantes sese in rebus gerendis praebuerint. Haec ostendunt, in pluribus viris Ecclesiae naevos quosdam adfuisse atque defectus, qui jam praesagiebant tristiora tempora quae mox secuta sunt. Pontifices vero etiam insignes, qualem censemus fuisse Joannem VIII, ex ea rerum atque virorum conditione in negotiis disponendis difficultates non mediocres passos esse, jure possumus concludere.

Litterae Joannis VIII.

114. Praeter litteras ad Basilium datas, alias Joannes VIII direxit ad Photium et episcopos orientales ei jam consentientes, quibus Photium in patriarchatu confirmat ea conditione, ut coram synodo satisfactionem offerat et veniam petat. „Cum non sit reprehensilibis, scribit, erga correctum quantacumque miseratio, *si satisfaciens coram synodo misericordiam secundum consuetudinem postulaveris,* ac si evidenti correctione utaris, et peritiae non obliviscens nullius damna moliaris, quin potius auxilia eorum, qui tibi non velle consentire dicuntur studiose dissolveris, eosque suis ecclesiis et honoribus restitueris: et si, quia spiritalis filius noster Basilius christianissimus Imperator apud Nos pro te multis precibus intervenit, omnes uno voto,

[1]) Cfr. Pallavicini, Hist. Conc. Trid. L. II. c. 8. n. 15.

uno consensu, et una concordia in restitutione tua convenerint: veniam pro pace sanctae Cptanae ecclesiae tibi concediums, communionem quoque et gradum, coram synodo misericordiam quaerendo, nihilominus reddimus, et ut sanctae Cptanae ecclesiae debeas praeesse consentimus."[1]) Ad eos autem praesules, qui duce Metrophane Smyrnensi in oppositione contra Photium perseveraverant, graviorem dedit epistolam, in qua districtius et severius scribit: „Vestram salutem cupientes monemus et apostolica benignitate jubemus, vos omnes Ecclesiae uniri, vestroque patriarchae, Photio videlicet, quem pro Ecclesiae pace et unitate recepimus, adhaerere communicareque studete. Nam si haec nostra apostolica monita . . . audire contempseritis, scitote, quia missis nostris praecepimus, tamdiu vos omni ecclesiastica communione privare, quamdiu ad unitatem corporis Christi et ad vestrum contempseritis redire pontificem."[2]) — Probabile est, Joannem VIII quoad hos episcopos deceptum fuisse callidis Santabareni accusationibus, qui eos ut auctores obstinatos discordiarum et scissionis descripserit. Durius enim Pontifex eos arguit, quod etiam anteacto tempore divisionem foverint. „Multis jam labentibus annis, ait, usque ad praesens in discordiae divisione et in scandalorum perturbatione vos videmus promptos manere, nec per caritatis custodiam ad unitatem Ecclesiae reverti." — Objectioni autem quam forte afferre poterant, solemni subscriptione antea ab ipsis esse promissum, se haud secuturos esse Photium, occurrit Pontifex animadvertens, auctoritate Ecclesiae vincula ejusmodi solvi. „Nec aliquis, scribit, vestrum hanc habeat in redeundo excusationem, pro scripturis de hac causa compositis; quia divina potestate quam accepit Ecclesia Christi, cuncta solvuntur vincula, quando per pastoralem auctoritatem quae fuerant ligata solvuntur, quoniam, sicut dicit s. Papa Gelasius, nullum est vinculum insolubile, nisi circa eos qui in errore persistunt." — Certe minus provide Joannem quoad hos episcopos scripsisse, negari non posse videtur. Etenim

---

[1]) Ep. 201; Labbe IX. 142. [2]) Ep. 202; Labbe IX. 147.

eousque merito a Photio abstinuerant, quum Eugenii et Pauli legatorum agendi ratio ipsis suspecta esse posset; nec apparet, quomodo de fidelitate qua antea Ignatio adhaeserant et Photio restiterant jure reprehendantur. Forte hanc epistolam suspicari liceret suppositam esse; potuisset enim instigante Santabareno Zacharias Ananiensis qui, defuncto Anastasio ut videtur, eo tempore factus est Bibliothecarius, vel alius quidam clericus, ejusmodi documentum conficere. Habetur tamen epistola haec in Collectione epistolarum authenticarum Joannis VIII.[1])

Petrus legatus.

115. Cum oratoribus Imperatoris Basilii Joannes VIII novum legatum Constantinopolim direxit *Petrum* tituli s. Chrysogoni presbyterum Cardinalem, qui duobus aliis legatis Paulo et Eugenio in Oriente jam degentibus adjunctus, ecclesiae CPtanae statum secundum mandata Sedis Apostolicae in commonitorio contenta componeret. Paulum et Eugenium Pontifex reprehendebat epistola ad ipsos data, quod primam legationem non idonee peregissent nec rediissent; tamen *apostolicae miserationis benignitate* utens, eos iterum ut legatos Petro adjungit, monens, ut *fideliori devotione* omnia peragant *secundum apostolicos nostrae auctoritatis apices et secundum commonitorii nostri tenorem capitulatim descriptum.*[2]) — Petrus in regiam urbem pervenit mense Novembri anni 879. duosque legatos jam praesentes sibi sociavit. Magnum sane incommodum erat, quod linguam graecam Pontificis missi non callerent.

Photii fraudes.

116. Photius igitur Pontificis litteras et commonitorium, specie quidem ea documenta in graecam linguam vertendi, ab iisdem legatis elicuit; sed revera, ut ea pro arbitrio suo mutaret, truncaret, et interpolaret. Quae ab eo deleta sunt, quae addita, quae immutata, ostendit Baronius ad a. 879 n. 6 sqq. ex exemplaribus genuinis, quae in Joannis VIII Regestis servata sunt, collatis cum Photii versionibus in Synodo mox habita recitatis. Praecipuae corruptiones sunt istae: 1° Quum Joannes Synodum oecu-

---

[1]) V Hergenröther, Photius, T. II. p. 389.

[2]) Ep. 203; Labbe IX. 148.

menicam VIII anni 869 venerabilem dicat, ac nullatenus eam velit abolitam esse, sed tantum apostolica auctoritate dispensare, quoad ea quae statuta erant de Photio: hic in sua versione Concilium illud exhibet ut damnatum et penitus abrogatum. Et eo loco quo Joannes in epistola ad Photium commemorat canonem de non promovendis laicis conditum ab illa venerabili Synodo sub Hadriano II, callide Photius substituit synodum Tarasii sub Hadriano I. — 2° Quae pluribus locis mandaverat Joannes de satisfactione Photii, et venia ac misericordia ab ipso petenda coram synodo, partim omissa sunt, partim ita lenita, ut agatur de invocatione misericordiae divinae. — 3° Quum Pontifex *sub conditione* Photium agnoverit et confirmaverit ut patriarcham, in *absolutam* confirmationem ista mutata sunt. — 4° Omnis Ignatii mentio, quaevis Photii reprehensio, excommunicationis minae si jurisdictionem in Bulgariam continuaret, omissa sunt. — 5° Multis laudibus et encomiis exaltatur Photius, quae in litteris genuinis nullatenus continentur.[1])

117. Hac ratione igitur Photius documenta pontificia praeparavit, ut eadem in synodo habenda recitari possent. Adornavit pariter apocrisiarios patriarcharum Orientis et documenta ab ipsis tradenda. Legati videlicet isti vel fuerunt fraudulenter suppositi ab ipso, vel si revera ex istis partibus Orientis venerunt, homines erant negotiorum parum periti et caeco obsequio Photii favorem sectantes, ita ut pro libito epistolas eorum finibus suis adaptare posset. Omnia dein disposita sunt, ut coacto plurimorum praesulum concilio deciperet legatos Romanos. Quumque Photius jam asseclis suis dioeceses restituisset, multosque novos ordinasset episcopos, synodum potuit colligere, in qua ultra tercentum et octoginta aderant episcopi ex omnibus patriarchatus sui provinciis. Etiam ex Italia inferiori et ex Sicilia, quae provinciae Sedi Romanae ereptae erant, praesules advenerant. Ejusmodi synodum numero

Praeparatur concilium.

---

[1]) Vide Hergenröther, Photius, T. II, pp. 396 sqq., ubi accuratius ea indicantur quae mutata sunt in variis litteris.

praevalentem opponere Concilio oecumenico octavo Photius meditatus est.

Photii synodus.

118. Adhuc mense Novembri a. 879 concilium Photii celebrari coeptum est; praeter permagnum episcoporum numerum, adfuerunt vicarii qui patriarchas Orientis vel ficte vel quadamtenus vere repraesentabant, et legati Apostolicae Sedis. Praesedit autem ipse Photius; ac toto in hoc negotio legati Romani, ut ait Baronius, *a Photio ut muta pecora ducti sunt, magna cum Sedis Apostolicae ignominia, ut nunquam tam sordida tamque indigna ab Apostolica Sede legatio missa fuerit, si vera esse dixerimus et non conficta sunt a Photio, quae in sua synodo Constantinopoli celebrata hoc anno leguntur.*[1]) Quinque Actionibus absoluta est Photiana illa pseudosynodus.[2]) — *Actionem primam* Photius eleganti, sed fastum inanem spirante oratione aperuit, qua multis ad sui ipsius commendationem artificiose praemissis, falso gloriabatur, Joannem VIII Romanum Pontificem agnita causae aequitate ad ipsum rediisse, et honorifica legatione ipsum priorem convenisse. Perorantem Photium excepit Joannes Heracleae in Thracia metropolita, contra Romanam ecclesiam et summos Pontifices Nicolaum I et Hadrianum II, velut omnium tumultuum et malorum quae in ecclesia CPtana acciderant, et illatae immerito persecutionis auctores, insolenter declamans, Joannem VIII vero commendans effuse, quod suorum decessorum vestigiis haud insistens, ecclesiae utriusque unitatem mediis convenientissimis procuraret. Tum Sedis Apostolicae legati episcopalia indumenta et patriarchicae insignia dignitatis Photio Joannis papae nomine obtulere, quamvis hic de conditionibus sub quibus eum Pontifex restituebat, nec verbum faceret nec cogitaret.

119. *Actione secunda* habita die 16° Novembris, lectae sunt litterae Joannis VIII summi Pontificis ad Imperatorem et ad Photium, ab hoc uti diximus multipliciter mu-

---

[1]) Ad a. 879. n 62.

[2]) V. Acta Synodi ap. Harduin. Coll. Conc. V. 213 sqq.

tatae et interpolatae; necnon epistola Michaëlis Alexandrini patriarchae ad eumdem principem, qua Synodi octavae contra Photium habitae abolitioni suffragabatur. Simili ratione etiam aliarum sedium patriarchae litteras dederant, quae Photii encomia continebant, quibusque declarabant, Photium semper in suis ecclesiis agnitum fuisse. Ea quae tres patriarchatus orientales, eorum delegatos et documenta in synodo lecta spectant, satis obscura sunt, ac plura suadent, litteras uti exstant esse suppositas vel corruptas. Colligitur tamen ex Actis, ab illis sedibus reprobata fuisse quae a. 869 contra Photium fecerant, culpamque attributam iis, qui tunc eas sedes repraesentabant. Qui in hoc concilio Photii aderant sub nomine apocrisiariorum patriarchatuum orientalium, ab illis diversi erant. Alii etiam erant in sede Alexandrina et in sede Antiochena patriarchae, Hierosolymitanus tamen Theodosius jam anno 869 illam sedem tenebat.

120. Illae autem palinodiae, retractationes, contradictiones et tergiversationes Orientalium, uti in variis synodis Constantinopoli ea aetate habitis inveniuntur, ex tristi statu illorum patriarchatuum explicantur, simulque miserae hujus conditionis sunt argumentum. Sub jugo videlicet Saracenorum vitae ac disciplinae ecclesiasticae vigor defecerat, variis in regionibus haeretici monophysitae praevalebant, studia theologica atque scientia rerum divinarum fere conciderant, communicatio cum ecclesiis Imperii orientalis et cum ecclesiis Occidentis rara et difficilis erat, ita ut statum rerum in his ecclesiis Orientales illi vix perspectum habere possent. Clerici qui ex Oriente Constantinopolim vel Romam veniebant, vel aliquo tempore ad negotia tractanda ibi versabantur, eleemosynas aliave subsidia quaerebant, ac proni erant in eorum obsequia, a quibus munera accipiebant. Qui in synodis illos patriarchatus repraesentabant, passim erant ejusmodi clerici, qui jam ob alios fines aderant, vel si qui mittebantur delegati, parum periti erant rerum ecclesiasticarum, et fluctuantes in varias declinabant partes. In hac synodo Photiana, apocrisiarii Orientis qui adfuerunt anno 869 ac vere delegati erant,

Patriarchatus orientales.

tanquam Saracenorum missi traducti sunt; summis vero laudibus evecti, qui modo Photii partes tenebant.

Actiones variae.

121. *Actione tertia et quarta* recitatae sunt litterae Joannis Papae ad ecclesiam CPtanam et episcopos ipsi subjectos, a Photio pariter corruptae, uti et commonitorium legatis a Sede Apostolica datum. Capitula dein quinque quasi a legatis proposita perlecta sunt; primum de provincia Bulgariae; secundum de laico deinceps in episcopum non evehendo; tertium de assumendo patriarcha ex ipsius ecclesiae clero; quartum de abrogandis synodis contra Photium celebratis; quintum de iis qui cum Photio communicare non vellent excommunicatione plectendis. Posteriora duo capita Photium spectantia summo applausu recepta sunt. Quum vero Joannes VIII tantum dispensationes quasdam quoad Photium, salva auctoritate et legitimitate Synodi oecumenicae octavae dedisset, in scriptis graecis ista ita mutata sunt, ut proponeretur omnimoda abrogatio illius Synodi. — De secundo et tertio capite aliquae controversiae inter praesules habitae sunt, nec voluerunt ipsi consentire, ut laici jam non promoverentur ad episcopatum. — Quoad Bulgariam vero Photius ejusque sectatores, se nihil hac in re determinare posse, responderunt, sed eam Imperatori relinquendam, ac sperandum, fore ut ejus benevolentia omnia bene disponerentur. Procopius autem Caesareensis et Theophilus Iconiensis metropolitae observarunt, se sperare fore misericordia divina, pietate Imperatorum, et orationibus sanctissimi Domini Photii id obtineatur, ut Basilius usque ad fines antiquos extendat Imperium totoque potiatur orbe terrarum. Eventus felices ipso imperante id jam praesagire. Tunc vero Imperatorem pro beneplacito suo dioeceseon ecclesiasticarum terminos determinaturum, et episcopo Romano, pro ea qua floreat in ipsum pietate ac reverentia, etiam ultra postulata concessurum esse.

122. In *Actione quinta* die 26° Januarii anni 880 habita, petente Photio, Concilium oecumenicum septimum (sub Tarasio patruo Photii habitum) confirmatum est, et statutum, ut ab omnibus haberetur ut oecumenicum, eo

quod aliqui hac in re adhuc discordarent. Metrophani Smyrnensi metropolitae, qui semper s. Ignatio adhaeserat, et communionem Photii etiam nunc constanter recusabat, dies dicta est, sed frustra; sententia de eo ferenda dein Photio commissa est. Dein legatis Romanis proponentibus, si Actis fidere licet, canon conditus est, quo statuitur, *ut Italiae episcopi, clerici vel laici a Joanne Romano Pontifice depositi vel excommunicati, etiam a Photio pro depositis et excommunicatis habeantur, et vicissim depositi vel anathematizati a Photio, a Joanne Pontifice et Romana ecclesia ejusdem poenae judicium subeant.* Quo canone patriarchae aequales significantur, et per cuniculos convellitur jus appellationum ad Apostolicam Sedem et Romani Pontificis primatus. Addiderunt tamen, ut specietenus jura Sedis Romanae revereri viderentur, *privilegiis quae sanctissimae sedi conveniunt ecclesiae Romanae aut ipsius antistiti, nullo modo immutatis, sive modo sive in posterum.*[1]) — Canon secundus statuit, *ut si quis episcopus, aut si quis alius pontificali dignitate ad vitam monasticam velit descendere, et poenitentiae locum implere, hic non sibi deinceps pontificalem vindicet dignitatem.* Quo canone videntur indirecte voluisse reprehendere Ignatium, quod in sedem suam redierit. — Canon tertius *anathemate percellit saeculares magistratus, qui episcopos vel sine causa, vel aliqua conficta causa in carcerem conjicerent, aut verberibus afficerent.*[2]) Completis negotiis Photius cum gratiarum actione synodum terminavit, subscripseruntque praesentes episcopi, ac primi quidem legati Sedis Romanae.[3])

123. De processione Spiritus Sancti hac in synodo actum non fuit, nec Photii per se multum intererat, ut in sede confirmatus quaestionem illam agitaret. Homo tamen versutus sibi providere voluit, ut si Sedes Romana

Quaestio de Spiritu S.

---

1) V. Harduin. V. 319. 2) V. Harduin. V. 323.

3) V. Harduin. V. 326 sqq. — Eorum subscriptio, uti nunc exstat, est valde diffusa, in eaque diserte rejicitur Concilium oecumenicum anni 869. Sed haec formula merito habetur ut conficta et supposita. V. Hergenröther, Photius, T. II. pp. 513 sqq.

legatorum gesta improbaret, denuo contra eam accusationes de erroribus in fide proferre posset. In eum scopum sexta post synodum hebdomada, die 10° Martii, habuit praesente Imperatore in aureo triclinio palatii conventum, cui adfuerunt legati Romani, apocrisiarii orientales, ac decem et octo metropolitae. Ejus instigatione tunc Imperator postulavit professionem fidei ad normam Patrum, atque Photius ampliore declaratione exhibuit ex omnium sententia ut definitionem fidei symbolum Nicaeno-CPtanum, utpote a reliquis Synodis confirmatum, ea addita contestatione, *ne quid ab aliquo demeretur vel adjiceretur.*[1]) Ea ratione Latinos indirecte suggillabat, quod vocem *Filioque* addidissent. Post triduum habito conventu in magna ecclesia iterati sunt anathematismi, si quis aliquid adderet vel minueret. Horum postremorum conventuum Acta addidit pseudo-synodo suae Photius, sub titulo sextae et septimae Actionis.[2])

Synodus an conficta.

124. Synodum hanc Photii nunquam habitam fuisse, ejusque acta conficta et supposita esse a Photio, censuerunt s. Antoninus[3]), ac Bellarminus[4]); Baronius quoque in hanc propendit opinionem, ad a. 879 n. 73 scribens: *Unde de ea* (synodo) *suspicio augetur, ut ea tota fuerit Photii stylo conficta et ejusdem penicillo mendacii colorata.* — Leo Allatius idem Dissertatione erudita demonstrare nisus est[5]), et nostro tempore Damberger hanc sententiam pro-

---

[1]) Attamen quum addatur, in damnationem rectae doctrinae et in injuriam Patrum vergere diminutiones et additiones, *ubi nulla surgat per fraudem diaboli nova haeresis*, colligitur, hominem versutum, sed eruditum, ausum non esse *absolute* omnem additionem damnare. In textu graeco definitionis habetur: *οὐδὲν ἀφαιροῦντες. οὐδὲν προστιθέντες. οὐδὲν ἀμείβοντες. οὐδὲν κιβδηλεύοντες, ἡ μὲν γὰρ ἀφαίρεσις καὶ ἡ πρόσθεσις. μηδεμιᾶς ὑπὸ τῶν τοῦ πονηροῦ τεχνασμάτων ἀνακινουμένης αἱρέσεως. κατάγνωσιν εἰσάγει τῶν ἀκαταγνώστων. καὶ ὕβριν τῶν πατέρων ἀναπολόγητον.* V. Harduin. V. 336. — Cfr. Hergenröther B. II. S. 519. — Cfr. etiam Franzelin, Examen doctrinae Macarii Bulgakow etc. pp. 203 sqq.

[2]) V. Harduin. V. 331 sqq.

[3]) Summa histor. p. III. tit. XXII. c. XIII. §. 10.

[4]) De Conciliis L. I. c. V.

[5]) De octava Synodo Photiana. Romae 1662.

pugnavit.[1]) Argumenta tamen quae proferuntur rem nullatenus evincunt, atque admittendum est, synodum hanc revera habitam esse. In Actis autem multa a Photio suo modo exposita fictave esse, dubitari nequit.[2]) Supposita etiam vel a Photio vel a posteriori schismatico Graeco habetur ea quae Actis inserta est Joannis VIII epistola, qua additionem *Filioque* in Symbolo Pontifex quoque ut damnabilem rejicit, et eam in Romana ecclesia non admitti testatur. Fatetur dein, in aliquot ecclesiis Occidentis additamentum hoc in symbolum irrepsisse, sed caute ac paulatim, juvante Photio, esse eliminandum.[3]) Haec, inquam, epistola certe supposita est, uti ex argumentis externis et internis eruditi demonstrant.[4])

125. Legati Romani, Petrus, Paulus atque Eugenius, mense Martio ad finem vergente Constantinopoli profecti sunt, et versus mensem Augustum anni 880 Romam pervenerunt. Muneribus et honoribus aucti erant, promissa data de auxiliis contra Saracenos praestandis, ac de restituenda Bulgariae provincia; monasterium etiam s. Sergii, Constantinopoli situm ac Romanae ecclesiae proprium, saltem specietenus redditum erat, et quum unio ecclesiarum restaurata esset, viri illi, mentis ut videtur angustioris, magnum quid sibi visi sunt obtinuisse. Attulerunt quoque Romam litteras Basilii et Photii ad Joannem Pontificem, ac Photii munera et epistolas ad varios praesules occidentales, uti ad Zachariam Ananiensem, Gaudericum Velleternum, et Marinum Cerae episcopos. Favorem eorum ita Photius firmare vel captare nitebatur. Acta quoque Synodi eos detulisse dixeris; versio enim latina brevi post confecta esse videtur.[5]) Supponi tamen potest, ipsos

Reditus Legatorum RR.

---

[1]) Synchron. Gesch. T. IV. pp. 574 sqq. Kritik, p. 333.

[2]) V. Hergenröther, Photius, T. II. pp. 528 sqq. — Hefele, C. G. IV. §. 499.

[3]) V. Joannis VIII. ep. 320; Labbe IX. 235.

[4]) Argumenta vide ap. Hergenröther, Photius, T. II. pp. 541 sqq., ubi etiam ea refutantur quae pro genuinitate hujus epistolae attulit Pichler, *Geschichte der kirchlichen Trennung etc.* T. I. p. 200, nota 1.

[5]) Cfr. Hergenröther l. c. p. 573, nota 25.

linguae graecae ignaros, haud apprime intellexisse ac scivisse quae Sedi Apostolicae infensa in iis continerentur, atque sibi persuasisse, in adjunctis difficillimis satis convenienter mandata Joannis VIII observata fuisse, seque bono pacis et Ecclesiae utilitati inserviisse. Initio Joannes, quamvis forte plura haud bene peracta illico adverteret, et Photius ipse scripsisset, se utpote non reum *misericordiam* a Synodo petere non potuisse, moderatione et indulgentia uti perrexit. In litteris quibus die 13° Augusti Basilio et Photio respondit, in agnitione Photii perseverat; reprehendit tamen, quod plura capita quae praescripserat haud observata sint, et significat, se ea non confirmare, quae legati forte in synodo contra apostolicam praeceptionem egerint. Ita in epistola ad Basilium Joannes scribit: *Nam et ea, quae pro causa restitutionis Rmi Photii patriarchae synodali decreto Constantinopoli misericorditer acta sunt, recipimus. Et si fortasse nostri legati in eadem synodo contra apostolicam praeceptionem egerint, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis.*[1]) — Ad Photium vero: *Sed cum nos scriptis et verbis misericorditer tecum specialiter agendum esse decrevimus, mirandum valde est, cur multa, quae nos statueramus, aut aliter habita, aut mutata esse noscantur, et nescimus, cujus studio vel neglectu variata monstrentur. . . . Igitur laudabilis tua prudentia quae dicitur humilitatem scire, non moleste ferat, quod ab Ecclesia Dei miserationem jussa est postulare; quin potius se, ut exaltetur, humiliet, et fraternum discat erga sui miserentem servare affectum. Quia nos, si tu debitam devotionem et fidelitatis incrementa erga s. Romanam ecclesiam et nostram parvitatem observare studueris, et ut fratrem amplectemur et ut carissimum proximum retinebimus.*[2]) *Nam et ea quae pro causa tuae restitutionis synodali decreto Constantinopoli*

Joannis VIII moderatio.

---

[1]) Ep. 251; Labbe IX. 180.

[2]) Ep. 201; Labbe IX. 179. — Severius hac de re Baronius: „Qui (Joannes VIII) nimis tenax pacis illius Deo invisae, quam non quomodo Deus, sed quomodo mundus dat, obtulit et accepit, lenitate olei, non ferro chirurgi (ut opus erat) in Photii ulcerosis apostematibus usus est, exemplo ss. praedecessorum Nicolai et Hadriani.“ Ad a. 880. n. 9.

misericorditer acta sunt, recipimus. Et si forte nostri legati in eadem synodo contra apostolicam praeceptionem egerunt, nos nec recipimus, nec judicamus alicujus existere firmitatis.

126. Decrevit dein Joannes, ut Marinus episcopus, qui anno 869 inter legatos fuerat, modo novam legationem obiret: fortasse ipse praecipue Joanni ostendit, multa Constantinopoli haud convenienter acta fuisse. Haud dubium, ei a Pontifice commissum esse, ut examinaret accuratius ea quae Constantinopoli peracta fuerant, atque rescinderet quae juribus et mandatis Sedis Apostolicae contraria erant; idque profecto in laudem Joannis est, quod talem virum elegerit prae caeteris idoneum, qui fraudes Graecorum dilueret. Marinus profectus est Constantinopolim, quantum videtur, auctumno anni 880, et quamvis hujus legationis documenta specialia non exstent, eum tamen intrepide res suas gessisse, colligitur ex epistola quam postea Stephanus V a. 885 scripsit ad Basilium Imperatorem. In eadem loquens de Marino qui Pontifex obierat, ac Imperatori exprobrans infensum ipsius in Marinum animum, inter alia scribit: *Neque enim hoc dicimus ad tuam contumeliam, te enim in universo orbe Deo dilectum praedicamus, sed tantum ad nostram defensionem et Marini majorem gloriam; qui eadem sensit et sapuit cum praedecessore et doctore nostro sanctissimo Papa Nicolao. Et qui dum voluit adimplere quae illi antea visa fuerant, in maximum devenit apud vos contemptum et ludibrium, divinus ille Marinus. Et cum noluerit simul duci cum iis qui aliena sentiebant, et quae ipse coram majestate tua synodice gesserat dissolvere et annullare ac irrita reddere, propterea triginta diebus carcere fuit detentus, id sibi gloriae potius tribuens quam contumeliae, pro veritate pati.*[1]) Marini legatio.

127. Non videtur quidem Marinus damnationem in Photium pronuntiasse, sententia relicta Joanni Pontifici; sed irrita declaravit quae contra valorem Concilii oec. VIII et contra mandata Pontificis facta fuerant, postulavitque, ut ea revocarentur. Quum CPtani animum ejus frangere

[1]) Stephani V ep. 1; Labbe IX. 366.

non possent, sed nec Basilius ac Photius peracta corrigere vellent, neque Bulgariam reddere, Marinus infectis rebus demum dimissus est. Post reditum Marini Joannes res melius edoctus, quamvis multis premeretur angustiis, et Basilium offendere videretur esse valde nocivum, officio suo tamen non defuit, sed Photium magna cum solemnitate anathematizavit. Id colligitur ex iis, quae de Joanne referuntur in appendicibus ad Concilium oecumenicum VIII, editis ex antiquo codice graeco. Post aliqua excerpta ex synodica Hadriani II qua Photium damnavit, adjungitur, eum qui sententiam damnationis solemniter postulavit, fuisse archidiaconum ejus Joannem *qui illi in pontificatu postea successit.* Ac relatis ejus verbis sequitur: *Haec qui pronuntiavit Joannes, cum Hadriani thronum successor occupasset, idem ipse Photium eumdem damnavit, quando Eugenium et alios propter Bulgariam missos* (διὰ τὴν Βουλγάριαν ἐλθόντας) *per fraudem circumvenit et corrupit. Cum enim accepisset Evangelium et ambonem conscendisset, omnibus audientibus ita dixit: Quicumque non habet damnatum Photium divina sententia, sicut ipsum reliquit Nicolaus et Hadrianus sanctissimi Papae praedecessores mei, sit anathema.*[1]) — Hujus damnationis documentum exstabat etiam in Epitome Synodi oecumenicae VIII, quod Constantinopoli in ipsa ecclesia sanctae Sophiae affixum erat.[2]) In eodem inter alia dicitur: „Photius a novem Pontificibus Romanis, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, *Joanne*, Marino, Hadriano altero, Stephano et Formoso anathematis fulmine est ictus.“ Ubi etiam quoad Eugenium ejusque socios a Photio deceptos dicitur: „Qui Romam reversi a Joanne papa in ambone publicitus sunt damnati et exauctorati (καθῃρέθεσαν).“ Perperam igitur Pichler res ita exhibet, ac si Joannes VIII usque ad vitae finem Photium ut patriarcham habuisset.[3])

Joannes VIII Photium damnat.

---

[1]) Labbe VIII. 1419. — Baronius ad a. 880 n. 11 errore quodam hunc textum affert veluti partem epistolae Formosi Pont. ad Stylianum. Cfr. Hefele C. G. IV. §. 500.

[2]) „Breviarium Synodi octavae ad ingressum magnae ecclesiae, seu in porticu perscriptum.“ Labbe VIII. 1422. [3]) L. c. T. I. p. 199. 200.

128. Hac ratione itaque schisma Photianum renovatum est, eo majori periculo, quod in Oriente exinde parva tantum pars praesulum a Photii communione abstineret. Photius scopum suum assecutus, nitebatur continuo confirmatione *sui* Joannis et venerabilium illius legatorum. Damnatio ejus posterior in Oriente haud publicata fuit. Probabile est, etiam Marini legationem ejusque gesta satis occulta remansisse, eumque pro more CPtanorum impeditum fuisse, quominus cum Ignatianis conveniret. Apostolica Sedes subsequentibus annis, Saracenorum incursionibus, Italiae motibus et aliis difficultatibus, vexata, haud potuit toto vigore influxum suum in Orientem exercere, atque ita vivente Basilio Imperatore Photius sedem CPtanam retinuit. Dixeris autem Constantinopoli plurimos ignorasse, eum a Sede Apostolica iterum fuisse rejectum, vel saltem id certo iis non constitisse, atque inde etiam viros pios eum ut patriarcham habuisse. Mortuus enim est a. 883 Constantinopoli in Photii communione fere centenarius Josephus hymnographus, qui inter sanctos colitur.[1] Pauci illi qui in patriarchatu CPtano Photium non agnoscebant, uti Metrophanes Smyrnensis et Stylianus Caesareensis, sese occultare coacti erant, atque ita accidere potuit, ut a plerisque Photius haberetur ut patriarcha legitimus. Hic vero magno favore exinde fruitus est Basilii Imperatoris, cujus filium Constantinum adolescentulum post mortem inter sanctos retulit, quemque carminibus et orationibus celebravit. Adfuit quoque Imperatori in legum dispositione, ipseque revisionem perfecit codicis legum cui *Nomocanonis* titulus (a. 883). Etiam in promovendis litterarum studiis, atque in missionibus ad conversionem gentilium, laudem ac gloriam Photius sibi comparare nisus est. Schisma renovatum.

129. Joannis VIII successor *Marinus* (883—884) Photium rursus damnavit ejusque acta rescidit[2]). Auctore Marinus R. P.

[1]) Cfr. Acta Sanctorum, T. I. April. die 3. — Hergenröther, Photius II. 584.

[2]) Acta pseudo-synodi Photii interim in linguam latinam translata fuere, atque postea compilatorum, uti videtur, confusione et incuria

Photio Marini Pontificis electionem Basilius Imperator ut invalidam rejecit, eo quod ab alio episcopatu (Cerensi) ad Romanum translatus esset. Quod quamvis in Oriente passim fieret, CPtani tamen Occidentalibus vesana arrogantia exprobrabant, atque ut impedimentum elevationis Marini afferebant. Marino jam brevi post, mense Majo anni 884 defuncto, successit *Hadrianus III,* ad quem Basilius litteras direxit vehementes, a Photio sane confectas, contra Marinum defunctum Pontificem. Etiam Hadrianus III, qui pariter Photium damnavit, tantum brevi pontificatu functus est, eique suffectus fuit (a. 885) *Stephanus V.* Respondit Stephanus ad illas Basilii litteras epistola vigore apostolico plena, qua distinctionem potestatis civilis et ecclesiasticae urget, Marinum ab accusationibus vindicat ejusque celebrat virtutes, Photii vero crimina in memoriam revocat.[1] — Hic autem continuavit eo tempore impugnationem Latinorum quoad doctrinam de processione Spiritus Sancti. Ea de quaestione librum scripsit *De mystagogia Spiritus Sancti,*[2] quem variis transmisit episcopis; atque etiam ad archiepiscopum Aquilejensem, dissertationem per modum *Epistolae* direxit, de processione Spiritus Sancti ex solo Patre.[3]

Hadrianus III R. P.

Stephanus V R. P.

Quum tamen tunc fingeret, se a Romano Pontifice Joanne VIII agnitum et confirmatum esse, eo usus est artificio, ut Romanam ecclesiam, in qua additio *Filioque* symbolo nondum inserta erat, sibi consentientem exhiberet, et alios Occidentales directe impugnaret. Nullus quidem

---

accidit, ut plures textus ex iisdem in Collectiones canonum inserti fuerint.

1) Labbe IX. 366. 2) V. Migne, P. G. CII. 279 sqq.

3) Epist. l. I. ep. XXIV; ap. Migne, P. G. CII. p. 793. — Quis fuerit ille archiepiscopus Aquilejensis, controvertitur. Eo tempore enim titulum patriarchae Aquilejensis ferebant duo praesules, quorum alter translata sede ab Aquilejensi civitate. Fori Julii, alter Gradi residebat. Gradensis metropolita erat tunc Petrus, antiquae Aquilejae seu Forijuliensis metropolita Walpertus. Quaestionem erudite discutit Hergenröther (Photius II. 635 sqq.), in eamque cedit opinionem, ad Walpertum Photii epistolam datam esse.

fuit effectus laborum Photii in Occidente, sed in Oriente magna ex parte quod intendebat assecutus est, videlicet ut Orientalibus odiosos redderet Occidentales tanquam proditores fidei orthodoxae, et errorem de processione Spiritus Sancti ex solo Patre in Oriente firmaret ac schismati fundamentum dogmaticum pararet.

130. Sed Photii res haud ita multo post iterum in adversam mutata est. Basilius enim Imperator die 29° Augusti anni 886 naturae debitum solvit[1]), eique successit *Leo* filius, cui postea Sapientis seu Philosophi est cognomen datum. Is Photio, quamvis hunc habuisset praeceptorem, parum addictus erat; imo aversionem non mediocrem in eum conceperat, quod Theodorus Santabarenus, patriarchae amicus, Leonem patri Basilio suspectum reddiderat, magnasque aliquando discordias inter hos provocaverat, ita ut Imperator filium per aliquod tempus in custodia detineret. — Pervenerunt porro ad Leonem litterae, quas Stephanus Pontifex ad Basilium direxerat, ut Marini memoriam vindicaret et Photii facinora denuo in mentem revocaret. Itaque Leo brevi postquam Imperium adeptus est, Photium ex sede CPtana ob multa ejus facinora ejecit, atque in monasterium relegavit. Theodorum Santabarenum vero durius tractavit; primo videlicet hic verberibus affectus Athenas in exilium missus, postea etiam excaecatus fuit. **Leo Sapiens Imp.**

131. Patriarcham tunc Leo designavit Stephanum fratrem suum, qui jam a patre statui ecclesiastico addictus et a Photio diaconus ordinatus erat. Quamvis autem adolescens esset sedecim annorum, tamen circa festum Natalis Domini anni 886 Stephanus a Theophane metropolita Caesareensi in patriarcham CPtanum consecratus est. Dein studuit Leo etiam illos praesules, qui duce Styliano usque ad finem Photio restiterant, eo adducere, ut Stephanum tanquam patriarcham agnoscerent: quumque in hujus or- **Photius e sede ejectus.**

---

[1]) Pagius aliique auctores Basilium mortuum esse censent die 1° Martis a. 886; sed eum potius die 29° Augusti obiisse, ostendit Hergenröther, Photius, T. II. p. 679, nota 69.

dinatione canones quoad aetatem servati non essent, atque etiam ordinatio in diaconum per Photium et consecratio in patriarcham per episcopum Photianum dubia suscitarent, mox ad omnia resarcienda interventio Sedis Apostolicae quaesita est. Scripsit igitur Leo Augustus ad Stephanum V Pontificem, scripsit et Stylianus tam suo, quam omnium sacerdotum Orientis catholicae communionis nomine,[1]) illumque rogarunt, ut violatorum in ordinatione Stephani canonum veniam concederet, et populo ignosceret, qui fraude Photii deceptus, post obitum S. Ignatii illi rursus adhaeserat. Non exstat quidem Leonis Imperatoris epistola, sed epistola Styliani breviter repetit ab initio omnia Photii scelera, declarat, quomodo Leo eum ejecerit, rogatque, ut Pontifex, damnans eum, benigne dispenset cum aliis episcopis, qui ab eo decepti fuissent, ut ita pax omnimoda restituatur CPtanae ecclesiae. Cujus quidem epistolae notanda sunt maxime verba, quibus hoc petitur a Stephano Papa. *Quoniam vero scimus,* inquit Stylianus, *quod a vestra Apostolica Sede corrigi et juxta canones corripi debemus, hac de causa humilibus his nostris litteris tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas,* et plura hujusmodi.

Recursus ad Pont. Rom.

132. Stephanus Pontifex quum nonnullam dissensionem inter Styliani et Imperatoris litteras animadvertisset, timuit ne sibi obreperetur. Leo enim Imperator scripserat, Photium sponte se abdicantem quietam vitam elegisse; Stylianus vero Photium a Catholicis ejectum asserebat. Quamobrem Pontifex dispensationem quam rogabant suspendit. Scribit Pontifex epistola a. 888 data: „Sed de Photio quidem ita vos scripsistis; illas vero Imperatoris litteras quum legissemus, easdem a vestris procul abesse comperimus. Ita enim se habebant: quod Photius quietam vitam elegit. Quapropter in dubitatione versamur. Multum enim interest, abrenuntiasse, et expulsum esse. Nos igitur absque diligenti inquisitione qualecunque judicium proferre non possumus. Quapropter nunc sententiam

[1]) V. Labbe IX. 368.

prorogavimus; et opus est, utriusque partis religiosissimos episcopos mitti, ut perpensa omni dubitatione, et veritate utrimque manifestata, dicere possimus quod Deus voluerit. Romana enim ecclesia instar speculi et exemplaris reliquis ecclesiis constituitur. Et quodcumque definierit, in sempiternum manet incorruptum, et hac de causa sententias magna cum inquisitione ferre decet."[1]) Quoad hanc rationem agendi Stephani V apprime advertit Baronius: „Ita quidem magna consideratione suspendit judicium. Etenim si acquievisset Papa iis quae scripta erant ab Imperatore de Photio sponte se abdicante, ejus sessionem illegitimam quodammodo probasse videri potuisset. Caeterum nullus esse poterat locus renuntiationi, ei qui nunquam legitime sedisset: nemo potest dimittere quod non habuit, sed ejiciendus ut latro, qui non sua diu mala fide possedit. Ne igitur probasse eo modo Stephanus Photii restitutionem videri possit, non renuntiationem illius, sed ejectionem potius tam ab Imperatore quam ab episcopis exspectat audire."[1]) — Hinc igitur factum est, ut restitutio completa unionis adhuc protraheretur, eo vel magis quod communicatio inter Romam et Constantinopolim eo tempore satis difficilis esset. Post triennium autem venerunt Imperatoris legati, qui et novas Styliani aliorumque praesulum attulerunt litteras, quibus rerum statum exponebant, et enixius dispensationes necessarias et unionis restitutionem petebant.

Negotium protrahitur.

133. Stephano V mense Septembri a. 891 defuncto successit *Formosus* Pontifex, atque sub eo schisma penitus exstinctum est. Respondit ipse a. 892 Styliano epistola, qua tamen quoad dispensationes, ne disciplina Ec-

Formosus R. P.

---

[1]) Labbe IX. 373.

[2]) Ad a. 886 n. 28. — Apparens dissensio inter litteras Imperatoris et Styliani inde provenit, quod Leo Imperator coëgerat quidem Photium sedem patriarchalem relinquere, toleraverat tamen, ut renuntiationem scriptis exhiberet, quodque qui litteras Imperatoris scripserant antea Photio adhaeserant eumque habuerant ut legitimum patriarcham. Stylianus autem aliique praesules eum ut illegitimum usurpatorem e sede ejectum considerabant.

clesiae relaxaretur, haud ita facilem sese ostendit[1]. Simul vero misit Constantinopolim Landulphum et Romanum episcopos, qui cum Styliano aliisque praesulibus conferrent, et res ecclesiasticas Constantinopoli ordinare studerent. Quae a legatis illis Constantinopoli perfecta sint, haud satis compertum est, quum documenta de eorum gestis non exstent. — Stephanus patriarcha CPtanus adhuc adolescens obiit die 17° Maii anni 893; forte tunc adhuc illi legati Constantinopoli aderant. Certo non constat, utrum ipse expresse, dispensatione facta quoad violatos canones, a Sede Apostolica ut patriarcha agnitus fuerit.[2] Agnitum eum fuisse existimat Baronius,[3] et Assemani,[4] atque in Ecclesia graeca ipse inter sanctos colitur.[5] Ei successit *Antonius Cauleas*, senex dignissimus, qui adhuc ab Ignatio ordinatus erat; atque eo sedem tenente, habita synodo, unio plane restituta est. Formosus quidem, uti innuimus, severiora praescripta dederat quoad episcopos et reliquos clericos a Photio ordinatos, quos tantum ad communionem laicorum admitti volebat: sed varia hac in re mitigata fuisse videntur. — Antonio jam anno 895 defuncto suffectus fuit *Nicolaus Mysticus* patriarcha, vir dignus, qui ecclesiae CPtanae vulnera sanare studuit; attamen dissensiones sub ipso ob Leonis Imperatoris tetragamiam cum ecclesia Romana exortae sunt, quamvis ad scissionem res non pervenerint. Sed perduravit unio, donec mediante saeculo decimo per Michaëlem Caerularium schisma instauratum est.

Unio restituta.

134. Ad Photium quod spectat, nihil certi de eo ex tempore secundae ejus depositionis refertur ab aucto-

---

[1]) Fragmenta tantum epistolae supersunt: v. Labbe IX. 428.

[2]) Stephanus legitimam aetatem non habebat, quum ordines ac dein episcopatum susciperet: sedecim enim erat annorum, quando patriarcha factus est. Praeterea in diaconum ordinatus erat a Photio, in episcopum vero a Theophane archiepiscopo Caesareensi, qui antea e Photianis fuerat.

[3]) Ad a. 886 n. 38.

[4]) Bibl. juris orientalis.

[5]) V. Bolland. Acta Sanctorum t. IV. Maii p. 36 sqq

ribus. Indicant tantum, eum in exilio mortuum esse, atque sepultum in ecclesia Sancti Jeremiae ad Merdosagarum; ejusque mors accidisse traditur die 6° Februarii anni 891. Videtur autem Photius perseverasse in sua pertinacia atque in suo errore de Spiritus Sancti processione, imo hunc errorem pro viribus propagasse. Sententia haec initio saeculi decimi Constantinopoli a multis tenebatur, unde Sergius III, quem hac de re certiorem factum dixeris a legatis suis anno 906 vel 907 Constantinopoli revertentibus, episcopos Francorum monuit juxta Nicolai I exemplum, ut hunc errorem sedulo evitent atque impugnent. Id colligitur ex Actis Troslejensis concilii, quod mense Junio anni 909 praeside Heriveo archiepiscopo Rhemensi habitum est. In Actis hisce enim legitur: *Sane quia innotuit* (i. e. notum fecit) *nobis S. Sedes Apostolica, adhuc errores blasphemiasque cujusdam vigere Photii in partibus Orientis in Spiritum Sanctum, quod non a Filio nisi a Patre tantum procedat, blasphemantis: hortamur vestram fraternitatem, una mecum ut secundum admonitionem Domini Romanae Sedis, singuli nostrum, perspectis Patrum catholicorum sententiis, de divinae Scripturae pharetris auctas proferamus sagittas potentis, ad confodiendam belluam monstri renascentis, et conterendum caput novissimi serpentis.*[1]) Photii exitus

135. Saeculo decimo tamen Graeci gesta Photii potius oblivioni tradere et silentio tegere studuerunt, ob luctam ejus adversus S. Ignatium, atque sub anathemate prohibuerunt ea commemorare quae contra utrumque patriarcham gesta vel scripta erant. Post medium saeculum decimum ad impugnandos Latinos dein Photii scripta iterum conquisita sunt, ac Graeci saeculo duodecimo eum inter Doctores Ecclesiae recensuerunt. Sed tantum saeculo decimo sexto Graeci schismatici inceperunt illum inter sanctos colere; atque etiam nunc scriptores schismatici multis encomiis celebrare solent virum hunc, qui foe- Photii memoria.

---

[1]) V. Concil. Troslejanum c. 14; Labbe IX, 561. — Cfr. Natal. Alex. in saec. IX et X. c. IV. art. 31.

dissimi schismatis struxit fundamenta[1]). Permagnae quidem eruditionis fuisse Photium, multa ejus quae exstant opera testantur, sed ingentis eum fuisse perversitatis, ex iis quae disseruimus colligitur. Tantum vero abest, ut hujus hominis culpa minuatur zelo quodam religionis quem passim ostentabat, ac pietate quam in dictis et scriptis frequenter affectabat: ut haec potius in majorem ejus vergant contumeliam. Etenim *totius injustitiae nulla capitalior est quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.*[2])

[1]) V. Hergenröther. Photius. T. II. p. 713 sqq.
[2]) Cicero de officiis I. 13.

INDEX.

Pag.

Dissertatio decima sexta.

De aliquot causis celebrioribus saeculo nono agitatis ac de Decretalibus Pseudo-Isidorianis. 223

Dissertatio decima septima.

De schismate Photiano. 321

Index alphabeticus rerum.

D.

E.

F.

G.

H.

P.

R.

S.

T.

V.

W.

Z.

A. M. D. G.

DISSERTATIONES

SELECTAE

in

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

AUCTORE

BERNARDO JUNGMANN,

Eccles. Cathedr. Brugens. Canon. hon.,
Philos. et S. Theolog. Doct., ac Profess. ord. Hist. eccl. et Patrol.
in Universitat. cath. Lovaniensi.

Tomus IV.

MDCCCLXXXIV.

RATISBONAE, NEO EBORACI & CINCINNATI,

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOSTOLICAE TYPOGRAPHI.

PARISIIS: P. Lethielleux, via vulgo Cassette, 1. **BRUGIS**: Beyaert-Storie. **TORNACI**: H. Casterman Vidua. **LONDINI**: Burns et Oates; R. Washbourne. **ROMAE**: Libreria Religiosa (Ant. Saraceni.) **TILBURGI**: W. Bergmans.

Approbatio.

Dissertationes in Historiam ecclesiasticam, auctore viro eximio Bernardo Jungmann, S. Th. et Philos. Dr., Historiae ecclesiasticae et Patrologiae in Universitate catholica Lovaniensi Professore ordinario, et ecclesiae cathedralis Brugensis Canonico honorario, novem annorum spatio exaratas atque ab auditoribus magno cum fructu exceptas, nunc primum, utpote ab omni, ut Nobis visum est, naevo immunes, atque solidissima doctrina refertas, approbamus et ultro imprimi permittimus

Datum Brugis, hac 1. Junii 1880.

J. J. Epus Brugens.

Opus quod inscribitur: *Dissertationes selectae in Historiam ecclesiasticam. Tom. IV., auctore Bernardo Jungmann, Eccles. Cath. Brugens. Can. hon., Philos. et S Theol. Doctore, in Univers. Cath. Lovaniens. Hist. eccles. et Patrolog. Prof. ord.*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, die 2. Februarii a. MDCCCLXXXIV.

C. Pieraerts, Rect. Univ.

Dissertatio decima octava.

De Romanis Pontificibus saeculi decimi.

1. Baronius, Annalium ille parens et auctor, unus omnium et pietate et eruditione maxime insignis, dum in suo opere ad terminos pervenit noni saeculi ac decimi limina tangit, lugubrem admodum illorum temporum exhibet descriptionem. Saeculum nonum advertit, multis ex causis Ecclesiae aerumnosum fuisse, Romanae vero potissimum laboriosum ob diversas tam adversus occidentales quam orientales principes perdifficiles contentiones, imprimis vero ob dirum schisma Graecorum auctore Photio partum.[1] Verum id quidem est; fuit tamen, fundato Imperio, eximius etiam ea aetate Ecclesiae et Pontificum splendor, mira vis atque auctoritas, saluberrimus in orbis gentes influxus, ita ut pluribus saeculis illud haud postponendum, aliquot saeculis praeferendum videatur. — Ad ultimum vero hujus saeculi decennium spectat, quod apud Baronium sequitur: *Sed ob intestina eademque implacabilia bella in ipso sinu Romanae Ecclesiae agitari coepta, caeteris lugubrius est redditum atque funestius, cum videlicet stertentibus omnibus, quibus ad regimen fuerat vigilandum, imo iisdem ipsis ut apostolica navis fluctibus obruta penitus mergeretur operam dantibus, nonnisi divinum debeat existimari miraculum, si ipsa tot tantisque jactata procellis, contusa* Baronius de saeculo nono.

[1]) Ad a. 899. n. 3.

fluctibus, ventis impulsa, atque illisa saepe obviis quibusque scopulis detrusaque crebro violenter in syrtes, potuerit aliquo modo tot malis esse superstes. Ut plane quam apertissimo fuerit demonstratum experimento, non humano tantum eam gubernari regimine, sed certe divinis regi praesidiis, fulciri subsidiis, supernaque omnino incolumem conservari potentia.[1]) — Tristes tamen ejusmodi eventus quos scriptor innuit, tantum ultimis saeculi noni annis acciderunt, nec ex iis caliginem toti illi saeculo aspergi censerem. Sed potius illi eventus connumerandi sunt iis calamitatibus, quibus saeculo *decimo* Ecclesia concussa est; ex iisdem enim causis ac fontibus emanarunt. Atque etiam ipsius Baronii menti, dum haec dicit, saeculi decimi fata potius obversabantur.

De saeculo decimo.

2. Ad hujus saeculi decimi enavigandas syrtes jam vela solvens: *En incipit*, ait, *annus Redemptoris nongentesimus, quo et decimum inchoatur saeculum, quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum appellari consuevit obscurum. In cujus limine constituti ob ea quae pro foribus adeo flagitiosa nuper contigit aspexisse, antequam progrediamur ulterius, hic lectorem monendo praefari aliquid necessarium duximus, ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationem desolationis in templo, sed magis miretur et cognoscat, in ejus custodia divinam invigilare potentiam, cum non ut olim abominationem tantam secuta mox fuerit desolatio templi, intelligatque solidioribus illo niti hoc fundamentis, nempe promissionibus Christi firmioribus terra coeloque, ut ipse testatus est dicens: Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt.*[2]) — Postquam dein asseruit, mala quae tunc passa est Ecclesia majora fuisse iis, quae unquam ab Imperatoribus gentilibus atque ab haereticis et schismaticis ei illata sunt: *At quaenam*, ait, *ista mala dices, et unde tanta omnium acerbissima tempestas exorta? Est plane ut vix aliquis credat, imo nec vix quidem sit crediturus, nisi suis*

---

[1]) Ibidem. [2]) Ad a. 900 n. 1.

inspiciat ipse oculis, manibusque contrectet, quam indigna quamque turpia atque deformia, execranda insuper et abominanda, sit coacta pati sacrosancta Apostolica Sedes, in cujus cardine universa Ecclesia catholica vertitur, cum principes saeculi hujus quantumlibet christiani, hac tamen ex parte dicendi tyranni saevissimi, arrogaverunt sibi tyrannice electionem Romanorum Pontificum. Quot tunc ab eis, proh pudor! proh dolor! in eamdem Sedem angelis reverendam visu horrenda intrusa sunt monstra! Quot ex eis oborta sunt mala, consummatae tragoediae! Quibus tunc ipsam sine macula et sine ruga contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisque perpetua infamia denigrari![1])

Haec Baronii lamenta plerique auctores catholici, uti Bellarminus, Graveson, Becker, Katerkamp, repetiere, dumque ejus sententiam de tristissimo statu Ecclesiae currente saeculo decimo amplexi sunt,[2]) cum viro illo venerando atque clarissimo etiam animadverterunt, argumentum inde desumi divinitatis Ecclesiae, quod in his adversitatibus, uti humanae societati accidisset, haud interierit, sed mox viribus auxiliisque desuper datis roborata et epurata, miro splendore denuo effulserit. Sed Protestantium scriptores enarrantes et exaggerantes ea facta, quae ab ipsis Catholicis admittebantur, conviciis et maledictis in Ecclesiam et Sedem Apostolicam ob illius aetatis corruptionem debacchati sunt, et sophistica inde deprompserunt argumenta, quibus suos vindicarent errores. Recentiori vero tempore plura scripta ac monumenta, quae ad saeculum decimum pertinent et incognita jacebant, studio ac laboribus eruditissimi Muratori aliorumque virorum detecta et in lucem edita sunt, atque accuratius etiam viri docti in conditionem illius aetatis inquisierunt. Unde factum est, ut jam benignius de illo tempore non pauci judicent, Alii auctores.

[1]) Ibidem. n. 3.

[2]) Dum de saeculi decimi tristi conditione auctores agunt, non intelligunt praecise illam tantum epocham quae inter a. 900 et 1000 continetur; sed incipiunt ista tempora inde ab exstinctione Imperii Carolingorum (a. 888), atque se extendere censentur usque ad medium saeculum undecimum.

et quamvis calamitates lugendae acciderint variae, tamen censeant, saeculum istud nequaquam tam ferreum, plumbeum, obscurum fuisse, quale depingi solet, sed multis quoque bonis fuisse foecundum, atque etiam tunc Ecclesiam suo splendore nullatenus caruisse.

Praejudicium. 3. Et re quidem vera ex ipsa Ecclesiae indole et concessis ei per auctorem Christum Dominum dotibus, vehemens colligitur praejudicium contra ejusmodi, qualem varii auctores asserunt, profundam et diuturnam illius aetatis corruptionem. Etenim Ecclesia praedita est nota sanctitatis, quae in interna ac supernaturali Christi et Spiritus Sancti operatione suam habet radicem, et exterius se miro manifestat splendore. Quum eadem sanctitatis proprietate hominum libertas non auferatur, non repugnat quidem, crimina ac scandala in Ecclesia accidere, sed haud censerem divina providentia permitti, ut bonis moribus atque virtuti praevaleant impietas et mores perversi. Status *normalis* Ecclesiae ille est, ut *vehementer* fulgeat ejus sanctitas insignibus virtutibus praesulum multorumque fidelium, et sapientia quoque eximia, quae tum in scriptis operibus, tum in vita practica se manifestat. Facinora publica, frequentia, enormia, maxime in ipsa hierarchia Ecclesiae, *abnorme* quid sunt; et magna perversitas impietasque insignis nec ampla extensione, nec tempore diuturno in Ecclesia perstabunt, nec unquam in eadem praevalebunt.

Quaestio difficilis. 4. Quaestio tamen de statu rerum ecclesiasticarum illo saeculo nondum omnino eliquata est, sed accurato indiget examine et aequo judicio critico. Haud ita facile enim est judicare de valore historico scriptorum illius temporis, vel ex iis, quae referunt, accuratam notionem conditionis rerum ecclesiasticarum in variis regionibus orbis christiani componere. — Dissertatione hac igitur agemus *De Romanis Pontificibus saeculi decimi.* Ut vero fundamentum quoddam struamus quoad ea quae discutienda obveniunt, juvabit aliqua praemittere de *fontibus historiae hujus saeculi,* ac *de statu ejus generali.* — De quaestionibus tractandis conferri possunt: Hefele, *Conc. Gesch. B. IV;* Dam-

berger, *Gesch. B. IV;* Reumont, *Geschichte der Stadt Rom, B. II;* Rohrbacher, *Histoire de l' Eglise, T. XII, XIII;* Rohrbacher-Tensi, *Universalgeschichte der Kirche, B. XIII* (a. 1882); Balan, *Storia d' Italia, Vol. II, LL. XVII, XVIII;* Muratori, *Annali d' Italia T. V, P. I, II;* Pagii, *Breviarium etc., T. II;* Watterich, *Vitae Rom. Pontificum, T. I* (Lipsiae 1862); Luitprandi Ticinensis, *Rerum gestarum ab Imperatoribus et Regibus libri sex,* seu *Antipodosis* (ap. Pertz M. G. S. S. T. III); Koepke, *De vita et scriptis Liudprandi, Berolini* 1842; Flodoardi Rhemensis *Vitae Romanorum Pontificum* (ap. Migne P. L. CXXXV; Muratori SS. Ital. III.); Auxilii et Vulgarii *opera,* (ap. Migne P. L. CXXIX, vel Mabillon Analecta vetera edit. II. p. 28, et Bianchini, Anastasius Bibliothec. Tom. IV. p. LXX.); Dümmler, *Auxilius und Vulgarius. Quellen und Forschungen zur Geschichte des Papstthums im Anfange des zehnten Jahrhunderts* (Leipzig 1866); Il Papato Vol. IX. p. 1. (a. 1878), *Gli odierni studii scientifici ed il Pontificato di Sergio III;* Liverani, *Giovanni da Tossignano* (Macerata 1859); Hergenröther, *K. G. B. I. S. 597 ff.; B. III, S. 214 ff.,* ubi et alii auctores citantur.

I.

De fontibus historiae saeculi decimi et de ejus statu generali.

5. Auctor praecipuus ex quo depromuntur ea quae de **Luitprandus.** conditione ecclesiae Romanae primis decenniis saeculi decimi, ac de Romanis Pontificibus illius temporis tradi solent, *Luitprandus* est; atque ex ejus narratione, foedissimum rerum ecclesiasticarum statum fuisse, gravissimi judicarunt auctores. Vides igitur, quanti momenti sit, ut hujus scriptoris qualis sit auctoritas inquiratur. — Luitprandus ex stirpe Longobardica oriundus, natus videtur altero decennio saeculi decimi currente. Educatus est Ticini (Paviae) in aula Hugonis Italiae regis, ac dein

inter clericos ecclesiae Ticinensis adscriptus in hac ecclesia fuit diaconus. Quum porro a. 945 Berengarius marchio Hugonem depulisset, huic Berengario Luitprandus a secretis fuit, atque ab ipso versus a. 949 Constantinopolim missus est, ut apud Constantinum Porphyrogenitum de ineundo foedere et amicitia ageret. Quo munere bene functus aliquanto tempore adhuc Berengarii favore fruitus est, sed ex ejus gratia dein excidit, atque in Germaniam confugit ad Ottonem I Imperatorem, qui magno in honore eum habuit. Varias pro Imperatore obiit legationes, inter quas celebrior ea est, quam a. 968 suscepit Constantinopolim, ut ageret de nuptiis ineundis inter Ottonem II et Theophaniam virginem ex stirpe Imperatorum Graecorum. Ab Ottone I quoque obtinuit a. 962 episcopatum Cremonensem; et ipsum comitatus est a. 963 in expeditione Romana, suasque partes egit in conciliabulo in quo Joannes XII destitutus est. Vita functus autem videtur esse circa annum 972.[1])

Luitprandi Antipodosis.

6. Quum Francofurti ad Moenum in Germania exul versaretur Luitprandus, suadente Recemundo Illiberi (Elvirae) in Hispania episcopo et Abderhami regis ad Ottonem legato, opus suum praecipuum conscripsit, historiam videlicet sui temporis, seu *Historiam rerum gestarum ab Europae Imperatoribus et Regibus.* Quod opus sex libris constans etiam *Antapodosim* ipse appellavit; inimicis suis enim, dum scelera eorum depingit, illud esse voluit retributionem impietatis; benefactoribus vero retributionem pietatis, dum laudibus hosce evehit. Isto de nomine ac de scopo in prooemio libri tertii, dum operis titulum Recemundo explicat, inter alia scribit: *Intentio hujus operis ad hoc respicit, ut Berengarii hujus qui nunc in Italia non regnat sed tyrannizat, atque uxoris ejus Willae, quae ob immensitatem tyrannidis secunda Jezabel, et ob rapinarum insatietatem Lamia proprio appellatur vocabulo, actus designet, ostendat et clamitet. Tanta enim mendaciorum jacula, tanta rapi-*

---

[1]) Cfr. Wattenbach. Deutschlands Geschichtsquellen. V. I p. 340 sqq.; Koepke, De vita et scriptis Liudprandi. p. 7 sqq.

narum dispendia, tanta impietatis molimina in me et domum meam, cognationem et familiam, gratis exercuere, quanta nec lingua proferre nec calamus praevalet scribere. Sit igitur eis praesens pagina Antapodosis (al. *antidosis*), *hoc est retributio, dum pro calamitatibus meis τὴν ἀσέβειαν eorum, id est impietatem, praesentibus futurisque mortalibus denudavero. Nec minus etiam sanctissimis et fortunatis viris pro collatis in me beneficiis Antidosis erit.* — Vides, vehementioris animi fuisse Luitprandum, scopumque quemdam peculiarem ulciscendi ei fuisse in sua conscribenda historia. Sed ejusmodi intentio hominem designat levioris indolis, illa autem animi vehementia merito nos sollicitos reddit, ne Luitprandus, quod hominibus violentis passionibus obnoxiis accidere solet, res atque eventus exaggeret. — Scripsit praeterea Luitprandus historiam Ottonis Imperatoris, quo libro complexus est eventus, qui inde ab a. 960 usque ad a. 964 acciderunt Italiamque et Sedem Apostolicam maxime spectabant. — Alio demum opusculo descripta est *legatio ad Nicephorum Phocam Imperatorem Cptanum,* qua a. 968 Luitprandus functus est. — Alia quae Luitprandi nomine circumferuntur opera spuria sunt.

7. Quo melius de Luitprandi auctoritate judicium ferri possit, haec advertere juvabit. Ipsi ingenii dotes haud defuisse, eumque disciplinis liberalibus bene excultum fuisse, ex scriptis elucet. Stylo enim concinno ac facili res et eventus describit, lectorem narratione lepida ac vivaci attrahere et delectare nititur, eruditionem prae se fert non mediocrem, artemque etiam poëticam se callere versibus interjectis passim ostendit. Graecae quoque linguae peritissimus fuit, quumque in Germania versaretur, illarum regionum didicit idioma. Nec censerem, Luitprandum ex professo aliquando confinxisse falsa ut lectores deciperet, adeoque mendacem eum appellari posse. Sed ei defuisse gravitatem dotesque criticas, quae in scriptore historico ut ei fidere liceat omnino requiruntur, multa ostendunt. Scriptoris indoles.

8. Illud imprimis in viro diacono animi vulgaris ac levissimi indicium est, quod passim res obscoenas, quum ludicri quid continent, fusius styloque lepido et lascivo Animi levioris.

enarrat, quamvis ad eventus historiae describendos ista parum nihilve faciant, ac sine incommodo possint omitti.[1]) Ac generatim de rebus venereis non ea cum decentia, quae homini gravi et ecclesiastico convenit, loquitur. Nec tamen ex his intulerim, plane perversum moribus aut corde fuisse Luitprandum, qui haud raro in suis libris sensa prae se fert pietatis ac religionis. Sed quemadmodum multitudo scandala sectatur, in iis enarrandis delectatur, ac rumoribus ea exaggerat atque auget, ita et scriptores levioris animi simili agunt ratione.[2]) — Parum quoque eventuum et rerum ordinem Luitprandus observat, dumque quae majoris momenti sunt negligit, singularia et mira venatur, et minutà quaedam facta (anecdota), quae ex triviis et a procerum famulis expiscatur, fusius describit ut lectorem delectet. Operi historico gravi parum etiam convenit, quod narrationi passim immiscet versus. Quod videlicet Boëthius in libro *de Consolatione Philosophiae* perbelle fecit, id inepte Luitprandus in sua Antapodosi repetiit, parum ejusmodi operum diversitatem dijudicans. Jactantiam porro non mediocrem hic scriptor prae se fert, suique nimiam aestimationem atque amorem, et cum affectatione verba passim intermiscet graeca. Studio partium autem, et affectu benevolo vel malevolo ipsum plus aequo regi, aperte ostendit. In suis operibus enim eos quibus addictus est, uti Ottonem Imperatorem, encomiis plane exaggeratis celebrat, eorumque facta omnia ultra modum laudat; eos vero quos aversatur, ut Berengarium, Willam, Nicephorum Imperatorem, odio et contemptu, conviciis vehementissimis et ludibriis persequitur.

Auctoritas mediocris. 9. Quamvis igitur haud opinemur, ex proposito a Luitprando falsa esse relata, nec mendaciorum eum arguamus, tamen ex indole scriptoris operumque ejus colligi

[1]) E. g. Antipodosis II, 63; IV, 9. 11; V. 32.

[2]) V. Antipodosis II, 48 55; III, 7. 8. — Ad rem Koepke: „Nemo, credo, qui Liudprandi credulitatem et lasciviam cognoverit, dubitabit, quin rebus, sive veris sive e triviis arreptis, exaggerandi quodam studio ductus, causas haud raro attulerit, quae ex ipsius lasciviore cogitatione petitae aut mera conjectura exortae essent.“ L. c. p. 133.

censemus, ei nonnisi mediocrem competere auctoritatem, cauteque quae narrat esse excipienda; plura falsa posse ostendi, dubia remanere non pauca. Nimium forte progressi sunt quidam auctores, uti Rohrbacher [1]) et Damberger [2]), qui Luitprandi scriptis omnem auctoritatem fidemque elevare conati sunt. Sed ea quae diximus censemus solidis niti rationibus, auctoresque graves hisce consentiunt. [3])

10. Alter hujus aetatis scriptor historicus est *Flodoardus*. Natus ipse anno 894 Sparmaci prope Rhemas, vixit sub archiepiscopis Rhemensibus Herivaeo, Seulpho, Artaldo et Odalrico, sub regibus Francorum Carolo Simplici, Ludovico Transmarino et Lothario ejusdem Ludovici filio. Presbyter fuit et canonicus ecclesiae Rhemensis, atque vel ab adolescentia, vel in provecta aetate (res non satis liquet) monachus ordinis s. Benedicti, ac dein abbas coenobii Rhemensis s. Remigii. Fuit porro Flodoardus vir litteris et moribus egregie exornatus, et, quod in historico praecipuum est, variae lectionis, magnae diligentiae, et indefessi laboris. Scripsit libros quatuor *Historiae Rhemensis ecclesiae* sive de gestis Rhemensium Pontificum, *Chronicon* aetatis suae accuratissimum ab anno 919 ad annum 966, ac praeter alia carmina etiam metrice opus quatuordecim libris comprehensum, *de Christi triumphis apud Italiam*, seu *Vitas Romanorum Pontificum*, inde a s. Petro usque ad Leonem VII qui anno 939 obiit. Legatione quoque functus est a. 936

Flodoardus Rhemensis.

---

[1]) Hist. eccl. L. 59. [2]) Gesch. B. IV. Krit. S 108.

[3]) Cfr. Wetzer Kirchenlex. B. VI. tit. Luitprand (Schrödl); Dom Ceillier, tom. XIX; Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen, B. I. S. 340 ff.; Muratori, Annali d' Italia t. V. p II. variis locis. — Hergenröther de Luitprando scribit: „Von den Schriftstellern dieser Zeit zeigt Luitprand von Pavia, Bischof von Cremona, einen ganz weltlichen, lasciven Sinn und grosse Leidenschaftlichkeit bei vielfacher diplomatischer Gewandtheit und ziemlicher Belesenheit in den Classikern." K G. B. I. S. 648. Cfr. B. III. S. 214. — A. Reumont pariter ait: „Die Glaubwürdigkeit Liudprands von Cremona, dessen Schriften die noch von Baronius nicht angezweifelte Hauptquelle für die römische Schandgeschichte des zehnten Jahrhunderts sind, ist durch die neuern Untersuchungen immer verdächtiger geworden " Gesch. d. Stadt Rom. II. 1183.

ad hunc Pontificem, ac Romae ab ipso magno in honore habitus. Ex Flodoardi scriptis varia quae ad historiam saeculi decimi pertinent illustrantur, atque ea quae de Romanis Pontificibus illius aetatis habet, conferenda profecto sunt cum iis quae ex Luitprando depromuntur. Flodoardus quidem elogia saepe Pontificum metrice canit, nec in Italia subsistebat ut testis oculatus gestorum. Attamen ex iis quae scribit colligimus, haud malam sed bonam opinionem generatim viguisse de pluribus Pontificibus, qui a Luitprando admodum carpuntur. Flodoardus quoque, ut diximus, Romae aliquanto tempore versatus est, et passim ostendit, accuratius quam Luitprandus se eventus novisse. Obiit Flodoardus anno 966 meritis et sanctitate vitae insignis.

Auxilius et Vulgarius.

11. Praeter hos alii plures veniunt auctores, quorum scripta pariter consulenda sunt, ut ineuntis saeculi decimi historia obscura aliqua luce affundatur. Auxilius presbyter, Francus ut videtur origine sed in Italia meridionali commoratus, scripsit libellum *Super causa et negotio Formosi* Pontificis, alterum de *Ordinationibus Formosi* tractatum qui *Infensor et Defensor* dicitur, et alia quaedam similia opuscula. Ex hisce scriptis ea quae in fine saeculi noni atque initio decimi acciderunt passim illustrantur. — *De causa Formosiana* libellum scripsit etiam Eugenius Vulgarius, Italus illius aetatis satis versatus in litteris humanioribus; cui aliud quoque opusculum Anonymi ejusdem temporis *Invectiva in Romam,* a quibusdam tribuitur.[1]) Exstat porro carmen sat amplum atque insigne in laudem Berengarii Imperatoris, *Panegyricus Berengarii,* ex initiis saeculi decimi, quoad eventus illius temporis pariter consulendum.[2]) Nec spernendum omnino *Chronicon Benedicti de s. Andrea,* monachi monasterii s. Andreae in monte Soracte, ab ipso versus a. 968 confectum. Quamvis mira idiomatis latini barbarie

Alii scriptores.

[1]) De Auxilio et Vulgario cfr Dümmler, *Auxilius und Vulgarius* etc., Leipzig 1866. — Opuscula quaedam hucusque incognita hic auctor invenit et edidit.

[2]) Panegyricum Berengarii edidit primum Valesius, Parisiis a 1663; ap. Pertz. M. G. SS. IV. 189—210.

conscriptum sit, atque erroribus historicis et fabellis scateat, tamen interdum, arte critica caute adhibita, facta aliqua ex hujus viri relatione rustica illustrari possunt.[1]) — Ex aliis scriptoribus sufficiat hoc loco mentionem facere *Reginonis* abbatis Prunicensis (n. Treviris a. 915), qui praeter alia opera confecit *libros duos Chronicorum* a Christo nato usque ad a. 908, continuatos postea usque ad a. 967 a monacho quodam monasterii s. Maximini (Treviris). — Universim saeculo decimo quamvis non abundarent, nullatenus tamen defuerunt scriptores, qui de variis disciplinis tum profanis tum sacris tractaverunt.

12. Qualis autem fuerit generatim *conditio saeculi decimi,* accuratius quidem conspicietur, postquam ea quae in hac Dissertatione et subsequenti tractanda occurrunt absolverimus; hoc loco pauca tantum innuimus. Negari non potest, saeculo decimo Ecclesiam universam atque Romanam in specie gravibus calamitatibus fuisse concussam, et abusus quidem graves ac vitia variis in regionibus exstitisse ac paulatim etiam aucta esse. Attamen generatim fides, religio, virtutes, litterae eo quoque tempore satis floruere, multa concilia ad firmandam disciplinam habita sunt, permulti exstiterunt viri sancti, episcopi, presbyteri, monachi, reges.[2]) Amplissima Congregatio Cluniacensis Benedictinorum tunc fundata est, ac saluberrimum longe lateque Status generalis.

---

[1]) Chronicon Benedicti de s. Andrea invenit Pertz, ac luci publicae primum dedit M. G. SS. III. 695.

[2]) Praeter alios e. g. eo saeculo sanctitatis laude claruerunt: ex episcopis, Odo et Dunstanus Cantuarienses; Oswaldus Eboracensis; Ethelwolfus Wintoniensis; Benno Metensis; Gerardus Tullensis; Bruno Coloniensis; Udalricus Augustanus; Radbodus Ultrajectensis; Wolfgangus Ratisbonensis; Adalbertus Pragensis; Conradus et Gebehardus Constantienses: e monachis et abbatibus, Guibertus fundator monasterii Gemblacensis; Notgerus monachus monasterii s. Galli; Nilus, fundator monasterii Cryptae-Ferratae; Berno, Odo, et Majolus, abbates Cluniacenses: Gerardus abbas Broniensis: e sanctimonialibus, quatuor Edithae regia Anglorum prosapia natae: ex laicis, Eduardus rex Angliae, cognomento Martyr; Wenceslaus rex Bohemiae et Ludmilla ejus avia; Mathildis regina in Germania, mater Ottonis I, hujusque conjux Adelaidis. Cfr. Wouters, Dissert. t. III. p. 301.

exercuit influxum; variae Septentrionis nationes ad christianismum conversae sunt.

Querelae exaggeratae.

13. Non possunt igitur nimium urgeri, quae apud unum alterumve scriptorem antiquum de corruptione morum saeculi noni inveniuntur. Sic scribit quidem in Chronico Robertus Altissidiorensis quoad illam aetatem: „Valde hoc tempore monasticae religionis fervor in plerisque Galliarum locis tepuerat, et rarus in aliquo monastico habitu induto mundi contemptus inveniebatur. Abbatiae siquidem antiquiores, quae in urbibus Franciae ceu castris nobilioribus fuerant editae, a religiosioris propositi tramite adeo exorbitaverant, ut paene omnes qui in iis divinis videbantur mancipati obsequiis, curis carnis ac suae voluntatis studio et intentioni addicti essent. Unde non immerito rariores hoc tempore spiritales viri fuerunt, ut vix vel unus magnae famae, aut sanctitatis immensae his diebus exstitisse referatur, qui poni posset in lucem gentium, ut salus esset his, qui in extremis vitiorum finibus morabantur. Nam praeter Domnum Odonem religiosissimum abbatem, qui hoc tempore floruit, cujusque sanctitas et religio non mediocris fuisse certissime comprobatur, vix aliquis enituit qui fraternae correptionis ardore repleretur.“[1]) Apprime ad haec observat Pagius in notis ad Baronii Annales, eam esse consuetudinem scriptorum qui temporum historiam enarrant, ut vitia generalia quibusve multi infecti iis loquendi formulis exprimant, quae neminem excludere videantur. Idque illustrat ex Gulielmo Malmesburiensi qui de saeculi exeuntis undecimi corruptione per labem simoniacam simili plane ratione loquitur, ac si ecclesiastici omnes ad unum ejusmodi contagio infecti fuissent.[2]) Constat vero, saeculo undecimo exeunte neutiquam labem simonia-

[1]) Ap. Pagium ad a. 900 n. 1.

[2]) Loquens de Claromontano Concilio sub finem saeculi undecimi celebrato scribit: „Simoniacus anguis ita lubricum caput erexerat, ita venenato fotu mortiferi germinis ova vaporaverat, ut totus orbis lethali sibilo infectus ecclesiasticos honores corrumperet. Tunc enim non dicam episcopi ad ecclesias, sed nec quilibet ad quoscumque ordines, nisi per pecunias aspirabat.“ De Rege, L. IV. c. 2.

cam, jam dudum a Romanis Pontificibus debellatam, adeo generalem fuisse. Illudque saeculum ad finem vergens exornarunt viri zelo apostolico praestantes, summi Pontifices, episcopi, clerici, abbates et monachi, imo et laici, ut expeditio Jerosolymitana tum suscepta indubitatum testimonium praebet.[1]) Atque quoad omnia fere saecula ejusmodi occurrunt scriptorum textus, quibus rerum conditio depingitur exaggeratione quadam, ac si cuncti illius temporis homines uno alterove vitio inquinati fuissent. Effata talia itaque non sunt urgenda, sed ex factis quae certo constant colligendum est, qualis quovis tempore rerum status fuerit.

14. Providentia autem divina evenisse animadvertitur, ut quamvis scandala valde lugenda in Ecclesia acciderent saeculo decimo, doctrina tamen fidei detrimenta haud pateretur, haereses non ebullirent, nec schismatibus unitas catholica discerperetur. Imo pax et concordia in Ecclesia universa, ac submissio sub Romanis Pontificibus magis forte quam praecedenti tempore viguerunt. Qua de re Auctor haud spernendus saeculi elapsi scribit: „Quamvis enim Romae initio saeculi hujus et in Italia ob regulorum tyrannidem et intrusos quosdam Pontifices magna interdum turbatio esset, multis cum scandalis conjuncta, indeque vehemens Ottonis M. Imperatoris atque episcoporum cum Joanne XII collisio oriretur, non diuturna tamen tempestas illa; sed ea potius obscuri saeculi prae aliis felicitas et singularis praerogativa fuit, ut in novarum ecclesiarum fundatione, in hierarchica subordinatione, in legibus privilegiisque pub- Bona illius aetatis.

[1]) Cfr. Pagium ad a. 900 nn. 1, 3. — Scripsit Robertus Altissiodorensis canonicus regularis monasterii s. Mariani Ord. Praemonstr. Chronicum ab origine mundi usque ad a. 1211; obiit vero ipse a. 1212. Appendicem usque ad a. 1228 adjecit Hugo, pariter canonicus s. Mariani Altissiodorensis. (Cfr. Potthast, Wegweiser durch die Geschichtswerke des Mittelalters, tit. Robertus Altissiodorensis.) Unde vides, illum auctorem saeculo decimo non esse coaevum, adeoque ea quae de isto tempore habet per se sibi plenam fidem non vindicare. — Erravit autem Pagius scribens l. c.: *Ut docet Hugo Antissiodorensis in Chronico Roberto ejus continuatori perperam attributo.* Est enim Chronicum revera Roberti, continuatio autem vel Appendix Hugonis Altissiodorensis.

licis atque ipso etiam reipublicae statu ordinando, plerumque episcopi cum principibus, et utrique cum Romano Pontifice mira concordia auctoritatem suam accumularent per Occidentem, non obstante eo quod magna auctoritate antistites circa res et personas regum, vicissim reges circa res atque personas episcoporum aliorumque ecclesiasticorum uterentur, atque in his omnibus Romanorum Pontificum, non eorum solum qui legitime electi, sed et qui initio intrusi erant, potestas praeponderaret."[1]) — Quod vero res istae calamitoso eo tempore bene haberent, magna ex parte inde dixeris provenisse, quia per Pontifices praecedentes, e. g. per Nicolaum I et Hadrianum II, auctoritas Sedis Apostolicae valde firmata erat, atque principia ab illis Pontificibus propugnata et inculcata, magis magisque in Gallia et Germania invalescebant.

Nationum conversio.

15. Nationes ea aetate ad Christianismum conversae, sunt Normanni, Poloni, Moscovitae et Hungari. Quoad prima initia omnes illi Christiani e paganis facti sunt ad eum modum, qui etiam in praecedenti conversione Danorum, Suecorum, Bulgarorum, Sclavorum, Maravorum et Bohemorum observatur. Conversio videlicet illa perfecta est tum laboribus episcoporum et presbyterorum, a quibus edocti et baptizati sunt; tum concursu regum et imperatorum catholicorum, qui media ad illorum conversionem necessaria suppeditarunt; tum opera Romanorum Pontificum, qui episcopos et missionarios ad illam conversionem destinarunt, aut certe relationes ea de re ad Sedem Apostolicam velut ad totius Ecclesiae caput factas receperunt, novasque ecclesias secundum formam hierarchicam erectas suis rescriptis et constitutionibus confirmarunt.[2]) — Hisce breviter observatis quoad conditionem saeculi decimi generatim, modo de Romanis Pontificibus illius aetatis disseramus.

---

[1]) Becker, Hist. eccl., Saec. X. §. VI. Animadversio. Vol. VI. p. 213.
[2]) Cfr. Becker l. c. §. 1.

II.

De Romanis Pontificibus hujus aetatis.

16. Passim jam nobis in iis quae praecedentibus Dissertationibus accuratius examinavimus indicia occurrerunt, saeculo nono ad finem vergente Romanae ecclesiae ac civitatis conditionem difficiliorem fuisse, gravioraque ibidem et rei ecclesiasticae et rei civili imminuisse pericula. Vidimus, tum Hadriano II tum Joanne VIII regnante, proceres, sive singulos quosdam, sive junctos, magnas aerumnas atque angustias Pontificibus illis parasse, variasque fuisse factiones politicas, quum alii Imperatorem ex Carolingiis Galliae, alii ex stirpe Germanica vellent, alii principi Italo hanc dignitatem conferendam contenderent. — Animadvertimus etiam, in pluribus viris ecclesiasticis qui summis muneribus fungebantur, quibusque Pontifices necessario ut consiliariis et adjutoribus utebantur, quamdam animi fluctuationem, inconstantiam, ambitionem, humanam potius prudentiam et artem politicam conspici. Quum porro ex procerum Romanorum familiis isti viri ecclesiastici prodirent, agitationibus quoque politicis et factionibus mox iidem implicati sunt. Paulatim incommoda ista et mala etiam creverunt, influxu factionum atque nobilium in Pontificum creatione tumultus acciderunt, libertas electionis diminuta fuit, aliqui Pontifices minus digni vel minus apti in Sedem Apostolicum collocati intrusive fuerunt. Imo etiam dignorum Pontificum auctoritas et independentia per principes nobilesque Romanos, ac vel per ipsas familias ex quibus prodibant, admodum coarctata et impedita fuit, gubernioque civili ipsis fere erepto, magna in civitate Romana rerum turbatio orta est. Simul vero in istis familiis principum atque nobilium, tum Romae tum in aliis Italiae regionibus, lugenda morum relaxatio libidinumque licentia invaluit. Ex hisce causis ac praesertim ex dependentia Pontificum electionisque eorum a factionibus procerum saeculo decimo, tristior illa Ecclesiae Romanae provenit

Difficultates in Urbe.

conditio, quam commemoravimus, exaggeratam tamen a multis esse animadvertimus. — De illius aetatis Pontificibus agemus igitur critica sana adhibita, ita ut quae vera inveniuntur haud tegamus, quae conficta vel exaggerata sunt rejiciamus, quae dubia apparent vel in ancipiti relinquamus, vel quod veri similius videtur indicemus.

Formosi gesta.

17. A *Formosi* (891—896) pontificatu auctores passim exordium perturbati status rerum computant, minus quidem propter ea quae ipso Ecclesiam gubernante acciderunt, quam propter eventus post mortem ejus, et ob accusationes tunc in ipsum prolatas. De Formoso itaque ejusque fatis variis, secundis atque adversis, quaedam dicere convenit. — Inde ab anno 864 exeunte Formosus fuit episcopus Portuensis,[1]) eumque vidimus a. 866 legatione apud Bulgaros functum esse eo successu, ut hanc provinciam conversam Sedi Apostolicae devinciret, talemque obtineret apud Michaëlem regem favorem, ut enixe expeteretur ab ipso tanquam Bulgarorum archiepiscopus. Petitioni haud obsecuti sunt Nicolaus et Hadrianus Pontifices. Forte aliae quoque ipsis erant rationes, sed ea prolata est, quod episcopum ad aliam sedem transferre non expediret. Erat haec quidem ratio per se jam gravissima, eo quod illa aetate translationes praesulum in Occidente juxta Latinorum disciplinam generatim improbarentur, adeoque rarissimae essent et nonnisi ob motiva summi momenti acciderent. Apparet tamen ex his, Formosum fuisse virum in rebus agendis valde peritum magnoque in honore habitum. Qui dein variis in negotiis Sedi Apostolicae adfuit, legationem quoque obiit a. 872 ad Ludovicum Germaniae regem et Engelbergam Imperatricem.

In jus vocatur.

18. Sed a. 876, uti jam alibi vidimus,[2]) Formosus a Joanne VIII varias ob accusationes cum pluribus proceribus in judicium vocatus est, quumque aufugisset, die 19 Aprilis, atque iterum die 30 Junii, damnatus atque depositus est.

---

[1]) Successit Formosus in episcopatu Portus Rodoaldo, qui mense Novembri a. 864 in synodo Romana a Nicolao I depositus est.

[2]) Cfr. Dissertat. XV. De Imperio et de Ecclesia saec. IX. n. 57.

Damnationis causas praecipuas edocent Joannis VIII litterae die 21 Aprilis *ad universos Gallos atque Germanos* datae. Ait Pontifex in laudata epistola: *Formosum Portuensem episcopum, qui a beatae memoriae domno praedecessore nostro Papa Nicolao in Bulgarorum patriam destinatus, noviter in Christo regenerati regis* (Michaëlis) *animos adeo suis calliditatibus vitiavit, ut terribilibus sacramentis eum sibi obstrinxisse testatus sit, ne se vivo quemlibet episcopum a Sede Apostolica suscepisset, seque eidem terribilibus nihilominus juramentis, ut ad eum quantocius reverti debuisset, obstrictum fuisse professus sit, quique a nobis proficiscendi illuc licentiam, litteras et necessaria adjutoria impetravit:*[1]) *quoniam jam dudum per ambitionem a minori ecclesia in majorem, videlicet sanctam Sedem Apostolicam prosilire conatus plurimos sibi consolatores effecit, et nunc per repertam hypocrisim retrorsum rediens, sine licentia vel conscientia nostra propriam paroeciam deseruit,*[2]) *urbe discessit, et contra salutem reipublicae dilectique filii nostri Caroli, a nobis electi et ordinati Principis, cum suis fautoribus conspiravit: nisi amodo intra diem decimum, id est III Kal. Maji praesentis nonae indictionis, praesentiam suam nobis satisfaciendo monstraverit, auctoritate Dei omnipotentis, sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ecclesiastica communione privatum .... fore judicamus.*[3]) — Condemnationem latam in synodo Romana die 19° Aprilis a. 876, Joannes confirmavit in altera synodo Romae die 30° Junii habita, atque repetiit, quum a. 878 in Gallia versaretur, in synodo Tricassina. Quumque Formosus, qui in Galliam Turonas ad Hugonem abbatem aufugerat, in Pontificis potestatem venisset, hic eum adegit ad juramentum, se nunquam Romam vel ad

Damnatur.

[1]) Ex his colligitur, Joannem tunc voluisse obsecundare petitioni regis Bulgarorum, Formosumque eo ut episcopum mittere. Sed forte rerum conditione mutata Formosus munus illud et onus accipere declinavit.

[2]) Hac de re Sigebertus Gemblac. ad a. 900: „Hic Formosus, cum aliquando in sinistram suspicionem venisset Joannis VIII P., timore ejus fugiens episcopatum Portuensem reliquit."

[3]) Ap. Watterich Vitae Pont. I. p. 638.

episcopatum rediturum, ac perpetuo in communione tantum laicali permansurum esse. Ea conditione videtur fuisse ab excommunicatione solutus. Quum vero post decessum Joannis VIII summum pontificatum obtinuisset Marinus, qui quondam in Bulgaria Formosi fuerat socius, is Formosum juramento praestito solvit (a. 883), reditum in patriam ei permisit, episcopatumque Portuensem paulo post ei restituit.

Restituitur.

19. Haud ita facile est de ista Joannis in Formosum severitate ac de hujus reatu judicium formare. Censemus tamen cum auctoribus gravibus, rationem praecipuam cur Joannes VIII Formoso infensus fuerit, hujus fuisse dissensum in rebus politicis; reliquae enim accusationes admodum vagae sunt. Improbabat scilicet Formosus electionem Caroli Calvi in Imperatorem, partibusque favebat Ludovici Germanici. Ac probabile est, eum in factione, quae Germanis addicta erat, ob animi ingeniique dotes magnum influxum atque insignem locum obtinuisse; simulque familiaritatis nexus habuisse cum illis proceribus, qui tunc ob conjurationem variaque facinora a Joanne condemnati sunt.[1]) Animadvertendum tamen est, contra proceres istos facta determinata allata fuisse, in Formosum vero tantum generalem ferri accusationem, quod contra salutem reipublicae et Caroli Calvi conspiraverit, ac reliqua etiam quae ei objiciebantur vaga minusque probata fuisse. Fieri igitur potuit, ut Joannes VIII, quum Formosum in quaestione de conferendo Imperio adversarium haberet, vehementi suspicione aliorumque accusationibus circumveniretur, hominemque haberet ut factionis caput irrequietum et perniciosum. Quumque Formosus discederet ac citationi Pontificis sese non sisteret, quod ex metu proveniebat, animo culpae conscio et obstinato Joannes id tribuit, reatus novum argumentum ea in re vidit, acriterque, uti tunc moris erat, in Formosum animadvertit.

Expenditur causa.

20. Quamvis vero haud velimus in his laudare Joannem VIII, tamen in ipsis rerum temporumque circum-

1) Vide Dissertat. XV. n. 57.

stantiis motiva inveniuntur, quae ad excusandam ejus severitatem afferri possunt. Etenim sub pontificatu Joannis VIII, uti vidimus, omnia ruere videbantur, atque undique Pontifex angustiabatur. Ipse quidem indefesso animo atque ingenti, quamvis inani, labore obniti studebat innumeris difficultatibus, mediaque salutis quaerebat maxime ex Galliae principibus. Quum vero istis in laboribus Formosum episcopum prae caeteris insignem sibi videret oppositum, atque addictum alteri factioni, quumque ex hac factione quidam Joanni insidias struerent, mirum non est, eum valde infensum redditum Formoso, ac facile etiam alia pessima de ipso suspicatum esse et credidisse. Ea enim natura est hominum ardentioris cordis et animi, qualis fuit Joannes VIII, ut, si consiliis suis inveniunt adversarium aliquem virum insignem, cujus auxilio potius indigerent, facile quae infausta accidunt huic uni attribuant, eum habeant maxime suspectum ac noxium, et quo efficacius possint, ipsum studeant removere. Dixeris, Joannem VIII summa pericula ex Formoso timuisse, ac propterea in Gallia eum adegisse, ne unquam Romam atque ad episcopatum reverteretur. — Ex eo autem quod Marinus, Joannis successor ac Pontifex dignissimus, sine mora Formosum juramento isto solvit, prioresque honores ac munera ei restituit, inferre licet, culpam Formosi haud fuisse admodum gravem.

21. Tenuit dein sedem suam episcopalem Formosus tranquille per plures annos. Quum vero mense Septembri anni 891 obiisset Stephanus V, Formosus, qui jam senex erat septuaginta quinque annorum, in Pontificem electus et in Sede Apostolica inthronizatus est. Ejus electioni se opposuisse Sergium diaconum (Cardinalem) ecclesiae Romanae cum adhaerente sibi factione, Sergiumque dein in Tusciam fugisse, tradit Luitprandus,[1]) eumque Baronius

Eligitur Pontifex.

[1]) „Causa autem, scribit, simultatis inter Formosum Papam et Romanos haec fuit. Formosi praedecessore defuncto Sergius quidam Romanae ecclesiae diaconus erat, quem Romanorum pars quaedam Papam sibi elegerat, quaedam vero pars non infima nominatum Formosum, Portuensis civitatis episcopum, pro vera religione divinarumque

et alii quidam scriptores secuti sunt. Sed re examinata, gravissimi nostri temporis auctores censent, erronea esse quae Luitprandus narrat, eumque, quae postea acciderunt, perperam confundere. Generatim enim in iis quae Sergium spectant Luitprandus multos commisit errores, uti inferius videbimus. Reliqui autem auctores, qui de Formoso scripserunt, de ejusmodi turbis in electione Formosi nihil referunt, imo unanimem ejus electionem fuisse gloriantur.[1])

Factio opposita.

22. Facile tamen admitterem, licet motus vehementiores non exorti sint, aliquam factionem cleri et procerum obfuisse Formoso ejusque electioni. Id enim ex eventibus variis illius temporis conjicere possumus. Neque dubium videtur, etiam Sergium, Cardinalem diaconum ex familia nobilissima comitum Tusculanorum, Formoso adversum fuisse. Sergium hunc dein Formosus ordinavit invitum et reluctantem, uti ipse contendit, in episcopum Cerae, Stephanum vero illum, qui Formoso successit, in episcopum Ananiensem. Ambo autem postea episcopatus suos deseruerunt, atque ad ordines suos priores redierunt, proclamantes, For-

---

Scripturarum et doctrinarum scientia, Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, ut Sergius Apostolorum Vicarius ordinari debuisset, ea quae Formosi partibus favebat pars cum non mediocri tumultu et injuria Sergium ab altari expulit, et Formosum Papam constituit. Descenditque Sergius in Tusciam, quatenus Adelberti potentissimi marchionis auxilio juvaretur; quod et factum est." Antapodosis I. 20.

[1]) Auctor *Invectivae in Romam pro Formoso P.*, haec habet: „Stephano Papa . . . . viam universae terrae ingresso, adunati sunt episcopi proceresque tui, clerici quoque et populus, cunctaque vulgi manus, et venerunt in sedem Portuensem infra Urbem sitam cui Formosus praeerat, papam eum summum pontificem adclamantes. Quo renuente et contradicente et ad altare se complicante, per vim eum cum palla qua altare opertum erat, exinde abstraxerunt, et abstractum cum laudibus et choris in sede beati Petri Apostolorum principis inthronizaverunt. Consensisti, o Roma, electioni Formosi? Aut ai, aut nega. Sed negare non potes. Hujus rei testis universus est mundus. Misisti ad sedem Portuensem, quae secunda infra muros tuos ab apostolica est sedes, petens Formosum, ut ab ea migraret et tibi antistitaret. Quem obstantem et nequaquam invitatui tuo adquiescentem, vi ab altaris crepidine, ut jam dictum est, retractum et avulsum inthronizasti, favisti, adorasti, jurasti, cuique benedixit, benedixisti, et cui maledixit, maledixisti." Ap. Bianchini, Anastas. Biblioth. Tom. IV. p. LXX.

mosi ordinationes haud validas fuisse. De validitate enim ordinationum Formosi vehementissima controversia exorta est, uti inferius videbimus. Caeterum Formosum virum dignum fuisse ac bene Ecclesiam gubernasse, ex documentis illius aetatis colligitur. Sic teste Flodoardo quum adhuc Portuensem sedem teneret, scripsit Hincmarus Rhemensis „Formoso . . . religioso episcopo, collaudans ejus quam audierat sanctitatis et scientiae famam, quaerensque ipsius habere familiaritatem, et ut ipse pro se dignetur orare, vicem rependere spondens, et quaedam ei munera mittens, ut sui memoriam in orationibus habeat. Item postquam litteras suas idem Formosus ei remiserat, in quibus de caritate in eum significaverat, intimat, quia magnam in ipso haberet fiduciam.“ [1]) De eo Auxilius presbyter: „Is est profecto ille, qui in omni vita sua tantae gravitatis forma exstitit, ut vinum non biberet, carnis gustum nesciret, femineae copulae expers octogenarius virgineum suum corpus hominem exuens terrae commendaret. Iste etiam gentes Bulgarorum, vitam sanctitatis praedicatione confirmans, ut verus Apostolicus ad fidem adduxit.“ [2]) Flodoardus vero ipsum hisce versibus celebrat: Formosi virtutes.

„Praesul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur, castus, parcus sibi, largus egenis.
Bulgaricae genti fidei qui semina sparsit,
Delubra destruxit, populum coelestibus armis
Instruxit, tolerans discrimina plurima, promtus
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et bene viventi metuenda incommoda nulla.“

Quamvis vero moribus dignum Formosum fuisse plane constet, haud negaverim tamen, pro animi ardore jam ante pontificatum factionibus politicis eum forte nimium implicatum fuisse; nec dum Pontifex erat eo pervenit, ut adversantium animos sibi conciliaret. Quum vero factioni

[1]) Histor. eccl. Rhemensis, L. III. c. 21.
[2]) Libellus super causa et nogotio Formosi Papae, ap. Mabillon Analecta vet. ed. II. tom. I. p. 30.

Germanicae potius faveret, quam Spoletinae seu Italae, magis etiam complurium aversionem in se concitavit.[1])

23. Obiit Formosus, ut videtur, die 23° Maii[2]) anni 896, atque exinde jam influxu factionum nobilium major perturbatio Romae, tum quoad res civiles, tum quoad res ecclesiasticas, conspicitur; eventus tamen varii illius temporis caligine quadam obducti sunt. Cathedram Petri post Formosum occupavit *Bonifatius VI;* sed post quindecim dies podagrâ e vivis sublatus est.[3]) Plures auctores, uti Baronius (ad a. 897 n. 1.), Bonifatium VI inter Pontifices non recensendum volunt, eo quod de gradu subdiaconi et postmodum de gradu presbyteri depositus, populari manu in Sedem Apostolicam intrusus sit. Id videlicet colligi potest ex Actis synodi Romanae a. 898 sub Joanne IX habitae. Canone tertio hujus concilii haec habentur: *Quia necessitatis causa de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitae merito*

Bonifatius VI.

---

[1]) Cl. Balan de Formoso, postquam Luitprandi laudes retulit, inter alia dicit: „Torbido ingegno era invece Formoso nê poco ambizioso; di pietà non aveva data bella mostra quando aveva resistito ostinatamente a Papa Giovanni VIII fino a meritare la scomunica; pure non è a negare che gran parte di sua colpa venisse dal soverchio parteggiare per la fazione tedesca, cosa, in tanta miseria dei tempi, scusabile più che non sembri." Storia d' Italia, L. XVII. n. V. — Duriora haec nobis videntur. — Bene porro addit auctor, viris in Formosum jam male affectis ansam scandali praebuisse translationem a sede Portuensi in sedem Romanam. Nec tamen fuit, uti cum Mabillonio Balan existimat, haec translatio „il primo infausto esempio di traslazione." Nam etiam Marinus, egregius Pontifex, Romanam sedem ascendit, quum jam Cerae esset episcopus, uti solidis argumentis ostendit Em. Hergenröther (Photius II. 650). Contra ipsius elevationem ab Occidentalibus haud invenitur facta oppositio, sed Photius Orientalesque tunc vehementius incriminarunt Latinos ob violatos canones, atque ita forte acrior lis, quum Formosus Pontifex fieret, excitata est.

[2]) Juxta Annales Fuldenses Formosus obiit die sancto Paschae. Sed quum constet ex aliquo diplomate, adhuc in vivis fuisse Pontificem die 1° Maii, merito conjecit Jaffé (Regesta R. R. PP. sub *Formoso*), agi de festo Pentecostes, quod a. 896 incidit in diem 23um mensis Maii.

[3]) Scriptor coaevus in Annalibus Fuldensibus haec habet: „At Roma Formosus papa defunctus est die sancto paschae, in cujus locum consecratur Bonifacius, qui podagrico morbo correptus, vix 15 dies supervixisse reperitur." Ap. Pertz M. G. I. 412.

ad apostolicam Sedem provectus est, statuimus et omnino decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, praesertim cum sacri canones hoc penitus interdicant, et praesumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine laicam eis prohibeant communionem. Quippe quod necessitate aliquoties indultum est, necessitate cessante in auctoritatem sumi non est permissum. Sed neque de gradu ecclesiastico synodice ejectum et non canonice restitutum ad altiora provehere ullus praesumat, prout de Bonifatio primum de subdiaconatu, postmodum de presbyteratu deposito, popularis manus praesumpsit.[1] Bonifatius Pontifex hic indicari videtur. — Plerique tamen inter legitimos Pontifices eum recensent. Flodoardus cum laude eum commemorat;[2] ex quo colligas, ea aetate Bonifatium non consideratum esse ut pseudopontificem.

24. Post Bonifatium VI mediante anno 896, mense Junio ut videtur, ad summum pontificatum evectus est *Stephanus VI*,[3] sub quo facinus accidit lugendum et eousque inauditum: unde etiam ipse Pontifex apud coaevos **Stephanus VI.**

---

[1]) Labbe, Coll. Conc. t. IX. p. 503. — Ap. Baron. ad a. 904.

[2]) De eo haec habet:

„Hinc subit ad modicum vates Bonifatius almus:
Ter quinos hic in arce dies explevit honoris,
Culmina mox mutans superat fastigia celsa,
Inque brevi spatio quaesita cacumina scandens,
Inter Apostolici proceres adscribitur albi."

[3]) Stephanus VI^us ab aliis VII^us dicitur, quum inde a Stephano II diversa sit auctorum numeratio. Post mortem videlicet Zachariae Pontificis, anno 752 mense Martio, Stephanus quidam presbyter in Pontificem electus est, et in Lateranense Patriarchium immissus. „Ubi biduo manens, tertia die, postquam a suo somno surgeret et sedens familiares suas causas disponeret, subito, dum sederet, alienatus obmutuit et sequenti die defunctus est." Anastas. Biblioth. in Vita Stephani II. — Hic Pontifex *electus* a variis inter Romanos Pontifices non numeratur, alii eum iis adnumerant; et inde differentia apud auctores quoad numerum quem iis Pontificibus apponunt qui Stephani nomen gesserunt. Ipsi Pontifices autem videntur illum electum Stephanum non computasse. Nam Stephanus hic qui Bonifatio VI successit in suo epitaphio sepulcrali Stephanus *sextus* dicitur. Unde hunc ordinem secuti sumus.

et posteros infamatus est. Romae videlicet mense Februario anni 897 synodus habita est adversus Formosum Papam jam defunctum atque ex novem mensibus sepultum, eo quod ambitionis causa, sede Portuensi relicta, Romanam occupasset. Cadaver ipsius ex sepulcro allatum, in judicium vocatum, et condemnationis sententia prolata, sacris vestibus exutum est. Dein duobus digitis abscisis, corpus in peregrinorum tumulo sepultum, et paulo post in Tiberim projectum est. (Postmodum corpus a piscatoribus inventum, et sub Theodoro Papa Pontificum sepulchris redditum fuit.) Ordinationes autem Formosi, saltem pro ecclesia Romana, irritae declaratae sunt. — Onuphrius Panvini (ap. Platina in Vitis Pontificum) censuit, haec omnia ad fabulam potius pertinere; sed documenta et auctores coaevi rem testantur ita, ut rationabile dubium de facto admitti nequeat. Constat enim eventus hic *quoad substantiam* ex *Actis Concilii Romani* anni 898; ex *Auxilio* presbytero Franco a Formoso ordinato in suis libris *De ordinationibus Formosi;* ex *Auctore anonymo Invectivae in Romam pro Formoso Papa,* quod opusculum saltem a plerisque auctoribus illi aetati adscribitur;[1]) ex *Chronico Benedicti* in monte Cassino conscripto, (quoad hanc aetatem a monacho coaevo); ex *Annalibus Allemannicis* ad a. 896; ex *Annalibus Fuldensibus* ad a. 896; ex *Flodoardo De Rom. Pontificibus;* ex *Luitprandi Antapodosi.* Quod vero attinet ad *circumstantias* facti, eventus ille quadam obscuritate involutus est. Nullatenus sane convenit cum critica historica, adjuncta varia ex diversis scriptoribus conquirere, ac dein scenicam rei descriptionem componere. Facile enim auctores qui non fuerunt testes, ex rumoribus ac famâ, *quae crescit eundo,* vel ex propriae imaginationis penu, ut complerent facti narrationem, varia potuerunt adjicere. Luitprando id satis consuetum est, et tamen ejus narrationem, quamvis contineat manifestos errores, multi auctores secuti sunt.[2])

Judicium in Formosum.

Facti veritas.

[1]) Quaedam dubia de hoc libello movet Em. Hergenröther, Photius B. II. S. 373.

[2]) Luitprandi narratio haec est: „Formoso defuncto atque Arnulfo in propria reverso, is qui post mortem Formosi Papa constitutus est

25. Consideranda sunt igitur imprimis ea documenta quae majorem habent valorem. Talia profecto sunt *Acta concilii Romani* anno 898 a Joanne IX in favorem Formosi habiti. In initio Actorum hujus concilii[1]) inter alia petitur ab Amolone episcopo Taurinensi: „Legatur synodus facta a Stephano contra Formosum. Quod et factum est." Varii dein episcopi qui interfuerant illi synodo vel subscripserant, affirmarunt, id non nisi invite et coacte ab ipsis praestitum esse. „Prostrati post praefati episcopi qui interfuerunt illi Stephani synodo contra domno Formoso misericordiam deprecati sunt. Tunc omnis sancta synodus petiit misericordiam domni Apostolici, ut illud funditus eradicetur, ne ulterius episcopi cogantur quid contra canonum auctoritatem per vim facere, aut ullo modo episcopi in custodiam trudantur. Quibus libenter domnus Papa assensit." **Expenditur factum.**

26. Varii porro canones conditi sunt, qui eventus illos respiciunt. Habetur Can. 1°: *Synodum tempore piae recordationis sexti* (al. *septimi*) *Stephani papae, decessoris videlicet nostri, celebratam, in quam venerabile corpus Formosi*

---

expellitur. Sergiusque Papa per Adelbertum constituitur. Quo constituto, ut impius doctrinarumque sanctarum inscius, Formosum e sepulchro extrahi, atque in sedem Romani Pontificatus sacerdotalibus indumentis indutum collocari praecepit. Cui et ait: Cum Portuensis esses episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam universalem sedem usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactari praecepit, cunctosque quos ipse ordinaverat gradu proprio depositos iterum ordinavit . . . . Quantae autem auctoritatis quantaeque religionis Papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum a piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad B. Petri Apostolorum principis ecclesiam deportatus, sanctorum quaedam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc enim a religiosissimis Romanae urbis viris persaepe audivi." Antipod. L. I. c. 30. — Vides, Luitprandum omnino errare, dum refert, successorem Formosi a Sergio expulsum, ac dein Sergium Pontificem factum in Formosi corpus saeviisse. Sergius non nisi anno 904 ad pontificatum pervenit.

[1]) Hoc Actorum hujus concilii initium edidit ex pervetusto Patrum Oratorii Romani Mabillonius in Museo Italico, Tom. I. P. II. p. 86. — Habetur in Coll. Conc. Coleti Tom. XI. col. 699.

Canones synodi Romanae.

venerandi papae de sepultura violata per terram tractum et quasi ad judicium deductum, judicari et damnari praesumptum est, quod nunquam decessorum nostrorum temporibus factum esse traditum est, penitus abdicamus. . . . Et ne ulterius praesumatur fieri, per quodlibet Spiritus sancti judicium interdicimus: quia ad judicium vocari mortuus non potest, cum persona quae ad judicium vocatur, ideo vocetur, ut aut fateatur objecta, aut convincatur objectis. Et omnibus patet, quia mortui cadaver pro se nec respondere, nec satisfacere potest. — Can. 2us: *Episcopi et presbyteri et reliquus clerus, qui eidem synodo interfuerint, quia ipsi veniam petentes, coactos se terroris metu ac formidine interfuisse, confessi sunt, prece sanctae synodi eis indulsimus, statuentes et decernentes, ut nullus futuris temporibus episcopis vim inferre vel eos lacerare praesumat, quatenus cum ad synodum convenerint, libere eis tractare et statuere liceat, quae sanctorum Patrum canonica censura decrevit. Nullusque eos lacerare, vel sacris canonibus conceptis* (forte *contemptis*) *absque audientia et justa examinatione inquietare, facultatibus nudare, aut quoquo modo in custodiam retrudere absque status sui periculo pertentet, dicente Domino: Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. Indignum quippe est, ut sacerdotium senatus praejudicet, cum pateat, populum sequendum non esse, sed docendum.* — Canonem tertium superius (n. 23) jam citavimus. — Can. 4us: *Episcopi igitur seu presbyteri atque diaconi nec non subdiaconi, caeterique alterius ordinis sanctae Sedis Apostolicae, qui ab eodem venerando Papa Formoso canonice consecrati, et pro quorumdam libitu temere dejecti sunt: in proprios ordines et gradus communi sanctae synodi consultu reducimus, perpetuoque robore ac canonica censura stabilitos Deo auctore decernimus.* — Conferendi sunt adhuc Can. 7us: *Ea siquidem quae de praenominata synodo scripta esse noscuntur, quoniam irrita et contra canonicam auctoritatem praesumpta sanxistis: decernimus una cum consultu omnium vestrum, si placet, igne crementur, sicut de latrocinali Ariminensi et Ephesina secunda*

[2]) V. n. 23.

scriptum continetur . . . — Can. 8us: *Sergium, Benedictum atque Marinum, dudum presbyteros sanctae Romanae ecclesiae, seu Leonem, Paschalem et Joannem, dudum diaconos sanctae Sedis Apostolicae, juste et canonice damnatos, et a gremio sanctae Dei Ecclesiae sequestratos, si aliquis homo, sacratissimis auctoritatibus fractis, illos inter ecclesiasticos viros, nobis inconsultis, habere voluerit, aut in ipsos gradus quibus canonica auctoritate privati sunt, reducere quoque modo aliquando maluerit, sive eos sacerdotes vocare aut habere tentaverit, sciat se fore anathemate percussum a Patre, Filio, sanctoque Spiritu, tanquam qui sanctorum canonum violator exstiterit.* — Can. 9us: *Violatores namque* (forte *quoque*) *seu corruptores sacri tumuli ejusdem Domni Formosi papae, qui sub foedere conspirationis ad capiendum thesaurum, corpus illius trahentes, in fluvium Tiberim jactare non timuerunt, divina auctoritate, synodalique nostro consultu, nisi resipuerint, sint a sanctae Dei Ecclesiae liminibus separati.*

Auxilius isto de eventu praeter alia haec habet: *Stephanus, qui tertius a Formoso exstitit Papa, eumdem Formosum adeo reprobum esse judicavit, ut cadaver ejus de tumulo extrahi et in concilium pertrahi faceret, ibique eum pristinis vestibus denudantes, laico amictu velaverunt, et ferro duobus dexterae digitis amputatis, in quodam peregrinorum tumulo sepelierunt, nec multo post in Tiberim fluvium praecipitarunt.*[1]) **Auxilius de hac re.**

Ex aliis auctoribus citatis adhuc colligitur, in concilio isto mortui accusatorem et defensorem (diaconos) constitutos, atque ita specie judicii habita Formosum damnatum fuisse.[2])

---

[1]) *Infensor et Defensor* c. 30; ap. Mabillon, Anal. vet. p. 50.

[2]) Flodoardus ista habet:

„Tum sextus Stephanus sacra regmina culmine carpit.
Durus qui nostris, propriis at durior instat.
Sacra quidem legat vivis, truciora sepultis.
Falconemque minis, Formosum concutit actis.
Concilium gregat infaustum, cui praesidet atrox,
Praedecessorem abjiciens, ponensque patronum." (XII. 6.)

Fulconem, archiepiscopum Rhemensem, minis concussisse dicit Flodardus, quia Fulconis, de omisso adhuc Romam itinere se purgantis, excusationem

Eventus exponuntur.

27. Æquum igitur est, ut ex hisce relationibus ea maxime prae oculis habeamus, quae in Actis concilii Romani anni 898 habentur, atque ex iis judicium de illo eventu, quantum fieri potest, efformemus. Reliqui enim auctores facillime ex rumoribus tragoediae isti adeo lugendae ac mirae varia adjicere potuerunt, uti in ejusmodi eventibus usuvenit. — Ex concilii initio itaque et ex canone 2do apparet, episcopis vim illatam fuisse, ut synodo interessent, vel subscriberent actis. Satis autem indicatur, maxime a proceribus factiosis et a multitudine turbulenta violentiam illam et vexas profectas fuisse. Sacerdotii enim dignitas contra laicos vindicatur. — Colligitur etiam ex canone 9°, secundam violationem sepulchri Formosi, in qua corpus projectum fuit in Tiberim, factam esse a turba factiosa. Obscuriora quidem sunt ista: „qui sub foedere conspirationis ad capiendum thesaurum, corpus illius trahentes in Tiberim jactare non timuerunt.“ Sed non solum his nullo modo indicatur, jussu Stephani Pontificis illa patrata esse, verum ex verbis, et ex poena qua afficiuntur rei, merito inferendum censeo, Pontificem nullatenus ista mandasse.

Stephani indoles.

28. Quod ad Stephani gesta attinet, haec statui posse videntur. Erat ipse cum parte cleri Romani Formoso jam dudum oppositus, ejusque reditum in Italiam atque in sedem Portuensem ut perjurii crimine infectum, translationem vero in Sedem Romanam ut illegitimam et perversam usurpationem habebat. Formosus eum invitum ordinaverat in episcopum Ananiensem; sed Stephanus postea ad munus presbyteri (Cardinalis) rediit, et contendit, illam ordinationem irritam esse. Quum ea aetate quaestio de ordinationibus nondum satis enucleata esset, fieri sane potuit, ut eam irritam haberet et nullam, tum quod invitus eam suscepisset, tum quod ei Formosus episcopus illegitimus

---

Stephanus non accepit, eumque ad synodum per mensem Septembrem a. 896 Romae celebrandam venire sub poena canonica jussit. Paulo post tamen ei permisit, ut ad tempus domi remaneret duosque alios episcopos mitteret. — V. Flodoard. histor. Rhemens. L. IV. cc. 4. 6.; Jaffé Regesta nn. 2696. 2698.

esset. Quum porro Stephanus Pontifex fieret, perstitit in sua de Formoso sententia. Quamvis autem in judicium ejus magnum influxum exerceret partium ardor, ipsi videri tamen potuit, zelo pro observatione disciplinae et canonum qui in Formosi causa pluries violati essent, sese moveri: atque adeo opinari potuit, Formosum hominem perjurum fuisse, et indignum usurpatorem dignitatis episcopalis et pontificalis. Conveniunt haec indoli Stephani Pontificis, qui etiam Fulconem Rhemensem acrius urgebat, ut juxta Ecclesiae praescripta Romam veniret, quique electionem Angrini episcopi Langonensis rejecit, quod vitio eam affectam censeret.[1]

29. Quum vero in viris animi tenacis et vehementioris passim accidat, ut ferrea consequentia et ardore obstinato ea quae judicarunt, etiam actis prosequantur, sanâ moderatione contemptâ: haec in Stephani quoque gestis deprehenduntur. Formosum habebat ut hominem improbum, digna animadversione a Joanne VIII percussum, et ad communionem laicorum in perpetuum damnatum, ut virum perjurum et sacri honoris usurpatorem perversum. Hinc ut violatos canones et corruptam disciplinam vindicaret, de perjuro usurpatore sententiam in solemni synodo ferri voluit. Aberravit certe Stephanus in suo judicio, animi affectione turbatus, aberravit in suo consilio, quo statuit solemni synodo ante acta destruere; sed magis a recti tramite deflexit, dum tragoedia lugubri ac spectaculo turpi, in emortuo corpore poenas suppositi perjurii et usurpationis sumere non abhorruit. Durâ enim et rigidâ illâ procedens consequentiâ, qua Formosum ut usurpatorem perjurum, non ut episcopum ac pontificem, considerabat ac puniebat, eum vestibus sacris exui fecit, duos digitos in poenam perjurii abscidi, et dein corpus in sepulchro peregrinorum sepeliri. Haec certe facinora penitus improbanda, etsi Stephanus sibi visus fuerit canonum rigo- Gesta reprobanda.

[1] Cfr. epistolam III Joannis IX ad clerum et populum Langonensem; Labbe IX. 494.

rem vindicare ac zelo disciplinae ecclesiasticae agere.[1] — Ordinationes porro Formosi Stephanus habuit ut illegitimas et irritas, ac Romae ordinatos ad sacra munera non admisit. Haud constat tamen, illas ordinationes declaratas esse invalidas, vel iteratas fuisse, uti alio loco videbimus.[2] Caeterum quantopere factionum nobilium agitatione Romae res conturbatae essent, ex eventibus qui mox secuti sunt colligitur. Stephanus VI enim jam anno 897 in carcerem detrusus, ibidemque occisus est.

Stephani fata. 30. Stephanus initio pontificatus sui Arnulphum ut Imperatorem agnovit: in Bulla enim ipsius dd. 20 Augusti a. 896, qua ecclesiae Narbonensis possessiones et privilegia confirmat, anni Arnulphi Imperatoris leguntur. Brevi post vero Lambertum ut Imperatorem habuit, uti colligitur ex Bulla die 23° Januarii a. 897 data in favorem monasterii Vizeliacensis: in eadem enim anni Lamberti Imperatoris indicantur.[3] Parti quidem illi, quae Arnulpho Germano

---

[1] Initio saeculi decimi eos qui Stephano potius favebant facta illa ejus zelo disciplinae attribuisse, colligitur ex verbis jam citatis Auxilii, in opusculo quod *Infensor et Defensor* dicitur, c. 30°. Infensor, Formosi ordinationes impugnans ait: „Stephanus qui tertius a Formoso exstitit Papa, eumdem Formosum adeo reprobum esse judicavit, ut cadaver ejus de tumulo extrahi et in concilium pertrahi faceret; ibique eum pristinis vestibus denudantes, laico amictu velaverunt, et ferro duobus dexterae digitis amputatis, in quodam peregrinorum tumulo sepelierunt, nec multo post in Tiberim fluvium praecipitarunt.“ Defensor in suo responso vehementer invehit in ejusmodi facinus, ac dein: „De talibus enim, inquit, Apostolus dicit: Quidam zelum Dei habent, sed non secundum scientiam.“

[2] Varia adjuncta eventus de quo agimus prosequi et examinare longum esset, et supervacaneum videtur. Quaedam potius a scriptoribus ut ad vivum rem exhiberent conficta esse, ex dissensu eorum apparet. Ita ab auctore Invectivae in Romam dicitur: Formosum „jam post novem menses, marcidum, et paene in pulvere redactum, de sepulchro extraxisti.“ (Bianchini l. c. p. LXX.) Auxilius vero in Defensione ordin. Formosi L. I. c. X. ait: „Mira Domini gratia adhuc cunctorum in eo artuum compago integra sine putredine perseverabat.“ Ap. Dümmler, Auxilius et Vulgarius p. 71. Censerem, corpus Formosi pro more temporis aromatibus conditum atque ita satis bene servatum fuisse.

[3] V. Jaffé, Regesta: Stephanus VI, nn. 2697 et 2700. — Muratori, Annali ad a. 896

opposita, et nationalis seu Itala esse videbatur, addictus erat Stephanus; tamen ex ejus agendi modo potius colligitur, eum non exstitisse factionis hujus caput, sed quum praevaleret, ejus tendentias secutum fuisse. Mediante vero anno 897 vehementiores turbae Romae exortae sunt, atque tunc Stephanus in carcerem conjectus et occisus est. — Muratori opinatur, a Romanis indignantibus ob facinus in Formosum commissum, conjuratione inita Stephanum e sede ejectum et exstinctum fuisse;[1]) sed haud dubium videtur, factionum politicarum commotionibus et luctâ illa accidisse.[2]) Procerum enim factiones, quarum altera Lamberto altera Arnulpho favebat, vehementius inter sese conflictabantur, ac multitudo, prouti fortunae vices sese vertebant, modo isti modo illi factioni adhaerebat, indeque per illos annos in Urbe continui fere fuerunt tumultus ac dissidia. — Stephano VI post annos aliquot Sergius III, qui et ipse Formosi adversarius fuerat, hujusmodi epitaphium posuit:

„Hoc Stephani clauduntur membra locello:
Sextus dictus erat ordine quippe Patrum.
Hic primum repulit Formosi spurca superbi,
Culmina qui invasit Sedis Apostolicae.
Concilium instituit, praesedit pastor et ipse,
Lege satis fessis jura dedit famulis.
Cumque Pater multum certaret dogmate sancto,
Captus et a sede pulsus ad ima fuit.
Carceris interea vinclis constrictus in imo,
Strangulatur nervo, exuit et hominem.
Post decimumque regens Sedem hunc transtulit annum
Sergius huc Papa, funera sacra colens.“[3])

---

[1]) Annal. ad a. 897.

[2]) Cfr. Reumont, Gesch. der Stadt Rom, II. 225.

[3]) V. Baronium ad a. 900, n. 6; Watterich, Vitae p. 84. — Petrus Manlius canonicus s. Petri, qui vixit saeculo XII medio sub Alexandro III, veteres inscriptiones ecclesiae s. Petri de ipsis monumentis descripsit, atque ex ejus libello etiam epitaphia Pontificum edita sunt. V. Baronium l. c. — Mortem violentam Stephani VI testatur etiam Flodoardus *de Romanis Pontificibus* illis verbis:

31. Stephano VI successit *Romanus*, qui nonnisi per quatuor menses Sedem Apostolicam tenuit. — Ejus successor *Theodorus II* ob virtutes multiplices a Flodoardo valde celebratur, sed tantum viginti diebus sedit. Brevi tamen isto tempore Formosi honorem vindicavit, restituitque eos qui ab illo ordinati fuerant. Scribit Auxilius: *Eos quos Stephanus secum in ecclesia vestiri prohibuit* (in laicorum ordinem redactos), *Papa Theodorus qui utique de Formosi ordinatione non fuit, et vestiri, et suum agere officium praecepit: ejusque corpusculum quod pertinaciter ejectum fuerat, cum exultatione ad apostolicam tumbam reduxit.*[1] Etiam

Theodorus II.

„Visus abhinc meritis dignam incurrisse ruinam,
Carptus et ipse sacraque abjectus sede, tenebris
Carceris injicitur, vinclisque innectitur atris,
Et suffocatum crudo premit ultio leto."

Ap. Watterich, l. c. p. 30.

[1]) Infensor et Defensor, C. IV.; ap. Mabillon Anal. vet. p. 43. — Iuvabit hoc loco etiam citare quae alibi Auxilius de iis habet, quae evenerunt quoad Formosi cadaver. Postquam illud in Tiberim projectum esse retulit, pergit: „Interea Deus cui cuncta famulantur elementa, non passus est tantum latere scelus, nec famulum suum sub Tyberino jacere gurgite. Ad medium fere noctis, qua ibi praecipitatus fuerat, concrepantibus tonitruis et coruscationibus crebris insurgentibus, validissima inundatione excrevit fluvius, et mox praefatum cadaver solutis ponderibus ferens per millia quasi viginti, compactum et integrum exposuit ad ripam prope titulum sancti Acontii. Post triduum vero cuidam monacho per visionem apparens: ego sum, inquit Formosus papa, perge itaque, tolle corpus meum a flumine deductum. Ille autem, juxta quod fuerat ammonitus, pergens invenit, agnovit et propter inimicorum insidias clanculo sepelivit. Nec multo post Theodoro papa jubente clerus ac populus cum psalmis et ymnis, cereis et thimiamatibus in magna gloria reduxerunt eum in urbem, et induentes eum apostolicis amictibus, adhuc enim integer existebat, una cum eodem papa Theodoro detulerunt illum in basilicam apostolorum principis, ad ipsam scilicet confessionem, ibique immolata pro eo dominica hostia, efferentes eum inter apostolicas tumbas suo restituerunt sepulchro." Auxilii in defensionem ordinationis Formosi L. 1 c. XI. Ed. Dümmler p. 72. — Quoad substantiam ea quae Auxilius hoc loco refert vera esse, non est cur dubitemus. Sed facile vides, eventus, fama res amplificante, adjunctis prodigiosis exornatos fuisse, quae ab Auxilio Romae haud commorante, sed Formoso addictissimo, libenter excepta fuere. Quoad haec sane ei fides plena haberi neutiquam potest.

Flodoardus idem in suo Theodori elogio indicare videtur. Haec habet ipse de Romano ac de Theodoro Pontificibus:

„Post hunc luce brevi Romani regmina surgunt;
Quatuor haud plenos tractans is culmine menses.
Quo rapto breviore subit fastigia sorte
Dilectus clero Theodorus, pacis amicus.
Bis denos Romana dies qui jura gubernans,
Sobrius et castus patria bonitate refertur,
Vixit pauperibus diffusus amator et altor.
Hic populum docuit connectere vincula pacis,
Atque sacerdotes concordi ubi junxit honore,
Dum propriis revocat dissectos sedibus, ipse
Complacitus rapitur decreta sede locandus.“[1])

Suspicantur aliqui auctores, tum Romanum tum Theodorum factionum insidiis ac vi e medio sublatos fuisse;[2]) id tamen ex coaevis scriptoribus haud eruitur, nec profecto ex ejusmodi facto aliquid contra ipsos Pontifices colligi posset. Pontificatus brevis Pontificum plurium illius temporis inde potius repetendus videtur, quod essent jam senectute provecti. In tales enim viros facilius aliqua concordia votorum turbata ea aetate obtineri poterat, quam in viros juventute valentes, quorum vigorem factiones magis reformidabant.

32. Post Theodori mortem in creatione novi Pontificis discordia iterum orta est. Jam res in eo erat, ut Sergius Romanae ecclesiae Cardinalis presbyter (vel diaconus) Sedem Apostolicam obtineret, quantum videtur influxu factionis Italae. Sed antequam ordinaretur, ex urbe pulsus est; forte qui factioni Germanicae addicti erant, viri vigorem formidabant. Electus est mense Junio a. 898 in Pontificem *Joannes IX*, Tiburtinus, Ordinis Benedictini monachus, diaconus Cardinalis, quem a partibus politicis alienum fuisse crediderim. Dignissima ratione hic Pontifex Ecclesiam gubernavit, ac synodis duabus Romae, alia Ravennae habitis, disciplinae providit, discordiasque sopivit. Quae in causa Formosi et ordinationum ejus acta sint, superius jam vidimus. Joannes IX.

[1]) V. Watterich, l. c. p. 31. [2])V. Hefele, C. G., B. IV. §. 511.

Statutum de electione.

33. Superest tamen, ut mentionem faciamus decreti de electione Romani Pontificis et de ejus consecratione praesentibus legatis Imperatoris, quod continetur canone X° concilii Romani a. 898 a Joanne IX celebrati. Est autem statutum hoc ejusmodi: *Quia sancta Romana ecclesia, cui auctore Deo praesidemus, a pluribus patitur violentias, Pontifice obeunte: quae ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia Pontificis fit electio et consecratio, nec canonico ritu et consuetudine ab Imperatore directi intersunt nuntii, qui scandala fieri vetent: volumus, ut cum instituendus est Pontifex convenientibus episcopis et universo clero eligatur, praesente senatu et populo, qui ordinandus est, et sic ab omnibus electus, praesentibus legatis imperialibus consecretur. Nullusque sine periculo sui juramentum, vel promissiones aliquas nova adinventione audeat extorquere, nisi quae antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur, et imperialis honorificentia minuatur.*[1]) — Haud novum tamen erat ejusmodi statutum, sed conditum fuerat jam a. 816 a Stephano IV, atque ejus mentio etiam fit in synodo quam a. 862 Nicolaus I Romae celebravit.[2]) — Diem supremum obiit Joannes IX mense Julio anni 900.[3])

Benedictus IV.

34. Joanni IX successit *Benedictus IV* optimus Pontifex, qui anno 900 mense Augusto in Sedem Apostolicam elevatus est. Lambertus Imperator, Guidonis filius, ado-

[1]) In textu hujus statuti variantes quaedam sunt lectiones. Textum dedimus uti habetur in *Gratiani Decreto* D. LXIII. c. 28; cfr. Jaffé Regesta PP. ad a. 816.

[2]) Cfr. Jaffé, Regesta ad annos 816. 862. 898; Hefele, C. G. B. IV. §. 511.

[3]) V. Jaffé, Regesta, Joannes IX. — Flodoardus de hoc Pontifice ista habet:

„Johannes subit hinc, qui fulsit ordine nonus,
Pellitur electus patria quo Sergius urbe
Romulidumque gregum quidam trahuntur abacti.
Conciliis tamen is ternis docuisse refertur
Dogma salutiferum, novitasque aboleta malorum
Et firmata fides doctrinis tradita patrum."

Ap. Watterich l. c. p. 31.

lescens insignis, anno 898 mense Octobri praematura morte abreptus erat, Arnulphus vero Imperator anno 899 die 8º Decembris obierat, adeoque Imperium, quum Benedictus IV Pontifex crearetur, vacabat. Berengarius dignitatem imperialem maxime ambiebat; sed Benedictus eam contulit Ludovico III regi Burgundiae ac Ludovici II nepoti, magnae spei juveni, quem mense Februario anni 901 Romae coronavit. Ludovico III quidem proceres Romae et Italiae ex parte favebant, quum Berengarius apud plures ob artes callidas male audiret. Attamen factiones variae res in Urbe atque in Italia turbare non cessavere, ac Berengarius regnum suum firmare et extendere studebat. — Injuria temporum factum est, ut vix aliquod documentum de gubernio Benedicti IV ejusque gestis supersit. A Flodoardo multis encomiis ipse celebratur, ex quo colligere licet, ejus memoriam Romae, quo aliquanto post Flodoardus pervenit, in benedictione fuisse.[1] Jam anno 903 mense Octobri Benedictus mortuus est, variique auctores, ut Damberger, suspicantur, ipsum uti et Joannem IX praedecessorem violenta morte obiisse. Sed nihil hac de re in coaevis documentis invenitur, mirumque foret quod de ejusmodi nece Pontificum nulla apud Flodoardum mentio fiat.

35. Successit Benedicto Pontifici *Leo* V Ardeatinus, qui paulo minus duobus mensibus Ecclesiae praefuit. Ejus locum excepit *Christophorus*, Romanus, isque circiter dimidio anno Sedem Apostolicam tenuit. Flodoardus in suo carmine, enarrato Benedicti IV obitu, pergit: Leo V.

[1]) Scribit Flodoardus:
„Tum sacra consurgunt Benedicti regmina quarti,
Pontificis magni, merito qui nomine tali
Enituit cunctis ut dapsilis atque benignus.
Huic generis necnon pietatis splendor opimus
Ornat opus cunctum, meditatur jussa Tonantis.
Praetulit hic generale bonum lucro speciali.
Despectas viduas, inopes vacuosque patronis,
Assidua ut natos proprios bonitate fovebat,
Mercatusque polum indiguis sua cuncta refudit."

„Post quem celsa subit Leo jura notamine quintus.
Emigrat ante suum quam luna bis impleat orbem.
Christophorus mox sortitus moderamina Sedis,
Dimidio ulteriusque parum dispensat in anno."

Hermannus Contractus autem monachus Augiensis, qui a. 1048 obiit, in suo Chronico scribit ad a. 904: *Romae post Benedictum Leo V, prius presbyter forensis, Papa CXX sedit mensibus ferme duobus, post quem, ut in quibusdam inveni, Christophorus prius Cardinalis, Papa CXXI sedit mensibus quatuor. Qui dejectus est et monachus factus.*[1]) Sigebertus vero Gemblacensis, qui altero medio saeculi undecimi florebat, in suo Chronico scribit ad a. 905: *Leo Romanae Ecclesiae CXXI praesidet. Hunc post triginta dies ordinationis suae Christophorus presbyter suus capiens, et in carcerem trudens, per invasionem Romanae Ecclesiae CXXII praesidet.*[2]) — Ex hisce scriptoribus similia posteriores tradiderunt.

Christophorus invasor

36. Quum haec non invenirentur in iis quae exstabant documentis illius aetatis, auctores dubii haerebant quoad illos eventus. Modo vero ex iis Auxilii et Vulgarii scriptis quae recenter reperta et publici juris facta sunt, lux aliqua illis factis affunditur. — Auxilius enim, dum ordinationes Formosi defendit et in Sergium Pontificem invehit, inter alia scribit: „Nonne post obitum quarti Benedicti papae vir Domini laudabilis vitae et sanctitatis nomine Leo apostolorum vicarius papa urbis effectus, sanctae Romanae ecclesiae gubernacula dum per triginta dies administrasset, a quodam Christophoro presbitero suo apprehensus est et carceralibus ergastulis mancipatus? mox autem idem Christophorus se papam instituit. Deinde Sergius quidam, qui apud Francos plurimis jam temporibus fuerat commoratus, valido Francorum auxilio et quorumdam Romanorum machinationibus praefatum comprehendi ac recludi fecit Christophorum, nec multo post

---

1) Pertz M. G. SS. V. 111.

2) M. G. SS. VI. 345. — Ex Sigeberto eadem habet Vincentius Bellovac. Opp. Tom. IV, Speculum historiale L. XXIV. c. LVIII. (Duaci 1624.)

latenter Romam ingrediens, eisdem opitulantibus Francis apostolatus fastigium conscendit."[1]) — Et alio loco invehens in eos qui Formosi ordinationes rejiciebant: „Quapropter, scribit, isti sanctissimi censores de coelo venientes si aequitatis et non odii amatores essent, decernerent utique, ut quemadmodum huic ordinationi omnes generaliter praebuerunt assensum, ita et generale concilium canonice convocarent, et sic demum per universale decretum justissima censura deliberarent, et si praefatam ordinationem, quod non credimus, velut ficulneam infructuosam abscidi et tanquam stercus de domo Dei procul expelli oporteret vel etiam, *si Sergius pater duobus viventibus apostolicis canonica auctoritate superpositus est,* evidentius claresceret."[2]) Etiam in *Appendice* ad libellos Auxilii, qua continetur series Pontificum, qui inde a morte Joannis VIII (a. 882) per annos viginti sex Ecclesiae praefuerunt dicitur: „Post hunc quoque Johannem (IX) fuit Benedictus, filius Mammali, post hunc Leo, *post hunc Christophorus invasor,* post hunc iste, qui praesens est, Sergius".[3]) — Vulgarius autem mandato Sergii postremo Leonem et Christophorum interfectos esse perhibet, scribens: „Scriptum enim est: *Non potest humano condemnari examine, quem Deus suo reservavit judicio.* Quae res adeo viluit, ut non solum non dijudicentur, sed etiam acerba et publica seditione comprehendantur et in reali carcere proscribantur, donec subtili commento factiosoque actu carnificinus eorum interitus machinetur, utrum eliminato exilio an concito exitio, quid super his sit agendum determinetur. Quod nuper de Leone et Christoforo sacris apostolicis actum totus mundus contremuit: quando simul tres luctabantur apostolici, quorum unus qui fortior reliquos duro domans ergastulo vitam eorum cruda maceratione decoxit, ac tandem miseratus diro martyrio finiri compulit, et ab imis medullis dolentes animas extorqueri

Auxilii et Vulgarii textus.

---

1) Auxilii in defensionem sacrae ordinationis papae Formosi libellus I. c. I; ap. Dümmler, Auxilius u. Vulgarius, p. 60.

2) In defensionem etc. libellus II. c. VI; ap. Dümmler l. c. p. 86.

3) Dümmler l. c. p. 95.

fecit, quatenus securus singularitatis victor suorum hostium in apostolicali cathedra sola majestas adoraretur."[1])

Expenduntur textus.

37. Consideratis hisce scriptorum coaevorum assertis, vix dubitari posse censerem, Christophorum fuisse invasorem Sedis Apostolicae. Flodoardus tamen videtur eum habuisse ut legitimum Pontificem, qui successerit, quando Leo post duos fere menses ex hac luce migravit. Verum quidem est, in factionum lucta tunc passim difficile fuisse discernere, quis jure legitimo Sedem Romanam teneret. — Alia vero quae de Leonis et Christophori sorte ac de Sergii saevitia Auxilius Vulgariusve dicunt, valde dubia mihi videntur. Notum enim est, temporibus turbidis animisque infensis eventus exaggerari rumoribus, atque adversariis facile aliquid mali ultra id quod verum est impingi. Forte Leo, uti Flodoardus habet, jam obierat, quando Christophorus e Sede Romana pulsus est, hic vero in aliquo monasterio detentus vel monachus factus ibi diem clausit supremum.[2]) Sed quum Sergius Pontifex dura severitate ordinationes Formosi rejiceret, in Italia inferiore pessimi rumores de inviso Pontifice facile recepti sunt. — Auxilius de cruenta morte Leonis et Christophori nihil habet. Vulgarius autem in libello isto parum versatum se prodit in eventibus illius temporis, miroque modo res miscet. Initio enim libelli personam assumit viri, qui in conficto aliquo adfuerit concilio quod *anno septimo decimo imperii Caroli quarti Belgici . . apud Lutetiam Belgicarum primam*, adeoque anno 910 habitum sit. Brevi post *praeterito anno in Ravennali conventu* quaestionem de ordinationibus discussam et definitam esse animadvertit; ac proinde synodum Ravennatensem a Joanne IX a. 898 celebratam ut *praeterito anno* habitam exhibet. Demum inferius agit de eventibus sub Sergio Pontifice, qui a. 904

---

[1]) Eugenii Vulgarii. de causa Formosiana libellus. c. XIV. ap. Dümmler l. c. p. 134.

[2]) Sepultus fuit Christophorus in basilica s. Petri, cujus sepulchro hanc unico versu inscriptionem, Manlius qui exscripsit, sic recitat:

„Hic pia Christophori requiescunt membra sepulti." V. Baronium ad a. 908 n. 1.

Sedem Apostolicam ascendit. Vides igitur, hunc auctorem admodum inconsiderate ordinem rerum miscere et confundere, unde et ejus auctoritati, dum de sorte Leonis et Christophori loquitur, parum fidendum esse existimo. Facile enim rumoribus decipi potuit. Rem igitur in ancipiti relinquamus. Imo potius censeo, necem illam duorum virorum, quam Sergio tribuit, haud accidisse. Esset enim mirum si Flodoardus istum eventum ignorasset, quum in rebus sui temporis bene versatum se ostendat, ac Romae facile illa comperiri potuisset: mirum etiam, si ea de re tacuisset, quum Stephani VI gesta haud taceat, sed eloquenti libertate sugillet.

38. Sed jam veniamus ad pontificatum *Sergii III*, qui ab anno 904 usque ad annum 911 Ecclesiae praefuit. Sergius III. Hunc Pontificem Luitprandus pluresque auctores posteriores teterrimis coloribus depingunt, eosque secutus Baronius hominem dicit *nefandum, invasorem Sedis pontificiae, hominem vitiorum omnium servum, facinorosissimum, quem constat post malum ingressum, deterioremque progressum, pessimum demum esse consecutum egressum.*[1]) Sed Baronius in iis quae Sergium spectant maxime Luitprandum sequitur; quoad chronologiam quoque defectu documentorum in errores incidit, quum Sergium tantum inde ab anno 908 per annos tres pontificatum gessisse scribat. Alii vero auctores coaevi, uti Flodoardus et Joannes diaconus, nullatenus Sergium ut virum tam nefandum describunt, imo etiam laudibus eum evehunt; unde jam recentiores scriptores graves complura quorum Sergius accusatur conficta esse tenent. Videamus igitur imprimis ea quae de Sergii fatis et gestis certo constant, ut dein ea quae ignominiosa de ipso traduntur expendamus.

39. Sergius oriundus erat ex nobilissima comitum Tusculanorum familia, atque parti politicae addictus Adalberti Marchionis Tusciae aliorumque procerum qui nationalem factionem constituebant et contra Imperatores extraneos Berengarii regno favebant. A Marino ad subdiaco-

[1]) Ad a. 908, n. 2.

natum, a Stephano V ad diaconatum promotus est, quumque vigore et animi dotibus excelleret nec ambitione expers esset, jam tunc Romae haud mediocrem in partium variarum nisu exercuit influxum. Cum amico suo Stephano adversabatur Formoso, a quo, uti diximus, tum Stephanus, tum ipse, inviti, ad episcopatum promoti sunt. Sed postea ad priores ordines redierunt.[1]) Post Formosi mortem Ste-
Sergii fata. phano VI valde addictus fuit, et Formosi pontificatum ejusque ordinationes ut illegitima rejecit. Post mortem Theodori Pontificis Sergius in eo erat, ut jam electus Sedem Apostolicam obtineret; incertum est, utrum suffragio legitimo, an vi artibusque factionis. Sed Roma pulsus est, et Joannes IX ad pontificatum promotus. Ipse vero suam electionem ut legitimam habuit, et Joannem consideravit ut invasorem. Haud dubium videtur, eum esse illum Sergium presbyterum, qui cum aliis legitur excommunicatus in Actis concilii Romani anni 898.[2]) Septem annis dein Sergius procul Româ degit, eumque in Tuscia fuisse merito supponitur. Sed anno 904 Romam rediens factus est Christophori in Sede Petri successor. Invasisse eum pontificatum varii tenent: sed ex scriptoribus coaevis potius eruitur, eum rediisse petentibus Romanis atque haud illegitime pontificatum obtinuisse, quamvis forte turbato illo tempore non in omnibus electionis regulae rite servatae sint. Flodoardus haec de ipso habet:

---

[1]) In Appendice ad Auxilii libellum II in defensionem Formosi legitur: „Stephanus fuit per quinquennium in Aganina ecclesia episcopus . . . Sergius, quem praefatus Marinus subdiaconum fecit, et Formosus fecit eum episcopum sanctae Mariae ad Cere.“ Ap. Dümmler l. c. p. 94. — In ipso autem libello II. c. V.: „Nonnulli levitarum cujusdam aemulationis causa per vim facti sunt episcopi. postmodum vero spontanee dominici corporis et sanguinis hostias consecrarunt et episcopale officium, ut moris est peregerunt, deinde procedente tempore apostolici culminis ambitione succensi episcopales infulas reliquerunt, et in leviticum. ut prius fuerant, reversi sunt ordinem . . . Sergius . . tribus annis in eo loco qui ad Cere vocatur, ecclesiae genitricis Dei semperque virginis Mariae episcopatum administrasse fertur.“ Ap. Dümmler l. c. p. 84.

[2]) Cfr. supra n. 28.

„Sergius inde redit, dudum qui lectus ad arcem
Culminis, exilio tulerat rapiente repulsam:
Quo profugus latuit septem volventibus annis.
Hinc populi remeans precibus, sacratur honore
Pridem adsignato, quo nomine tertius exit
Antistes: Petri eximia quo sede recepto
Praesule, gaudet ovans annis septem amplius orbis.
Ipse fovens cleri censura(ae) in culmine rapto
Falce ferit pervasores. . . .“[1])

Etiam ex Auxilio eruitur, Christophorum e sede usurpata dejectum esse, antequam Sergius Romam rediisset. Factionem quae Sergio favebat hac in re maximas partes habuisse, haud est cur inficiemur; caeterum si Christophorus invasor erat Sedis Apostolicae, merito ex eadem depulsus est. „Nec multo post, scribit porro Auxilius, latenter Romam ingrediens (Sergius) eisdem opitulantibus Francis apostolatus fastigium conscendit.“[2]) Cum his vero non pugnat, Sergium multis petentibus Romam venisse, quum ejus pars tunc praevaleret, ac multitudo versatilis Pontifex legitimus.

[1]) Sergii epitaphium valde simile est, ita ut Flodoardus videatur illud quum scriberet prae oculis habuisse. Est enim ejusmodi (Pagi, critica in a. 910):

Limina quisquis adis Papae metuenda Beati
Cerne Pii Sergii excubiasque Petri:
Culmen Apostolicae Sedis is jure paterno
Electus, tenuit, ut Theodorus obit.
Pellitur urbe pater, pervadit sacra Joannes,
Romuleosque greges dissipat ipse lupus
Exul erat patria septem volventibus annis,
Post populi multis Urbe redit precibus.
Suscipitur; Papa sacratur, Sede recepta
Gaudet: amat Pastor agmina cuncta simul
Hic invasores Sanctorum falce subegit
Romanae Ecclesiae judiciisque Patrum.

[2]) In defensionem sacrae ordin. Formosi l. I. c. 1. V. supra n. 36. Quum Francorum opitulatione Auxilius dicit Sergium Sedem Apostolicam obtinuisse, Francorum voce designat factionem quae nitebatur Italis eam partem Italiae jam tenentibus, quae olim sub Francorum dominio fuerat. Videtur agi de influxu Adalberti marchionis Tusciae. V. Dümmler l. c. p. 15. nota 1.

facile factioni dominanti se jungat. Fortasse etiam permulti sperabant fore, ut sub Pontifice animi vigore praedito, motus Romae comprimerentur.

40. Jam diximus, valde dubium nobis videri, an Leo V Pontifex a Christophoro dejectus adhuc in vivis esset. Etsi enim Auxilius et Vulgarius *duobus viventibus Apostolicis* papam superpositum dicant Sergium, Flodoardus aperte Leonem mortuum esse significat. Caeterum quum Sergius se ut legitime ad pontificatum electum haberet post mortem Theodori II, fieri potuit, ut contenderet, supposita sua jura praevalere juribus Leonis V a Christophoro a sacra Sede dejecti. [1]) Sergium vero, uti Vulgarius asserit, mortem Leonis et Christophori in carcere detentorum demum procurasse, uti jam adverti, ejus testimonio multo minus probari censeo. Notum enim est, passim in commotionibus publicis victorum in adversarios gesta rumoribus exaggerari falsis, ac nonnisi ex ejusmodi rumoribus crediderim Vulgarium hanc accusationem in Pontificem invisum impingere. — Quamvis igitur certi quid in hac re demonstrari nequeat, censerem, Leonem V, brevi postquam a Christophoro dejectus est, obiisse; Christophorum vero expulsum in aliquo monasterio usque ad mortem detentum fuisse. — In sede Petri collocatus est Sergius III versus finem mensis Januarii a. 904, et, quantum ex documentis colligimus, impigro animi vigore quo praeditus erat res Ecclesiae administravit. Cum Graecis de tetragamia Leonis VI Imperatoris egit, eamque haud invalidam, nec legibus divinis et christianis oppositam esse vindicavit; episcopos Occidentis excitavit, ut errores Graecorum impugnarent; violationem canonum severe punivit; lites de episcopatibus Coloniensi atque Bremensi cum auctoritate composuit, statutâ exemptione dioecesis Bremensis a jurisdictione archiepiscopi Coloniensis; Romae collapsam basilicam Lateranensem paucis annis restauravit et egregie

Sergii gesta.

[1]) Nullum tamen indicium est, Sergium quum inde a pontificatu Joannis IX exul in Tuscia esset, pontificatum sibi vindicasse et antipapae partes egisse.

exornavit. De ista restauratione Joannes diaconus, coaevus. iis loquitur verbis, quibus et pietatem Sergii III magnopere commendat. Ecclesia Lateranensis, scribit, „tempore illius (Stephani VI) ruit, et fuit in ruinis dissipata, et comminuta usque ad tempus quo revocatus est dominus Sergius presbyter et electus de exilio et consecratus est Romanorum tertius praesul . . . Post ordinationem igitur suam dominus Sergius III papa tristabatur nimium super desolationem hujus nobilissimi templi. Non enim erat spes neque solatium mortalibus de restauratione illius. Cumque omnibus esset una desperatio de ejus desolatione et humanum deesset auxilium, ad divinae pietatis conversus juvamen in qua semper habuit fiduciam, incipiens ab antiquis laborare fundamentis, fine tenus opus hoc consummavit, et decoravit ornamentis aureis atque argenteis." Enumerantur dein haec ornamenta, et enumeratio his verbis concluditur: „Haec omnia devotus tibi praeparavit, et non cessabit dum spiritus ejus rexerit artus praeparare et offerre tibi dominus Sergius papa tertius."[1])

41. Perstitit porro Sergius III in sententia, pontificatum Formosi ejusque ordinationes illegitima fuisse. Hinc Amelium episcopum Uceticensem reprehendit, quod Formosum, damnatum ecclesiae Romanae invasorem, in epistola appellaverit „sacerdotem."[2]) Ferrea autem consequentia Formosianos adigere nisus est, ut ordines a Formoso collatos revalidari curarent; quumque plures resisterent, synodo habita, id etiam minis, excommunicatione, depositione obtinere studuit. Quia vero ea aetate nondum plane eliquata erat quaestio de valore ordinationum ab episcopo illegitimo collatarum, magna agitatio ac controversia ista de re in Italia orta est. Etiam viros insignes hac in quaestione inter se dissensisse, et dubia venisse episcopis a Formoso ordinatis, apparet ex eo, quod Leo, Nolanus praesul ex ordinatione Formosi, consuluit ista de re *Auxilium* presbyterum Francum eruditum, ac pariter

Rejicit Formosi ordinationes.

[1]) Ap. Pagium ad a. 904. n. 7.

[2]) V. Jaffé Regesta, sub *Sergio* n. 2714.

a Formoso ordinatum.[1]) Is tunc pro defensione Formosi et ordinationum ejus contra Sergium plures libellos conscripsit, quorum jam fecimus mentionem. Scripsit contra Sergium etiam *Eugenius Vulgarius* vir eruditus Italiae meridionalis, ut Formosi ordinationes vindicaret. Utrumque auctorem Sergius III Romam citavit, sed neuter venit. Vulgarius tamen benedictionem apostolicam et absolutionem a Pontifice petiit, et aliis in scriptis magna, ac fere servili cum laude de Sergio locutus est.[2]) — Videtur Sergius versus finem pontificatus sui mitius egisse pacemque restituisse, uti insinuatur illis epitaphii verbis:

Sede recepta
Gaudet; amat pastor agmina cuncta simul.

Illud autem notare juvabit, neminem ex variis auctoribus vel verbum habere, quo Sergii mores dissolutos carpat; multum tamen causam suam juvassent, si tale quid potuissent objicere Sergio, qui ex zelo virtutis ac disciplinae ecclesiasticae se agere contendebat.

Comites Tusculani.

42. Tempore Sergii III potentia comitum Tusculanorum, hujusque familiae in res Romanas influxus, magis magisque invaluit, et per aliquot decennia perduravit. Forte Sergius qui ex hac familia ortus perhibetur, nimio favore eamdem prosequebatur, illumque influxum ipse promovebat; forte etiam potentissimae familiae resistere nequibat. — Quodsi ea quae exposuimus attenduntur, asseri posse censemus, Sergium III, quamvis non iis accenseatur Pontificibus qui virtutibus ac sapientia emicuerunt, haud tamen mereri vituperia illa indignique hominis notam, quibus a multis affectus est. Licet enim ante pontificatum passim factionum politicarum agitatione abreptus videatur, durius forte initio pontificatus egerit, atque in oppositione contra Formosi pontificatum ejusque ordinationes aberraverit, caeterum tamen digna ratione Ecclesiam gubernavit.

---

[1]) Cfr. epistolam Auxilii praeviam ad opusculum „Infensor et Defensor", ap. Mabillon, Analecta vetera p. 40.

[2]) Paulo post, sub pontificatu Joannis X, confecta est *Invectiva in Romam*, quam haud Vulgarii, sed alterius auctoris esse merito censet Em. Hergenröther. V. Photius II. p. 370 nota 10.

43. Sed jam ea afferre atque expendere conveniret, quae de moribus perversis Sergii Luitprandus tradidit; quum vero haec simul alios Pontifices, Joannem X et Joannem XI spectent, praestat commemorare paucis antea duos Pontifices qui post Sergium secuti sunt. Quum Sergius III mense Augusto anni 911 obiisset, ei successit *Anastasius III*, Romanus, ex familia nobili oriundus. Legitime electum, dignumque fuisse Pontificem, ex chronicis antiquorum colligitur, sollicitusque fuisse videtur, ut pacem et concordiam tum inter viros ecclesiasticos tum inter Italiae principes conservaret. Sedit vero tantummodo brevi tempore; nam post duos annos totidemque menses e vivis discessit mense Octobri anni 913. Flodoardus de ipso scribit: **Anastasius III.**

„Quo (Sergio) rebus adempto
Humanis, in Anastasium sacra concinit aula,
Tertius hic Praesul renitet qui nomine Romae,
Sedis Apostolicae blando moderamine rector,
Sentiat ut Christum veniae sibi munere blandum."[1])

44. In locum Anastasii III subrogatus est *Lando*, patria Sabinus, Taini filius. Ejus gesta haud nota sunt, seditque tantum brevi tempore, ac mortuus est mense Aprili anni 914. De ipso haec tantum habet Flodoardus: **Lando R. P.**

„Lando dein summam Petri subit ordine Sedem,
Mensibus hanc coluit sex undenisque diebus:
Emeritus Patrum sequitur quoque fata priorum."[2])

Damberger scribit, tradi, tumultuariam fuisse Landonis electionem eumque Marotiae nobilis feminae influxu esse evectum; sed non indicat auctores qui haec tradiderint.[3]) Falso autem accusari Landonem a Luitprando, quod urgente

---

[1]) Similia habentur in epitaphio Anastasii III, quod manifeste prae oculis habuit Flodoardus. Etiam in eo legitur: „Rexit Apostolicam blando moderamine Sedem." V. Watterich l. c. p. 85

[2]) Ap. Watterich l. c. p. 32. — Uti jam merito corrigitur primo versu „*Quando*" in *Lando*, ita quod altero versu habetur in editionibus carminis Flodoardi „mensibus hanc coluit sex *ut* denisque diebus", corrigendum videtur *undenisque diebus*. Cfr. Damberger IV. Kritikh. p. 136.

[3]) Cfr. Damberger, B. IV. s. 353.

Marotia Joannem, qui fuit ipsius successor, injuste ordinaverit archiepiscopum Ravennatensem, infra videbimus.

Joannes X. 45. Landone defuncto anno 914 in Sedem Apostilicam evectus est *Joannes X*, qui erat archiepiscopus Ravennae. Ecclesiam gubernavit usque ad annum 928. Pontifex fuit prudentia, sollicitudine, animi vigore insignis. Sed Luitprandus narratione sua magna infamia eum affecit, ita ut Baronius Luitprandum sequens haud dubitaverit eum habere ut pseudopapam, nefarium invasorem, meretricis viribus Romae pollentem.[1]) Ut quaestionem hanc examinemus, oportet primum ea afferre quae Luitprandus narrat.

Luitprandi narratio. Luitprandus igitur loquens de Saracenorum irruptione in Calabriam, scribit Antapod. L. II. c. 47 sqq. „Quo tempore venerandae Romanae Sedis summum Joannes (X) Ravennas pontificatum tenebat. Hic autem tam nefando scelere contra jus fasque pontificii culmen ita obtinuit: Theodora scortum impudens hujus Alberici qui nuper hominem exuit avia, quod dictu etiam foedissimum est, Romanae civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat. Quae duas (al. diras) habuit natas, Marotiam atque Theodoram, sibi non solum coaequales, verum etiam veneris exercitio promptiores. Harum una Marotia ex papa Sergio, cujus supra fecimus mentionem, Joannem (XI) qui post Joannis Ravennatis obitum Romanae ecclesiae obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio; ex Alberico autem marchione Albericum qui nostro post tempore ejusdem Romanae urbis principatum sibi usurpavit. Per idem tempus Ravennatis Sedes, secundus qui post Romanum archierean archipraesulatus habebatur, Petrus pontificatum regebat. Qui dum subjectionis officio debitae jam nominatum Joannem (X) papam, qui suae minister ecclesiae tunc temporis habebatur, Romam saepius et iterum domno dirigeret Apostolico, Theodora, ut testatus sum,[2]) meretrix satis impu-

[1]) V. Baronium ad a. 912. n. 7 sqq.

[2]) Alias legitur: *ut testatur sua vita*, indeque collegerunt auctores plures cum Muratorio (Annali ad a. 914), Luitprandum usum esse libello infami *de vita Theodorae*, eo tempore divulgato. Sed lectio genuina est: *ut testatus sum*. Cfr. Pertz, Monum. T. V. p. 297.

dentissima, veneris calore succensa, in hujus speciei decorem vehementer exarsit, seque hunc scortari non solum voluit, verum post etiam atque etiam compulit. Haec dum impudenter aguntur, Bononiensis ecclesiae episcopus moritur et Joannes iste loco ejus eligitur. Paulo post, ante hujus diem consecrationis, nominatus Ravennas archipraesul mortem obiit, locumque ejus Joannes hic, Theodorae instinctu, priore Bononiense deserta ecclesia, ambitionis spiritu inflatus, contra sanctorum instituta patrum sibi usurpavit. Romam quippe adveniens, mox Ravennatae ecclesiae ordinatur episcopus. Modica vero temporis intercapedine, Deo vocante et qui eum injuste ordinaverat papa defunctus est. Theodorae autem glycerii[1]) mens perversa, ne amasii sui ducentorum milliariorum interpositione, quibus Ravenna sequestratur Roma, rarissimo concubitu potiretur, Ravennate hunc archipraesulatum coëgit deserere, Romanumque, proh nefas! summum pontificium usurpare." — Et Antapod. L. III. c. 43 Luitprandus refert: „Quo (Joanne X) mortuo, ipsum Marotiae filium nomine Joannem, quem ex Sergio papa meretrix ipsa genuerat, Papam constituunt."

46. Ut assertiones illae Luitprandi critice accurate expenderentur, et historia illius aetatis illustraretur, necessarium foret, bene nosse historiam et cognationem variarum familiarum principum et procerum illius temporis. Sed multa hac in re sunt valde obscura, et tum in Luitprando et antiquis auctoribus, tum in recentioribus invenitur permagna confusio, ita ut ex variarum opinionum et narrationum labyrintho aegre quis se possit extricare. Quae certius constant jam dicamus. — Saeculo nono exeunte ac decimo ineunte vixit Romae Theodora (senior) mulier nobilis et potens. Maritum habuit Theophylactum, anno 901 judicem, ac dein consulem et senatorem Romanum, unde Expenditur.

[1]) Glycerii, i. e. dulcis amoris, a γλυκὺς et ἔρως. Ita Pertz l. c. — Cl. Reumont ait, tradi a scriptoribus, Theodoram filiam fuisse cujusdam Glycerii (V. Gesch. d. Stadt Rom, II. p. 228. 1183). Nescio, utrum in alio scriptore illorum temporum id habeatur: ex hoc Luitprandi loco hoc colligi, aegre admitterem.

Theodora senatrix. et ipsa senatrix dicitur. Habuit Theodora duas filias, Mariam seu Marotiam (Mariuccia) unam, alteram Theodoram (juniorem), quae ut ipsa, pulchritudine, ambitione et potestate famosae fuere.[1]) Baronius ad a. 908 n. 6. scribit, eam habuisse has filias ex Adalberto Tusciae marchione, sed nullo argumento hoc probatur. — Damberger (T. IV. p. 90. 171) dicit, Theodoram jam viduam a. 894 nupsisse Adalberto, sed ab eo a. 896 fuisse repudiatam. Nullo modo id satis constat. — Videtur Theodora diuturno matrimonio juncta fuisse Theophylacto, et ex hoc censenda est peperisse Marotiam et Theodoram. Cum Adalbertus Tusciae marchio haud Romae degeret, sed in Tuscia, Theodora autem continuo Romae fuisse supponatur, inepta sunt quae de ejus cum Adalberto commercio conjiciuntur. Sed quaestionem difficilem de stirpe Theodorae solvisse videtur cl. Balan, qui statuit collatis documentis, Theodoram fuisse filiam Adalberti I marchionis Tusciae, ac sororem Adalberti II.[2]) Nupsit autem Theophylacto consuli ac senatori Romano, atque ex nobili mulieris parentela et ex mariti dignitate insigni, influxus hujus feminae explicatur. Theophylactus adhuc anno 915, quum Berengarius a Joanne X in Imperatorem coronaretur, vivebat, et caput nobilium Romanorum fuisse videtur.[3])

Marotia. 47. Marotia versus annum 905 nupsit Alberico comiti Tusculano, Camerini duci, ac principi Spoleti;[4]) atque ex utriusque familiae splendore factum est, ut Theodorae et Marotiae influxus in res Romanas etiam cresceret. Erat

---

[1]) Scribunt plerique auctores, fratrem istarum haud commemorari. Attamen quum Berengarius anno 915 in Imperatorem coronaretur, ei *Consulis Theophylacti filius*, et Petrus frater Joannis X praecipuos honores persolverunt. Ita Panegyricus Berengarii; cfr. Muratori Annali ad a. 915. Dixeris illum Theophylacti filium Marotiae fratrem.

[2]) V. Balan Storia d' Italia. L. XVII. n. XIV.

[3]) V. Reumont, Gesch. d. Stadt Rom. B. II. S. 228; Hergenröther, K. G., B. I. S. 599.

[4]) Cfr. Muratori, Annali d' Italia a. 910. — Initio tamen, inde ab a. 897, Spoletum et Camerinum administravit Albericus nomine Agiltrudis Imperatricis, viduae Guidonis, uti scite animadvertit cl. Balan, Storia d' Italia, L. XVII. n. XIV.

porro Sergius III quoque ex familia comitum Tusculanorum: filius enim erat Benedicti magni fratris ipsius Alberici.[1]) Unde vides, quum Albericus esset patruus Sergii, Marotiam Alberici uxorem affinitate valde propinquam fuisse Sergio. Marotiam autem dixeris multo juniorem fuisse Alberico. Nam is saltem jam anno 888 sub Guidone Imperatore contra Berengarium militabatur,[2]) adeoque eum natum censerem inter annum 860 et 870, forte jam prius; Marotiam autem fama pulchritudinis notam a. 905 adolescentem fuisse supponere fas est. Eo tempore vitam liberiorem et laxiorem fuisse in familiis principum ac procerum, tum Italiae tum aliorum regionum, ex aliis documentis et ex Luitprando colligi potest, quamvis narratio hujus exaggerationibus et erroribus scateat. Quum vero Romae tanta esset factionum agitatio, haud dubium, etiam rumores malevolos passim sparsos fuisse contra mulieres, quae tum potentia sua tum dotibus corporis invidiam excitabant. Et quum Sergius quoque in agitatione illa factionum non mediocres partes habuisset et Alberici ac Marotiae familiis intime nexus esset, facile fieri potuit, ut ab adversariis, quos tum ante pontificatum tum Pontifex factus permultos habebat, sive ex levitate sive ex maledicentia rumores spargerentur malitiosi amorum Sergium inter atque Marotiam. Luitprandus autem, a quo solo scriptore illorum temporum asseritur, Sergium ex Marotia genuisse Joannem XI, facile sequitur garrulorum sermones aniles, et dicta malitiosa invidorum, atque in factionem Italam passione vindictae ferebatur. Unde pronus erat, ut quae poterat in opprobrium hujus partis colligere, verbosa levitate afferret.[3])

Origo calumniae.

---

[1]) Vide arborem genealogicam Comitum Tusculi ap. Höfler, Deutsche Päpste. B. I. Beilage VI; Marchionum Tusciae ap. Damberger G. B. IV.

[2]) Cfr. Muratori Annali a. 910. — Addit Muratori, forte hunc Albericum eundem esse qui jam a. 976 adfuit comitiis Ticini habitis quum Carolus Calvus in regem Italiae eligeretur; sed rem dubiam esse. Hac in suppositione jam ante annum 960 eum natum dixeris.

[3]) Advertit Muratori (Annal. a 919), ab ipso omnes uxores principum Italiae exhiberi ut impudicas meretrices, quin mariti earum vel

Joannes XI Alberici filius.

48. Eo tempore quo Joannes (XI) ex Marotia natus est (c. a. 906), ea legitimo matrimonio juncta erat Alberico, hinc per se praesumptio juris obvia et naturalis est, Albericum fuisse Joannis patrem. In Sergii indole porro nihil apparet, ut ipsum luxuriae deditum supponamus; altiora potius prosequebatur. Quumque ut disciplinae ecclesiasticae acrem propugnatorem se exhiberet, illi scriptores coaevi qui contra eum vindicaverunt Formosi memoriam ejusque ordinationes, grave vulnus Pontifici facile inflixissent, si ejus laxiores mores arguere, imo foedissimi et sacrilegi adulterii eum accusare potuissent. Ipsi porro cum vehementia Pontificem impugnant, rerum Romanarum haud ignaros se ostendunt, sed quae initio pontificatus Sergii evenerint aliaque facta in odium ejus, etiam cum amplificatione veritati minus consona, enarrant. Sed nulla apud eos invenitur mentio amorum Sergii et Marotiae, nec ad aliquod turpe inter hos commercium alludunt. Inde inferes, eo tempore vel nullam tali in re malam de Sergio famam fuisse, vel si qui rumores tunc sparsi erant, etiam ipsos Sergii adversarios eos ut plane futiles habuisse. Non inficiamur, aliquando ejusmodi rumores de Sergio suscitatos fuisse et eosdem in sua narratione Luitprandum esse secutum, sed jam diximus, a malevolis facile potuisse arripi aliquam occasionem falsae accusationis, Luitprandum autem scandala cum voluptate venari, et admodum levem esse in factis ejusmodi admittendis et enarrandis, ita ut fidem sibi vindicare non possit. Vidimus etiam, Flodoardum [1]) et Joannem diaconum potius cum laude de Sergii pietate

minimum videantur commoveri; inde colligi, pessimae linguae fuisse Luitprandum nec satyras ejus fidem mereri. Agitur eo loco de Bertha vidua Adalberti II marchionis Tusciae, de qua Luitprandus: „Bertha autem Adalberti uxor cum Widone filio post mariti obitum minoris non facta est quam vir suus potentiae. Quae tum calliditate et muneribus, tum hymenaei exercitio dulcis, nonnullos sibi fideles effecerat.“ (L. II. 15). — Jam vero tempore obitus Adalberti, Bertha erat sexaginta annorum, unde non erat, quod scriberet Luitprandus, artibus libidinis eam allicuisse sibi fautores.

[1]) A Flodoardo in Chronico ad a. 933 Joannes XI dicitur simpliciter „frater Alberici.“

loqui; dicta eorum aegre cum tali morum dissolutione componerentur. — Argumenta quidem haec quae Luitprandi accusationi opponuntur, partim negativa sunt, partim rationibus constant, quibus directa demonstratio certa non conficitur. Attamen simul sumpta vim suam habent, et qui aequa lance ea ponderaverit, Sergio Pontifici immerito adulterii sacrilegi notam inustam esse, ni fallor, conveniet.[1])

49. Sed veniamus modo ad pontificatum Joannis X, qui ab anno 914 usque ad a. 928 Ecclesiae praefuit, eaque afferamus quae ex documentis colliguntur ac nostris diebus in clariori luce posita sunt.[2]) Oriundus erat Joannes X ex Tossiniano quod est dioecesis Imolae oppidum. Diaconus fuit ecclesiae Bononiensis, quumque in hac ecclesia turbae de episcopatu non mediocres essent, a metropolita Ravennatensi Cailone missus est Joannes veluti procurator Romam ad Sedem apostolicam Joannis X pontificatus.

[1]) Muratori, Annali ad a. 911, testimonia quaedam citat, quibus censet diserte Joannem XI indicari ut Alberici filium. Affert Anonymum Salernitanum qui in suo Chronico c. 166 scribit: „Eo tempore sanctae Romanae Sedi praeerat papa Johannes, filius cuidam Alberici.“ (Pertz M. G. SS. III. p. 553). Sed auctor manifeste ibi Johannem XII indicat, qui fuit filius Alberici II; eo loco enim agit de eventibus qui sub Johanne XII locum habuere. - Citat Muratorius etiam Leonem Ostiensem, qui scripsit ineunte saeculo duodecimo. Is in Chronico Montis Casini L. I c. 61 haec habet: „Tunc temporis defuncto supradicto Agapito papa secundo, Joannes undecimus natione Romanus, Alberici Romanorum consulis filius, illi in pontificatu succedit.“ (M. G. SS. VII. 623.) Sed locum mendosum esse, et *undecimi* verbum loco *duodecimi* irrepsisse, jam conveniunt eruditi. Id inde colligitur, quod de Agapiti II successore, qui fuit Joannes XII, ibi agatur, quodque superius (c. 54) ipse auctor scripserit: „Adelbertus abbas (Casinensis) fuit temporibus Stephani septimi papae, et Joannis papae undecimi, qui fuit filius Sergii papae.“ — Secutus est Leo Ostiensis hac in re Luitprandum. — Muratorium secuti textus illos varii quoque auctores attulerunt, uti Damberger (B. IV. Kritikh. S. 200), Rohrbacher, Wouters, et alii. Errorem jam advertit C. De Smedt, Praelect. a. 1867—1868 (Autogr.) p. 251, nota 13.

[2]) Vitam Joannis X scripsit Liverani, *Giovanni da Tossignano*. Macerata 1859; quae hunc Pontificem spectant egregie illustravit.

4*

versus initium pontificatus Sergii III.[1]) Ab hoc Pontifice, quum Joannis vigorem ac dotes perspexisset, ut turbis Bononiae ortis mederetur, Petro hujus sedis episcopo defuncto ille creatus est episcopus Bononiensis. Jamque in eo erat ut consecraretur, quando Cailo archiepiscopus Ravennatensis obiit, atque tunc clerus hujus sedis metropolitanae Joannem elegit in archiepiscopum Ravennatensem. Ita igitur factum est, ut Joannes a. 905 ecclesiae Ravennatensi praeficeretur. Nec ea in re canones violati videntur: nam etsi Joannes a Sergio creatus esset episcopus Bononiensis, consecratus tamen nondum erat, uti vel ipse Luitprandus agnoscit. Caeterum Pontificis erat judicare, utrum illa translatio, si quae fiebat, ob bonum Ecclesiae expediret. Per novem fere annos ecclesiae metropolitanae Ravennatensi praefuit. Mortuo autem Landone Pontifice Romano, Joannes in ejus successorem electus est, communi quantum videtur consensu; nullum enim vestigium occurrit, aliquos huic electioni se opposuisse, vel ab aliqua parte Romae Joannem non fuisse agnitum.[2]) Facile concedamus, Theodoram ejusque amplissimam familiam influxu suo quid contulisse, ut Joannes in Sedem Apostolicam elevaretur. Caeterum vero ipse erat vir ingenii dotibus et animi robore praeditus atque ad regimen aptissimus, idque profecto ex administratione dioecesis Ravennatensis jam constabat. Imminebant autem civitati Romanae magna pericula ex Saracenis, qui magis magisque Urbi appropinquabant, ac generatim status rerum turbatus forte desiderium excitavit, ut Pontifex ingenio et prudentia pollens crearetur. Hinc etiam justa causa videri poterat adesse, ut neglectis strictae disciplinae regulis a sede Ravennatensi in Sedem Romanam Joannes transferretur, quum Joannes IX jam admisisset,

Joannis electio.

[1]) Apud Gams *Series Episcoporum* ad a. 891 Bononiae invenitur Severus schismaticus intrusus — Balan turbas exortas dicit occasione controversiae de ordinationibus Formosi.

[2]) Flodoardus scribit:

„Rexerat ille Ravennatum moderamine plebem,
Inde *petitus* ad hanc Romanam percolit arcem.“

necessitate suadente pro bono Ecclesiae translationes fieri posse.[1])

Joannis X gesta.

50. Joannes X porro optime res ecclesiasticas ac civiles administravit, seseque vigore, prudentia, sollicitudine ostendit eximium, ita ut pericula averteret, auctoritatem pontificiam firmaret, et reipublicae securitati provideret. Imprimis sollicitus de reprimendis Saracenis qui urbi Romae totique Italiae terrorem continuum injiciebant, a. 915 in Natali Domini, magno cum splendore omniumque exultatione Berengarium regem Italiae Imperatorem coronavit. Dein inter Constantinum Imperatorem Graecorum, Berengarium, principes Capuanum, Salernitanum, Beneventanum et Spoletanum foedus conciliavit. Concordi horum principum ope fortissimam arcem montis Gariliani, quam Saraceni ad Latii fines jam quadraginta annis magno totius Italiae detrimento occupabant, oppugnavit, Saracenos ex ea cum ingenti clade eorum ejecit atque fugavit, et urbem territoriumque Romanum ac finitimos principatus ab eorum infestationibus liberavit. Profecto his in rebus insignem plane industriam Joannes ostendit, simulque suam auctoritatem firmavit in urbe, ac majorem a nobilium factionibus sibi paravit independentiam.

51. Sed etiam in rebus ecclesiasticis sese exhibuit Pontificem sollicitum ac strenuum. Ad componendam divi-

---

[1]) Quae exposuimus ab auctoribus gravibus nostri temporis ex documentis sinceris deprompta sunt. V. Liverani. Storia di Giovanni X (da Tossignano); Balan, Storia d' Italia, L. XVII. n. XXIII.; Hefele C. G. IV. §. 513. — Ob translationem a sede Ravennatensi in sedem Romanam quidam scriptores illius aevi asseruere, Joannem invasisse Sedem Apostolicam. Ita in Chronico s. Benedicti dicitur: „Joannes archiepiscopus Rabennatis ecclesiae, invitatus a primatibus Romanae urbis, contra instituta canonum agens Romanae ecclesiae invasor factus". M. G. III. 199. — In Chronico Casinensi Leo Ostiensis ait: „Joannes decimus, qui ex episcopatu Ravennate Romanam sedem invasit". M. G. VII. 616. — Sed immerito plane Joannem invasionis argui ex dictis colligitur. — Minime versatum in eventibus sui temporis se ostendit auctor *Invectivae* in Romam, dum Joannem X tunc regnantem dicteriis appetens scribit, eum primum Bononiensem ecclesiam invasisse, ac dein ea relictâ Romanam ecclesiam nefariis ausibus usurpasse. V. Bianchini Anastasius Bibl. Vol. IV. p. LXXIV.

sionem in ecclesia Graeca ortam ex quartis nuptiis Leonis VI Imperatoris Constantinopolim legavit Theophylactum et Carolum episcopos; Hilduinum et Richarium de episcopatu Tungrensi contendentes Romam citavit, ac Richario a clero legitime electo et a Carolo Simplici nominato sedem addixit, Hilduinum vero vi et simonia intrusum excommunicavit. Ab episcopis provinciae Narbonnensis interpellatus in causa Gerardi et Agii, de episcopatu Narbonnensi certantium, divisionem composuit, Agii electionem confirmavit eique pallium misit. Postulantibus episcopis Germaniae anno 916 Petrum episcopum Ortensem misit ad synodum, quam illi coëgerant apud Altheim in Rhaetia; in qua synodo praesules praeteritam suam negligentiam confessi, plura capitula pro sua ipsorum, cleri et populi christiani correctione condiderunt.

Sedes Rhemensis. 52. Reprehenditur tamen Joannes X ob dispensationem, qua usus est quoad sedem Rhemensem. Heribertus comes Verumanduorum potentissimus, qui principes partes habuerat in dejectione Caroli Simplicis cujus loco Rudolphus in regem Galliae constitutus erat, a. 925 post mortem Seulphi archiepiscopi Rhemensis, Abbonem Suessionum et Bononem Catalaunensem episcopos necnon clerum populumque Rhemensem permovit, ut filium suum quinquennem Hugonem in archiepiscopum eligerent. Res tamen non sine tumultu peracta est. Ratio autem ejusmodi electionis fuit, ut a potentissimo comite dioecesis tutaretur, ne diriperetur in partes. Electione peracta et a Rudolpho rege confirmata, miserunt ad Joannem X legatos qui assensum Pontificis peterent. Joannes consensit, ob graves rationes politicas, uti videtur; sed demandavit administrationem episcopalem Abboni episcopo Suessionensi, donec Hugo idoneus esset. Hac ratione disciplinae ecclesiasticae providere studuit. Simul quoque mandavit Joannes X Heriberto, sub poena excommunicationis, ut Carolum regem in solium regium restitui curaret; quod etiam factum est. — Illa autem Hugonis pueri in episcopum electio postea multarum turbarum causa fuit.

53. Caeterum Joannes X. uti advertimus, dignitatem pontificiam Romae firmavit, et per decennium cum auctoritate rempublicam administravit. Sed versus finem regni ejus vehementes in Italia turbae, ac Pontifici magna pericula orta sunt. Contra Berengarium Imperatorem varii Italiae superioris principes versus a. 921 rebellarunt, qui etiam pacta inierunt cum Rudolpho Burgundiae rege, huncque accersivere ut Italiae regem eum constituerent. Aegre Berengarius contra hostes praepotentes per plures annos sese defendit, in eaque lucta auxilio quoque usus est Hungarorum, qui eo tempore incursiones in Italiam fecerant. Haud constat quidem a Berengario Hungaros accersitos fuisse, sed ejusmodi fama sparsa est, quumque barbari illi strages crudeles Ticini aliisque in civitatibus perpetrassent, magnam invidiam Berengarius incurrit. Anno 924 circa tempus Paschatis Imperator Veronae a sicariis insidiose interemptus est. — Interim etiam Romae factiones variae agitari coeperunt, motusque turbulenti exorti sunt. Tum Albericus tum Joannes X injuste in suspicionem vocati sunt, quod Hungaros ad suos in Italiam incursiones etiam ipsi, utpote Berengario addicti, excitassent. Anno 925 seditione Romae facta, in ipso palatio Lateranensi coram Pontifice occisus est ejus frater Petrus, qui in rebus publicis dirigendis Joanni X sedula ope adfuerat; Pontificem ipsum tamen seditiosi aggredi non ausi sunt. Sed in Albericum comitem quoque, qui ex Urbe egressus erat, ut Hortae castelli munitioni provideret, furorem suum verterunt; Hortamque profecti Albericum adorti sunt et trucidarunt. Fata adversa.

54. Quales fuerint in illis commotionibus Marotiae partes, haud omnino claret; sunt qui perhibent, mulierem perfidam jam ante necem Alberici mariti illi factioni manus dedisse, quae in Pontificem surrexit Romaeque turbas excitavit. Redegit porro in suam potestatem arcem s. Angeli in Urbe sitam, ac dominium quod in civitate Albericus acquisiverat, etiam post ejus mortem firmare nisa est. Hinc statim post Alberici necem eo se vertit, ut connubium iniret cum Guidone marchione Tusciae.

Is Adalberto II a. 917 defuncto successerat; summam tamen rerum in Tuscia potestatem Adalberti vidua, Bertha, tenuerat, donec ipsa a. 925 e vivis excessit. Guido igitur eo anno 925 Romam profectus Marotiam duxit uxorem, indeque isti Joannis X auctoritatem et potestatem magis magisque coarctare nisi sunt. Joannes X ut nobilium audaciam fraenaret, sese vertit ad Hugonem Arelatensem, qui eo tempore post Berengarii mortem maximam in Italia potentiam simulque regis dignitatem acquisivit.[1]) Profectus igitur Pontifex in Italiam superiorem Mantuae cum Hugone convenit, cum eo foedera iniit ut Ecclesiam Pontificemque protegeret, eique fortasse et spem fecit dignitatis imperialis. Romam dein reversus Pontifex intrepide auctoritatem suam vindicare studuit. At Hugo, fallacis animi vir, nullatenus

Joannis X exitus.

Joanni X praesidio fuit, sed secreto foedere Guidoni et Marotiae junctus eorum arbitrio Urbem reliquit. Hi vero ut Romae omnino dominarentur, consilium inierunt semovendi Pontificem, adeoque a. 928 militibus clam collectis tumultus excitarunt et Pontificem in suam redegerunt potestatem.[2]) In custodia detentus Joannes X anno 928 vel aerumnis confectus obiit, vel, ut rumor ferebat, suffocatus est. *In qua custodia,* scribit Luitprandus, *non multo post est defunctus. Aiunt enim, quod cervical super os ejus impo-*

[1]) Bertha, quam Lotharius rex ex Waldrada (concubina) genuerat, primo matrimonio juncta fuit Theobaldo comiti Arelatensi, et ex hoc matrimonio ortus est Hugo rex. — Secundo matrimonio Bertha unita fuit Adalberto II diviti, Tusciae marchioni, cui peperit Guidonem (maritum Marotiae), Lambertum, et Ermengardam, quae marchioni Ivreae potentissimo nupsit. Hoc tempore Ermengarda erat vidua, mulier callida, et si Luitprando credere fas est, impudicissima. Ejus influxu maxime Hugo dignitatem et potestatem regiam in Italia obtinuit.

[2]) In expositione rerum et serie gestorum disponenda quoad ultimos annos pontificatus Joannis X permagna apud auctores est dissensio, quum apud antiquos scriptores eventus satis confuse referantur. Cl. Liverani, Storia di Giovanni X, et cl. Balan, Storia d'Italia. L. XVII. nn. XVIII sqq., magno cum studio accuratius eventus disponere et enarrare conati sunt, horumque auctorum narrationem secuti sumus. — Luitprandus quidem Antapodos. III. 43 Petrum occisum refert, quum post Alberici necem jam Guido et Marotia Romae dominarentur; sed quoad eventuum ordinem atque adjuncta parum fidendum est Luitprando.

nerent, sicque eum pessime suffocarent.[1]) Flodoardus in suo *Chronico* ad a. 929 haec habet: *Joannes papa, dum a quadam potenti femina, cognomine Marocia, principatu privatus sub custodia detineretur, ut quidam, vi, ut plures adstruunt, actus angore defungitur.*[2]) — Joannem X, Panegyricus Berengarii ea aetate scriptus, ut egregium Pontificem laudat his verbis:

„Summus erat pastor tunc temporis Urbe Joannes,
Officio affatim clarus, sophiaque repletus.“[3])

Ex gestis Joannis X sane colligitur, eum insignem fuisse Pontificem.[4])

55. Modo jam breviter expendamus, ea quae Luitprandus dicit de Theodorae ac Joannis amore illicito, et de modo quo Pontifex hic in Sedem Apostolicam evectus sit. Tale quid nullus alius scriptor tradit; quid autem universim de Luitprandi naeniis tenendum sit, jam indicavimus. Hac in re nobis lascivam narratiunculam propinat, in qua omnia concinne cohaerere videntur. Joannes presbyter Ravennas saepius Romam veniens constringitur Theodorae amoribus, et a Pontifice praedecessore (Joannis X) influxu hujus mulieris creatur primum archiepis- Luitprandi errores.

[1]) Antapod. III. 43. M. G. SS. III. 312.

[2]) M. G. SS. III. 378. — Joannes X videtur dejectus esse mense Julio a. 928, eodemque anno *(non multo post)* obiisse, uti habet Balan, l. c. n. XXI. — Nescio, cur Jaffé (Reg. Pont.) statuat, Joannem defunctum esse mense Februario a. 929, Leonem VI vero successorem consecratum Joanne vivente mense Julio 928. Id parum probabile est.

[3]) Ap. Watterich l. c. I. p. 662.

[4]) Flodoardus in carmine de Romanis Pontificibus haec de eo habet:
„Surgit abhinc decimus scandens sacra jura Joannes,
Rexerat ille Ravennatum moderamine plebem.
Inde petitus ad hanc Romanam percolit arcem,
Bis septem qua praenituit paulo amplius annis.
Pontifici hic nostro legat segmenta Seulfo,
Munificisque sacram decorans ornatibus aulam,
Pace nitet: dum Patricia deceptus iniqua,
Carcere conjicitur claustrisque arctatur opacis.
Spiritus at saevis retineri non valet antris,
Emicat imo aethra, decreta sedilia scandens.“
Ap. Watterich, l. c. I. p. 661.

copus Bononiensis, sed dein, vacante sede Ravennatense, hanc potius accipit. Et *brevi temporis intercapedine* moritur Pontifex, qui injuste Joannem ordinavit, atque Theodora, ut amasium Romam arcesseret, sua potentia eum collocat in Sede Apostolica. — Nullam hic haberi historiam veram, sed malevolam fabulam, ex dictis jam patet. Joannes, ut vidimus, jam novem annis ecclesiae Ravennatis praesul erat, quum eligeretur in Pontificem; in sede vero Ravennatensi haud Petro episcopo, sed Cailoni successerat.[1]) Consecratus autem ipse fuit episcopus a Sergio III, non vero a Landone praedecessore suo. Qua ratione ad episcopatum Bononiensem designatus fuerit, dein vero electus ad archiepiscopatum Ravennatensem, superius vidimus. Quum vero haec electio Ravennae perageretur, Theodora autem Romae degeret, haud apparet, ipsam influxu suo in hac electione intervenisse. — Jam vides, plane falsum esse quod scribit Luitprandus, *modica intercapedine temporis,* Pontificem qui Joannem in archiepiscopum Ravennatensem consecravit mortuum esse, ac dein instigante Theodora Joannem sedem Romanam usurpasse. Baronium, quum documenta alia haud nota essent, Luitprandi narratione esse deceptum, non est mirum.

56. Tantummodo quaeri posset, annon *substantia* narrationis, videlicet turpes amores Joannis et Theodorae, admittenda sit, quamvis adjuncta sint falsa? Censemus, totam hanc rem esse putidum commentum. Advertendum

Joannes X innocens.

est 1⁰. adjuncta hic intime cum tota substantia rei cohaerere, e. g. quod Joannes presbyter ab ipsa Theodora ad luxuriam illectus et compulsus, dein ei suam elevationem debuerit. — 2⁰ Joannis indoli, qui se exhibuit ut Pontificem strenuum ac vigore plenum, valde opposita sunt quae narrantur a Luitprando, dum eum depingit ut virum, qui pro-

---

[1]) Id ex fontibus perspicue eruitur. V. Balan l. c. L. XVII. c. XXIII. Etiam auctor *Invectivae* in Romam Joanni X infensus archiepiscopum Ravennatensem Kailonem appellat. (Bianchini, Anastas. Bibl. t. IV. p. LXXIV.) Corrigendus igitur hac in re videtur catalogus praesulum Ravennatensium ap. Gams, *Series Episcoporum* etc., p. 717, ubi ad a. 904 Petrus V ut archiepiscopus Ravennae indicatur.

cacitati cedit mulieris jam senescentis,[1]) imo ab ea ad libidinem compellitur, quique in ipso pontificatu ejus luxuriae servit. — 3° Caeterum facile explicatur, qua ratione rumores malitiosi exoriri potuerint, quum Joannes X ex Ravennatensi episcopatu in Sedem Apostolicam elevaretur. Translatio ex una sede ad alteram canonibus parum congrua, certe pluribus displicebat. Theodoram vero ejusque familiam multum contribuisse ad evectionem Joannis in Sedem Apostolicam, supponere licet, tum quod haec familia Romae prae caeteris dominaretur, tum quod Joannes ex eadem esset cognatione. In iis vero quae mulierum fiunt influxu, a personis malevolis, levibus, vel corruptis, inclinationes vel relationes minus honestae passim quaeruntur ac supponuntur. Relaxatio porro morum vitaque liberior, uti in aliis familiis, ita praesertim in Theodorae ac Marotiae domo videtur viguisse, ac sicuti illae mulieres ansam praebebant, ut leviores earum mores arguerentur, ita inter proceres aemulos et adversarios sane non defuere viri mulieresque, qui sarcasmis lascivis et diffamatione vindictam sumerent de familia, quam summas rerum Romae tenere videbant. — Quum vero vulgo non sufficiat vaga aliqua umbra, sed ipsi opus sint facta concreta, in ore multitudinis, quae scandalis delectatur, paulatim illa contexta et concinnata est fabula, quam stupentibus lectoribus lepido stylo Luitprandus descripsit.

57. Restat, ut hoc loco duo *epitaphia*, quae ad hanc quaestionem pertinent, commemoremus, eo vel magis quod eruditorum de iis disquisitiones simul ostendunt, quam caute ex una parte ex ejusmodi documentis probationes formandae sint, ex altera parte, quanto commodo archaeologia ad illustrandas res dubias esse possit. Citat Baronius ad annum 996 epitaphium ducis Crescentii, qui monachus obiit in monasterio s. Bonifatii seu Alexii in monte Aventino. Joannis X et Theodorae prolem eum fuisse conjicit ex eo, quod ea nomina occurrunt in illo epitaphio. Est autem hujusmodi: Epitaphia duo.

---

[1]) Quum Theodora esset mater Marotiae a. 905 jam nuptae, certe versus a. 914 Theodora provectioris erat aetatis.

„Corpore hic recubat Crescentius inclytus ecce.
Eximius civis Romanus, dux quoque magnus.
Ex magnis magna proles generatur et alta,
Joanne patre, Theodora matre nitescens.
Quem Christus animorum amans, medicusque peritus,
Corripuit languore pio, longaevo, ut ab omni
Spe mundi lapsus, prostratus limina sancti
Martyris invicti Bonifacii amplexus, et illic
Se Domino tradidit, habitum monachorum adeptus,
Quod templum donis amplis ditavit et agris.
Hinc omnis quicumque legis, rogitare memento,
Ut tandem scelerum veniam mereatur habere.
Et obiit die VIII. mens. Jul. Anni Dominic. Incarn.
DCDLXXXIV."

Baronii opinio. *Quod autem,* addit Baronius, *iste Joannis et Theodorae asseritur filius, in mentem veniunt Joannes et Theodora illi, de quibus Luitprandus agit, et nos suo loco scripsimus; nomina consentiunt atque tempora, necnon potentia qua in Urbe pollebant.*[1]) Censuit Cardinalis Sedi Apostolicae adeo deditus, id se veritati debere, ut adverteret, inveniri in hoc epitaphio confirmationem quamdam eorum quae Luitprandus de Joanne X et Theodora enarrat. Mirum tamen fuisset, quod tanta protervia monachi sodalem proclamassent Pontificis et Senatricis illius filium. Nec repugnabat, eo tempore alios vixisse duces et feminas uxores potentes, quibus nomen Joannes et Theodora. Id improbabile fuisse, supponit Baronii animadversio.

Expenditur. 58. Omnis autem probationis vis huic argumento adempta est per ea, quae recenti tempore invenit et publicavit monumenta cl. de Rossi. Ex iis enim elucet, saeculo decimo in familia Marotiae et Theodorae senioris aliud par conjugum exstitisse, quibus nomen Joannes et Theodora, adeoque merito ut horum filium habendum illum Crescentium ducem et monachum. Invenit videlicet de Rossi anno 1864, quum restauraretur Romae basilica s. Laurentii,

[1]) Ad a. 996 nn. 11. 12.

plura fragmenta epitaphii ex saeculo X, ac postquam labore magno et accurato eadem composuit et complevit, integrum fere epitaphium discrevit ac publicavit. Est autem ejusmodi hoc epitaphium:

† Praeclu[us] hic recubat La[ndolfus vulnere f]ossus
Quem fle[vi]t nimium con . . . .
Cara sen[at]ricis Theodo[rae atque Johan]nis
Consulis atque ducis [inclyta progenies]
Cum flo[r]eret enim prime[vo] [flore ju]vente
Effudit vitam [sanguine purpu]reo
[Moribus] enituit cu[mulato] et d[ig[nior aevo
. . . . [p]eremit.
Hunc sibi fecit adoptivu[m M]aroza senatrix
Ac nutrivit eum delic[iis] variis
[C]ui tumulum lugens [mate]r cons[t]ruxit ab imo
In quo membra sua pu[lchr]a nimis [p]osuit.
Martyris ad templum pr[oper]antes d[icite] cives
Landolfo juveni par[ce b]enigne D[eu]s.
d[ep.] XV. Kl. Aug. Tem[p]. [do]m. Johi. XII. PP. Indic. VI.
[A]nno Dnice Incarnati[o]nis Dn[i] DCCCCLXIII.

59. Commemorantur igitur hoc loco ut conjuges Johannes consul et dux atque Theodora senatrix, qui jam vita functi esse videntur; nam de eorum luctu nihil dicitur. Landolfum filium adoptavit Maroza senatrix, probabiliter orta ex posteritate Marotiae illius famosae, atque haec adolescenti occiso tumulum et epitaphium posuit. — Porro etiam parentes illius Crescentii, ducis et monachi anno 984 mortui, dicuntur Johannes et Theodora illustres, et quum ex epitaphio Crescentii colligatur, eum ad aetatem satis provectam pervenisse,[1]) vix dubium est, Landolfum et Crescentium fratres fuisse filiosque ambos Johannis con- Erronea.

[1]) Dicitur enim in illo epitaphio de Crescentio:
„Quem Christus animorum amans, medicusque peritus,
Corripuit languore pio, longaevo, ut ab omni
Spe mundi lapsus, prostratus limina sancti
Martyris invicti Bonifacii amplexus, et illic
Se Domino tradidit.“

sulis et ducis ac Theodorae senatricis. Certe ne minima quidem restat ratio, ut supponatur ille Crescentius filius Johannis X Pontificis et Theodorae senioris.[1]) Sed haec de Joanne sufficiant.

Leo VI et Stephanus VII.

60. In locum Joannis anno 928 suffectus fuit *Leo VI* Romanus, qui sedit septem mensibus et quinque diebus in sede Petri. Ei successit dein *Stephanus VII* pariter Romanus, qui duobus annis et uno mense pontificatu functus est. De his Pontificibus haec tantum habet Flodoardus:

„Pro quo celsa Petri sextus Leo regmina sumens,
Mensibus haec septem servat, quinisque diebus,
Praedecessorumque petit consortia vatum.
Septimus hinc Stephanus binos praefulget in annos,
Aucto mense super, bisseno ac sole jugato,
Dispositâ post quod spatium sibi sede locatur.“

[1]) Vide de Rossi, Bullet. archeol. a. 1864. p. 65. — Eo loco cl. de Rossi etiam erudite conjicit arborem genealogicam stirpis Theodorae senioris, quam proponere juvat. Addimus tantum *filium N.* Theodorae et Theophylacti Consulis; is enim commemoratur in panegyrico Berengarii L. IV hisce versibus:

„Hic etiam juvenes nitida respergine creti.
(Alter Apostolici nam frater, Consulis alter
Natus erat.) pedibus defigunt oscula Regis.“ (Script. Ital. V. II.

Muratori in nota 39 ait: „Consul Romanorum tum erat Theophylactus: sicuti Glossa docet, quae non addit quo nomine filius Theophylacti appellaretur.“ — En igitur arbor genealogica:

Theodora I
uxor Theophylacti Consulis et Senatoris.

Marotia I
primum nupta Alberico I,
dein
nupta Guidoni duci Tusciae.
demum
nupta Hugoni regi.
Mortua ante a. 945.
Ejus ex Alberico filii:

Filius N.

Theodora II
uxor Theophylacti Vestiarii
mortua ante a. 945.

Marotia II
Senatrix.

Stephania
Senatrix.

Theodora III
uxor Joannis
Consulis et Ducis.

Albericus II. Princ. Rom. — Constantinus. — Joannes XI P. — Sergius Ep. Nep. — Landolfus m. a. 963. — et Crescentius. m. a. 984.

Luitprandus horum Pontificum plane oblitus est, dum asserit post Joannem X sedisse Joannem XI. Caeterum gesta horum Pontificum ignorantur; posteriores quidem auctores, uti Stella et Platina, eos laudant ob virtutes et concordiam restitutam, sed non indicant ex quibus testibus id desumpserint.[1]) Sunt etiam qui censent, Leonem VI in carcerem detrusum ibidem occisum vel mortuum esse: hujus vero suppositionis nullum invenitur argumentum. Fuisse autem hosce Pontifices viros dignos, eosque Ecclesiam pro viribus administrasse, quamvis eorum libertas per Guidonis et Marotiae factionem coarctaretur, merito supponere possumus. — Interea, forte anno 929, mortuus est Guido Tusciae marchio ac Marotiae maritus;[2]) Marotia vero ex isto connubio adhuc ditior facta, continuavit in urbe Romana magnam habere potentiam.

61. Post obitum Stephani VII, anno 931 ad summum pontificatum elevatus est *Joannes XI*, Marotiae ex Alberico primo marito filius. Eum pseudopapam et intrusum dicit Baronius, eo quod, Luitprandum sequens, ipsum censeret Marotiae ex Sergio III filium, atque a Guidone et Marotia in Sedem Apostolicam instrusum.[3]) Sed hac in re venerabilis Cardinalis sancta quadam indignatione nimium processit. Etenim Joannes XI imprimis ab Ecclesia semper habitus est ut verus et legitimus Pontifex. Eum porro fuisse Sergii III filium gratis a Luitprando asseritur, et etiamsi illegitimus ejus ortus fuisset, et in pontificatum ipse intrusus, quum dein ab universa Ecclesia agnitus sit, non posset haberi ut pseudopapa. — Guido anno 931 jam mortuus erat. Haud dubium quidem est, Marotiam suum exercuisse influxum, ut Joannes ejus filius Pontifex fieret, Joannes XI.

---

[1]) Cfr. Pagii Breviarium t. II., Leo VI et Stephanus VII.

[2]) Cfr. Muratori Annali, ad a. 929.

[3]) „In ejus (Stephani VII) locum potentia Widonis Tusciae marchionis et Maroziae matris, intruditur Joannes. Sergii pseudopapae ex dicto scorto Marozia filius . . . De cujus invasione haec habet Luitprandus: *Quo mortuo* (de praedecessore Pontifice loquens,) *ipsum Maroziae filium nomine Joannem, quem ex Sergio papa meretrix ipsa genuerat, papam constituunt.*“ Ad a. 931 n. 1.

et clerum populumque Romanum huic influxui aliquid concessisse. Attamen non apparet, evectionem Joannis XI tumultuarie vel violenter factam esse, nec per se mirum erat, quod potentissimae Senatricis filius jam in clero ad dignitates majores provectus, illo tempore turbato, quo disciplina ecclesiastica vacillabat, in Pontificem eligeretur. Iuvenis sane erat Joannes XI, quem anno 905 vel 906 natum fuisse censemus. Ratherius, qui anno 931 Romae fuit, et commendatus est a Joanne ut Veronensis fieret episcopus, Pontificem *gloriosae indolis* eum nominat. Quamvis autem ejusmodi laudi non nimium insistendum videatur, eo quod Ratherio favorem contulerit Joannes XI, argumento tamen hoc est, Joannis pontificatum haud dubium fuisse, nec scandalosam electionem.[1])

Marotia nubit Hugoni. 62. Subsequente anno 932 pactum est matrimonium inter Hugonem Italiae regem atque Marotiam; utrum mulier haec, an Hugo connubium istud prius expetierit, non satis liquet. Erat certe matrimonium *politicum*, nam ea ratione Hugo quidem possessionem urbis Romae ac forte Imperium se adepturum sperabat, Marotia vero ambitione ardens confidebat, dominationem suam in Urbe firmatum iri, eo vel magis, quod filius ipsius Pontifex erat, seque futuram esse Italiae reginam. Venit igitur Hugo Romam, et milites quidem suos haud in Urbem perducere ei concessum fuit, sed ipse in arcem s. Angeli quam Marotia tenebat receptus est. Erat autem Hugo rex frater uterinus Guidonis marchionis, prioris mariti Marotiae. Nam Bertha mater ex suo conjugio cum Theobaldo Arelatensi genuerat Hugonem; ex subsequente conjugio cum Adalberto marchione Tusciae pepererat Guidonem. Hinc Hugo erat affinis Marotiae, atque ejusmodi matrimonium illicitum ac per se nullum. Ex Luitprando tamen colligitur, matrimonium contractum

[1]) „Allatae sunt, scribit Ratherius, et litterae Domini Papae tunc temporis Johannis gloriosae indolis, quibus continebantur ejusdem preces totiusque Romanae ecclesiae, uti ego Veronensibus darer Episcopus“ (Epist. ad Joannem XII in Spicil. d' Acherii). Erat Ratherius disciplinae ecclesiasticae propugnator. Carpitur tamen, forte injuste, a Muratorio (Annal. a. 931) ac si ambierit episcopatum Veronensem.

vel saltem attentatum fuisse. Hac in re Joannem XI dispensasse aliqui conjiciunt,[1]) sed nullibi occurrit ejusmodi dispensationis vestigium. Flodoardus et Luitprandus ut incestuosas eas nuptias arguunt, ipseque Hugo postea illud matrimonium ut irritum consideravit. Nam paucis annis post (a. 938), Marotia adhuc vivente, aliam duxit uxorem.[2]) Sed Hugo rex, vir perfidus, impius, libidinosus, alia arte tunc usus est. Contendit videlicet, Guidonem nullatenus fratrem ipsius fuisse; Bertham enim nullos liberos Adalberto peperisse, sed supposuisse aliorum prolem, ut post mortem Adalberti ipsi dominari adhuc liceret. Hoc praetextu dixeris eum matrimonium cum Marotia iniisse. Caetera adjuncta ignota sunt, nec ea, quae forte Joannes XI ea occasione fecerit.

63. Caeterum Hugo tantum brevi tempore Romae substitit. Nobiles enim Romanos et Albericum Marotiae filium, adeoque suum privignum, procaci superbia offendebat. Quumque aliquando matre hortante Albericus aquam infunderet manibus regis et minus dextere illud servitium perageret, Hugo iratus alapam illi impegit. Sed Albericus excandescens indignatione mox nobilium colligit manum, eos in Hugonem, Burgundum, extraneum, Romae ignominiose dominantem, excitat. Obsidetur arx s. Angeli, atque aegre Hugo ex muro fune demissus salvus ad suos extra Urbem milites aufugit. — Tunc Albericus Urbis dominationem ac principatum civilem arripuit, Romanorum principem ac tribunum se appellavit, et ultra viginti annos Romae gubernium tenuit. Marotiam vero matrem palatio clausam servavit Albericus; sed et Joannem XI, fratrem, Pontificem, sub custodia detinuit, adempto principatu civili, sacras tantum functiones ei permittens. Imo etiam administrationi Ecclesiae se immiscuisse videtur. — Advertit porro Muratori, Romanos timuisse, ne si Joannes XI retineret principatum, Marotia mater dominaretur atque

Hugo expellitur.

[1]) Cfr. Damberger Gesch. IV. S. 591.

[2]) Matrimonium iniit Hugo a. 938 cum Bertha vidua Rudolphi II regis Burgundiae qui a. 937 obierat. V. Muratori Annali ad a. 938.

ejus influxu Hugo rex Urbe potiretur. Is quidem pluries copiis adductis Romam expugnare nisus est: postremo vero (a. 936) Alberico filiam suam Aldam in matrimonium dedit. Sed ne tunc quidem in civitatem admissus est. — Censet Muratori, eo tempore quo Marotia attentavit incestum cum Hugone conjugium ac dein captiva a filio detenta est, sparsos esse per libellos et satyras diffamantes, illos de vitiis Marotiae rumores, ita ut veris ficta quam plurima adjicerentur. Haec vero omnia avide Luitprandus arripuit.[1])

Joannis XI gesta.

64. Quae Joannes XI detentus sub custodia fecerit, vix nota sunt. Nullum refertur factum, ex quo minus dignum Pontificem eum fuisse colligatur, sed eo non erat praeditus vigore ut tristem rerum statum posset mutare. Defunctus est Joannes XI a. 936; mortis autem adjuncta ignorantur. Citare hic juvat ea quae apud Flodoardum reperiuntur ad Joannis pontificatum pertinentia. Hist. Eccl. Rhem. L. IV. c. 24 scribit: *Artoldus episcopus* (Rhemensis) *post annum ordinationis suae pallium suscipit missum sibi per legatos ecclesiae Rhemensis a Johanne Papa filio Mariae, quae et Marocia dicebatur, vel ab Alberico patricio fratre ipsius Papae, qui eumdem Johannem fratrem in sua detinebat potestate, et praedictam matrem ipsorum in custodia clausam tenebat; Hugonem quoque regem Roma depulerat.* A legatis, qui Roma redeuntes pallium deferebant, haec nuntiata esse, ipse dicit in Chronico ad a. 933. In carmine autem de Rom. Pontificibus scribit:

„Nato Patriciae hinc cedunt pia jura Johanni,
Undecimus Petri hoc qui nomine Sede levatur,
Vi vacuus, splendore carens, modo sacra ministrans,
Fratre a Patricio juris moderamine rapto,
Qui matrem incestam rerum fastigia moecho
Trudere conantem, decimum sub claustra Johannem
Quae dederat, claustro vigili et custode subegit.
Artoldus noster sub quo sacra pallia sumit,
Papaque obit, nomen geminum (*quintum*) fere nactus in annum.“

[1]) V. Muratori, Annali d'Italia ad a. 932.

65. Post Joannem XI successit *Leo VII* Romanus ab anno 936 ad annum 939; eum excepit *Stephanus VIII* Romanus, qui tribus annis et quatuor mensibus pontificatum tenuit. Eo defuncto, anno 942, electus est *Marinus II* Romanus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 946; huic successit *Agapetus II* Romanus, qui decem annis Ecclesiae praefuit. Hi Pontifices omnes virtutum laude floruerunt, atque res ecclesiasticas tum Romae tum in orbe christiano sollicite administrarunt; pacem quoque et concordiam inter Italiae principes servare vel restituere studuerunt,[1]) observationemque disciplinae ecclesiasticae quantum poterant urgere. Sed principatus civilis Romae interim erat penes Albericum principem, atque is forte influxu suo curavit, ut in Sedem Apostolicum eligerentur, qui aetate jam provecti et rebus quidem ecclesiasticis administrandis pares erant, impares tamen, ut amissam potestatem temporalem sibi iterum vindicarent. Ut ita existimemus suadet tum rei natura, tum quae Flodoardus habet in laudem Leonis VII Pontificis, quo regnante ipse Romam venit, et quae ab aliis de successoribus ejus referuntur. Laudant enim praesertim mansuetudinem, orationis et pacis studium, disciplinaeque sollicitudinem in hisce Pontificibus.[2]) Maxime Agapetus II per decem annos regi-

Leo VII. — Stephanus VIII.

Marinus II. Agapetus II.

[1]) Pacis conciliandae causa inter Albericum et Hugonem regem iterato in Italiam ac Romam vocatus est S. Odo Abbas Cluniacensis, qui eo tempore celeberrimam illam Benedictinorum Congregationem fundavit et propagavit.

[2]) Juvabit hic citare versus, quibus Flodoardus Leonis VII elogium canens suum Poëma concludit. Pontificem Leonem VII ad vivum depingunt.

„Septimus exsurgit Leo, nec tamen ista volutans,
Nec curans apices mundi, nec celsa requirens:
Sola Dei quae sunt alacri sub pectore volvens,
Culminaque evitans, oblata subire renutans,
Raptus at erigitur, dignusque nitore probatur
Regminis eximii, Petrique in sede locatur.
Sed minime adsuetum linquit decoramine curam
Deditus assiduis precibus, speculamine celsus.
Affatu laetus, sapiens atque ore serenus.

minis seu rebus ecclesiasticis ordinandis atque firmandis etiam extra Italiam operam dedit. Inter alia Maximum episcopum Polymartiensem in Galliam ac Germaniam misit, ut pacem publicam firmaret et varia negotia ecclesiastica difficilia sua auctoritate dirimeret. Speciatim tunc turbatus Ecclesiae Rhemensis status sollicitudinem Pontificis excitabat; Hugo enim et Artaldus de episcopatu Rhemensi jam ex pluribus annis decertabant. Maximus cum multis archiepiscopis et episcopis Germaniae synodum habuit a. 948 Ingelhemii, cui adfuerunt etiam Otto rex Germaniae et Ludovicus IV rex Galliae. Multa ibidem in Ecclesiae et regnorum salutem disposita sunt, quae Agapetus anno sequente apostolica sua auctoritate firmavit.

Propagatio Christianismi.

66. Hoc tempore religio christiana etiam magna incrementa nacta est apud Slavorum gentes in Moravia atque Bohemia: inde a mediante saeculo decimo in Hungaria quoque Christianismus propagatus fuit, et in fine hujus saeculi totus populus conversus est. In Dania pariter religio christiana radices fixit, et versus annum 948 Haraldus rex ab Ottone M. bello devictus baptismum suscepit. Tunc Otto M., qui supremum in Daniam dominium habebat, episcopatus Slevicensem, Ripensem et Arhusianum fundavit, eosque subdidit archiepiscopo Hamburgensi Adaldago, cui Agapetus II suas vices pro Dania et caeteris regionibus septentrionalibus demandaverat.

Qui me visentem aetherei pia limina Petri
Jucunde excipiens, animo quaesita benigno
Admisit, favitque pie, studuitque modeste:
Famina grata serens, epulis recreavit utrisque
Corporis atque animae: benedixit et oscula libans
Ac geminans dono cumulatum muneris almi
Pergere laetantem amplexu dimisit honoro.
Quem Pater omnipotens alacrem cultuque venustum
Attollat, servetque diu, digno excolat actu:
Et cum Praesulibus sanctis, consortia quorum
Promeruit, sedis praestet super aethera sedem:
Cum quibus aeternum maneat praeclarus in aevum."

67. Quodsi ea quae disputavimus de Pontificibus inde a Formoso usque ad Agapetum sedentibus perpendantur, consequi censemus, sententiam Baronii aliorumque, qua Sedem Apostolicam primis decenniis saeculi decimi foedissima in conditione, imo sentinam vitiorum, fuisse opinati sunt, veritate non niti. Verum quidem est, splendorem illum diminutum fuisse, quo paulo ante effulserat sedes Romana, ac factionum luctamina procerumque Romanorum influxum et potentiam nociva fuisse liberae electioni Pontificum eorumque auctoritati ac principatui civili. Sed etiamsi viri, qui illis decenniis Ecclesiae praefuerunt, non omnes aeque sanctitate atque virtutibus emicuerunt, imo in vita quorundam, uti Stephani VI et Sergii III, facta improbanda occurrunt, attamen longe abest, ut fere omnes monstra, vel homines indigni dici possint. Ea vero, quae ipsis objecta fuerunt vitia turpia, conficta fuisse et calumniis attribuenda, criticâ sanâ adhibitâ aequum est pro certo habere. — Lugendum sane est, morum relaxationem in clero, in monasteriis atque in multitudine fidelium in Italia aliisque regionibus interim auctam fuisse. Sed continuis factionum litibus, perversitati principum, eorum bellis et influxui in res ecclesiasticas, quo abutebantur, id tribuendum est. Obnitebatur Sedes Apostolica; attamen quum implicati saepe essent Pontifices factionum luctae, eorumque vigor esset imminutus, etiam hac in parte aliquid defuit virium, passimque conatus illi frustrati sunt. — Jam accedimus ad alteram saeculi decimi mediam partem, ut gesta et fata Pontificum illius temporis examinemus. Status Ecclesiae.

68. Quum adhuc Sedem Beati Petri teneret Agapetus II, anno 954 obiit Albericus II Princeps et Senator Romanorum.[1] Alberici in Urbe dominationi haud de- Alberici II mors.

[1] Ex documento aliquo anni 955 colligitur, Alberico II, praeter Joannem XI, alium fuisse fratrem Constantinum, qui dicitur *nobilis vir.* Praeterea nominantur duae sorores, utraque nomine Bertha. (Cfr. Marino, Papini diplom. p. 30. dipl. XXVII. cit. ap. Leo Gesch. Ital. B. I. S. 320). Constantinus habetur filius Alberici I et Marotiae; unam saltem

fuerunt quaedam bona, eaque Romanis non erat exosa. Albericus enim clero honorem deferebat, varia monasteria ditabat, simulque eorum reformationi studebat. Speciem quandam principatus reliquerat Pontifici, ita ut per salutem Pontificis juramenta praestarentur, ejus imago simul cum imagine Alberici in nummis excusa esset, et in diplomatibus anni pontificatus designarentur. Passim Albericus se fere ut Pontificis Patricium et Vicarium exhibebat. Nec tamen principatus temporalis Romae post mortem Alberici recuperatus est a Romano Pontifice, sed Octavianus Alberici filius, qui clericus erat, eo potitus est. *Alberico Patricio Romanorum defuncto,* scribit Flodoardus in Chronico ad a. 954, *filius ejus Octavianus cum esset clericus, principatum adeptus est.* Quum vero duobus post annis Agapetus II obdormisset in Domino, in Sedem Apostolicam successit ei iste Octavianus. *Quique postea,* pergit l. c. Flodoardus, *defuncto Agapeto, suggerentibus Romanis, Papa Urbis efficitur.*

Octavianus filius.

Pontifex creatur

69. Videtur Albericus ante mortem res ita disposuisse, ut filius ejus post obitum futurum Pontificis in ejus successorem eligeretur, atque hac ratione principatus civilis suae familiae servaretur, ac jura Sedis Romanae quadamtenus cum usurpatione illa conciliarentur. Lucem quandam hac in re afferunt ea quae stylo suo barbaro scribit in Chronico Benedictus de s. Andrea. „Erat denique in sanctis sedis apostolice Agapitus nomine. Post haec non multum tempus gloriosus princeps (Albericus II) languescere coepit. Qui festinus ad ecclesiam principis

ex illis sororibus censerem fuisse natam ex connubio Marotiae et Guidonis, cujus mater Bertha appellabatur. Satis enim indicat Luitprandus, Marotiam ex Guidone habuisse liberos, dum ejus cum Hugone matrimonium hisce versibus carpit:

„Nubere germanis satagens Herodia binis,
Immemor aspiceris praecepti caeca Joannis,
Qui fratri vetuit fratris violare maritam.
Haec tibi Moyseos non praestant carmina vatis,
Qui fratri sobolem fratris de nomine jussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum:
Nostra hic peperisse viro te saecula norunt."

Antapod. L. III. c. 12.

apostolorum devenit, nuntius transmissos per cunctos Romanos nobiles ad se venire fecit; et omnes promiserunt fide per sacramentum, ut Octabianus filium suum post mortem Agapiti pape Octabianus papa eligerent. Ordinate germane causa, et Octabiani filii sui, infra confessione beati Petri apostoli, vita finivit. — Inter haec non multum tempus Agapitus papa decessit. Octabianus in sede sanctissima susceptus est, et vocatus est Johannes duodecimi pape."[1]) Ex hisce colliges, etiam suffragia nobilium, populi ac cleri saltem majori ex parte in Octavianum convenisse, ita ut ipse valida electione crearetur Pontifex, nec dici possit invasisse Sedem Apostolicam, uti Baronius existimavit.[2]) Sane inde ab initio ab universa Ecclesia agnitus est. Atque combinatio ista, qua Octaviano, jam Romanorum principi, etiam spiritualis summa potestas conferretur, videri poterat multis prudens et conveniens, ita ut minus attenderent ad Octaviani adolescentiam et indolem. Ea enim est multorum hominum natura, ut prompti sint ad transactiones, quibus summam rerum sartam ac salvam esse existimant, utque incommoda et mala, spe quadam falsa decepti, haud attendant et curent. Videlicet non satis attenderunt electores Romani, in summo Pontifice imprimis requiri eas virtutes ac mores, quae summo sacerdotio conveniunt; atque ita neglectis canonibus Pontificem constituerunt adolescentem, qui tali muneri minus aptus erat, nec virtutis probatae habebat merita.

70. Juvenem fuisse Octavianum quum in Sedem Apostolicam elevaretur, scriptores conveniunt; quot vero aetatis annos habuerit non una est omnium sententia. Baronius inter alia haec habet: „Constat quidem, Luitprando auctore et aliis, quod pater ejus duxit Aldam Hugonis regis filiam anno nongentesimo trigesimo sexto circa finem ejus: adeo ut ipse etiam si primogenitus fuit, non potuerit nasci ante annum trigesimum septimum, qua ratione dicendum esset, ipsum ad summum non nisi annos decem et octo habere Ejus aetas.

---

[1]) V. M. G. SS. III. p. 717.

[2]) Ad a. 955 n. 1.

potuisse, cum invasit Pontificatum. Verum ipsum non fuisse primogenitum, ex eo possumus intelligere, quod cum constet ante haec vitam clericalem amplexum esse, alium cui principatus deberetur natum esse ante ipsum oportuisse. Sed demus, primogenitum ipsum fuisse primoque anno conjugii natum, certe (ut dictum est) nonnisi agentem decimum octavum creatum Pontificem oportuit."[1] Haec quidem venerabilis Cardinalis scite animadvertit: alia tamen suppositio exstat, quae praeferenda videtur. Nititur autem iis quae in suo Chronico de Alberico habet

Inquiritur de [illegible]

Benedictus de s. Andrea.[2] Ex his videlicet conjici potest, Octavianum natum esse aliquot annis antequam Albericus duceret Aldam, ex unione illegitima, vel ex conjugio quodam cum muliere inferioris conditionis. Post vero, anno 936, Albericus matrimonium iniit cum Alda filia Hugonis regis, cumque ex hac nobilissima femina prolem speraret, Octavianus statui ecclesiastico destinatus est. Sed Alda obiit, quin liberos Alberico genuisset, ac dein princeps hic qui adhuc florida erat aetate, consilium iniit, ut ex stirpe Imperatorum graecorum uxorem duceret, ea de re per legatos Constantinopoli egit, nuptiasque praeparavit. Spera-

---

[1] Ad a. 955 nn. 3. 4.

[2] Scribit Benedictus: „Ad Albericum principem vertamur articulum, et qualiter a regibus terre Longobardorum seu Transalpine nullus robore suis temporibus in Romane finibus non sunt ingressi. Genuit autem ex his principem ex concubinam filium, imposuit eis nomen Octabianus. Consilio emit Albericus principis, ut de sanguine Grecorum imperatorum sibi uxore sociandam. Transmissus Benedictus Campaniam a Constantinopolim, ut perficeret omnia, qualiter sibi sociandos esset. Romani secundum consuetudinem malignam consiliaverunt, ut principem occiderent, que consilia eorum Albericus innotescit." Tradit dein quaedam de hac conjuratione cui se sociaverint etiam Alberici sorores, et quomodo per unam ex sororibus conjuratio innotuerit principi isque rebellionem feliciter represserit. „Liberatusque est princeps ad seditio Romani. Que post haec cogitavit, ut de nobiles Romane pulcherrime femine in ancillis potestatem domui suae praeesset, ut conjuge suae Grecorum genere in aspectibus Grecorum in nuptialis diebus donaria concedere: et sic adimpletum est. Non tantum de hurbis Romae, sed etiam de Savinensis. Sic adimpletum est, veruntamen ad thalamum nuptiis non pervenit." Albericus videlicet languescere coepit et brevi post mortuus est. V. Pertz M. G. SS. III. 717.

bat sane, adhuc filium ipsi nasciturum ex unione ejusmodi, qui in principatu Romano succedere posset. Sed antequam ad nuptias perveniret languescere coepit, quumque finem vitae appropinquare persentiret, consilio inito cum nobilibus Romanis, uti vidimus, res ita disposuit, ut Octavianus succederet in principatu ac post obitum Agapeti II etiam in Pontificem eligeretur. — In hac igitur suppositione sat probata, Octavianus quum versus finem anni 955 in Pontificem crearetur, ultra octodecim annos habebat, cumque saltem viginti duorum fuisse annorum, uti quidam existimant, facile crediderim. Neque obstat, quod Otto Imperator anno 963 quum ipsi Joannis facinora referrentur dixerit: *Puer est, facile bonorum immutabitur exemplo virorum.*[1]) (Quum Joannes enim in adolescentia ad Sedem Apostolicam evectus esset, juvenilem levitatem ea ratione Otto designare potuit. Neque *pueri* verbum urgendum est; haud constat enim, an Luitprandus, auctor levis, ad amussim Imperatoris dictum referat, et qua voce Otto, (idiomate forte Germanico,) usus sit.[2])

71. Octavianus primus fuit inter Pontifices, qui mutato nomine *Joannes XII* appellari voluit. — Diminutam Sedis Apostolicae potestatem quoad dominationem temporalem, ipse roborare nisus est, suscepta a. 959 expeditione bellica minus felici adversus duces Capuanum et Beneventanum; ac dein per foedera cum variis principibus Italiae, eundem scopum prosecutus est. (Qua quidem in Joannes XII.

---

[1]) De rebus gestis Ottonis Magni Imp. c. v. M. G. Scr. III. 341.

[2]) Cfr. de Joannis XII ortu etiam Damberger Gesch. IV. p. 884 sqq. — Haud mirum videri debet, Octavianum, si forte filius illegitimus Alberici fuit, ad statum clericalem ac dignitates ecclesiasticas destinatum fuisse. Etenim jam passim illa aetate abusus iste invenitur, ut principum filii nothi Ecclesiae devoverentur. — In sedem Moguntinam a. 954 elevatus est Gulielmus Ottonis M. filius; haud plane certum est, utrum illegitimus fuerit, an ex Editha Ottonis uxore natus. Certe admodum adolescens erat Gulielmus. Otto enim natus est a. 912, Editham vero duxit uxorem a. 931–932. (Cfr. Damberger, IV. 620. 841.) Unde vides, ea aetate haud tanto scandalo esse potuisse, quod Romae Joannes XII adolescens Pontifex fieret.

re per se non culpandus videtur, sed ob ardorem bellicum et modum agendi saecularem, reprehensionem variorum incurrit. — Mox Joannes XII a Berengario II Italiae rege, qui ditionis ecclesiasticae multa territoria jam occupaverat, in magnum discrimen vocatus est. Hinc Pontifex sese vertit ad Ottonem I Germaniae regem, ut ab eo auxilium protectionemque obtineret.

Otto M. invitatur.

72. Berengarius II videlicet, antea marchio Ivreiae, anno 946 Hugonem regem cognatum suum compulerat ad cedendum Italiae regnum Lothario filio suo. Sed anno 950 post Lotharii mortem (vel necem) Berengarius regnum Italiae ipse capessiverat, et Adelaidem vicennem Lotharii viduam, quum nuptias cum Adalberto Berengarii filio recusaret, in carcerem conjecerat. Otto M. rex Germaniae ab Adelaide et proceribus Italiae evocatus, tunc cum exercitu in Italiam tetendit, Adelaidem liberavit eamque quum viduus esset [1]) anno 951 Ticini in uxorem duxit, et Italiam in suam redegit potestatem. Attamen anno 952 Berengario, qui se sponte reddiderat, Italiam in feudum concessit, atque ita Berengarius II iterum regnavit. Sed ipse debita vasalli nequaquam fideliter implevit: cum filio suo Adalberto dura tyrannide proceres et populum premebat, multisque injuriis Joannem XII Pontificem afficiebat. Hinc Pontifex aliique Italiae episcopi et proceres legatis missis Ottonem M. evocaverunt, ut Italiam et Ecclesiam a Berengarii dominatione liberaret. Ottoni Joannes XII etiam coronam imperialem obtulit. Otto jurejurando coram Pontificis legatis spopondit, se Ecclesiae opem laturum, quidquid de terra s. Petri in suam potestatem venisset se redditurum, et cuicumque regnum Italiae commisisset, eum se obstricturum esse ad defendendum Pontificem. Dein anno 961 exercitum in Italiam duxit; fugatis sine praelio Berengario et Adalberto, Mediolani rex Italiae coronatus est. Mense Januario anni

[1]) Otto M. primam uxorem duxit (a. 931—932) Editham Anglam, ex qua habuit Ludolphum et Luitgardam filiam. Obiit Editha a. 946.

962 Romam progressus, a Joanne XII honorifice exceptus, atque die 2ª Februarii in Imperatorem coronatus est cum Adelaide uxore, postquam Imperium Romanum inde a morte Berengarii I (a. 924) vacasset. Otto cuncta Apostolicae Sedis possessiones et jura temporalia ac donationes Pipini et Caroli M. confirmavit, varia territoria Sedi Apostolicae erepta restituit, ac se Ecclesiam et Sedem Romanam protecturum esse promisit.[1]) Pontifex vero et Romani polliciti sunt, se Ottonis hostibus (Berengario et Adalberto) auxilia praestituros non esse. Verum concordia inter Ottonem M. et Joannem XII Pontificem haud diuturna fuit. Otto M. Imperator.

73. Quemadmodum Otto jam ante in Germania dignitatem suam regiam amplificare, ac potestatem principum aliorum, qui ipsius feudatarii erant, coarctare nisus est, ita Imperator factus ultra modum auctoritatem suam exercere et extendere voluit. Dominationem supremam in ditionem ecclesiasticam sibi eo modo vindicabat, ut Pontificis principatum civilem laederet. Non alia ratione enim patrimonium Petri considerabat, quam reliqua Imperii territoria, quorum principes ipsi, ut vasalli supremo domino, subjecti erant. In res quoque ecclesiasticas Otto jam in Germania passim sese immiscuerat, ita ut Gulielmus archiepiscopus Moguntinus, filius ipsius Imperatoris, identidem jura Ecclesiae contra patrem vindicare debuerit. Erat quidem Otto M. Ecclesiae addictus et ad religionem propagandam ac firmandam promptus; sed suo arbitrio tum res civiles tum res ecclesiasticas ut Imperator disponere satagebat, Ecclesiamque ita protegebat, ut in eam exerceret tutelam, qua jura illius passim postponebat atque violabat. Ottonis tendentia.

74. Hinc Joannes XII mox advertit, per Imperatorem auctoritatem suam civilem, imo etiam ecclesiasticam, valde coarctari. Praeterea vero Romae factiones variae erant, eaque nobilium pars quae independentiam natio-

[1]) De coronatione Ottonis in Imperatorem inferius accuratius agetur.

nalem propugnabat. Ottoni ejusque potestati parum addicta, facile ad alios Italiae principes, Ottonis adversarios, sese vertit. Ad hanc partem nationalem tunc certe pertinebant membra varia familiae ipsius Joannis XII, nec mirum est Pontificem, qui Ottoni jam merito vehementer diffidebat, influxu illorum nobilium varia egisse quae Imperatori suspecta erant. Perdifficile est accurate determinare quae ex utraque parte advenerint: Luitprando, a quo solo quae huc pertinent fusius describuntur, fides integra non potest haberi. Ottonis enim partes ipse sequebatur vili cum adulatione Imperatoris, et animo in ejus adversarios invido et iracundo: actor ipse fuit in iis quae contra Joannem XII nefarie commissa sunt, ejusque proinde intererat, ut Joannem perversitatis maximae argueret. Homo igitur levissimus, in rebus profanis potius versatus quam de rebus sacris ac de Ecclesiae juribus sollicitus, omnia pro suo modulo angusto describit, exaggerat, scenice repraesentat. Quamvis forte non ex professo turpia proponat mendacia, tamen valde dubia sunt facta singillatim spectata quae ex eo promuntur, et ea eventuum explicatio quae apud ipsum invenitur.

Discordia oritur.

75. Si Luitprando fides habeatur Joannes Papa post Ottonis discessum, contra jusjurandum Imperatori praestitum, cum Berengario II ejusque filio Adalberto foedus iniit ad expellendos ex Italia Germanos, atque in hunc finem Adalbertum in Urbem revocavit. Censerem, motus ejusmodi praesertim a factione nobilium Italiae prodiisse, quamvis non usque ad foedus cum Berengario res pervenerit; Joannem vero quum Otto Imperator promissa haud adimpleret, non restitisse iis conatibus, quumque Adalbertus Romam veniret, honorifice eum excepisse. Quum illa ad Imperatorem fuissent delata, is legatos cum litteris Romam destinavit, et cum Pontifice gravissime expostulavit, tum de injuria sibi facta, tum de pravis ut ei ex parte Romanorum relatum fuerat Pontificis moribus. Joannes XII ex sua parte questus est, quod Imperator contra promissa Romae facta civitates ad Romanam ecclesiam pertinentes compulisset ad praestandum sibi fidei juramentum,

quod Leonem episcopum et Joannem Cardinalem diaconum, quos Pontifex legaverat Constantinopolim, atque litteras quas ferebant intercipi jussisset, quodque alium episcopum et presbyterum, missos ad praedicandum Hungaris Evangelium custodiae tradidisset. De hisce capitibus legationibus utrimque missis diceptatum est, quin concordia restitueretur. Ex parte Joannis XII legati ad Imperatorem fuerunt Leo protoscriniarius et Demetrius ex optimatibus Romanis; Imperator misit ad Pontificem Luitprandum Cremonensem et Landoardum a Saxonia Numendensem (Mindensem) episcopos. *Quorum etiam militibus*, scribit Luitprandus, *hoc Imperator justus imposuit, ut si secus Dominus Papa non crederet, duello verum esse approbarent... Sed non juramento, non duello* (jure merito sane) *satisfactionem Papa recipere voluit, sed in eadem qua fuerat duritia permansit.*[1]) Misit tamen Pontifex adhuc novos legatos Benedictum Cardinalem diaconum et Joannem Narniensem episcopum, sed sine fructu.

76. Versus finem anni 963 Otto cum exercitu Romam profectus est; Joannes XII primum quidem sese strenue defendere cogitavit, ac se ipsum lorica induit armaque sumpsit, sed consilio mutato cum Adalberto fugam arripuit. Imperator urbem ingressus omnes ordines compulit ad jusjurandum, se deinceps nullum electuros Pontificem, nisi ex ejus filiique ipsius auctoritate. Deinde indixit in causa Joannis XII synodum, quae pluribus sessionibus mense Novembri ac Decembri illius anni in basilica s. Petri habita est. Imperator, quum Joannem resistere videret amplificationi illi imperialis auctoritatis quam prosequebatur, revera ob ejusmodi motiva politica Pontificem e Sede Apostolica dejicere nisus est. Pontificis mores praebuerunt hac in re praetextum, quum antea in his nihil offensionis esset inventum. Adfuerunt synodo episcopi Itali et Germani, qui cum Ottone venerant, numero circiter quadraginta, Cardinales sexdecim, plures clerici, laici nobiles et milites. A Luitprando quidem gesta depin-

Otto M. Romae.

---

[1]) De rebus gestis Ottonis c. VII. l. c.

guntur, ac si unanimi consensu omnia peracta essent, sed haud dubium est atque ex eventibus qui subsecuti sunt id colligitur, Romae permultos Ottonis conatibus oppositos fuisse, praesulesque plures non nisi invitos sustinuisse ea, quae influxu et metu Imperatoris fiebant.

Synodus contra Joannem.

77. Ex Luitprando igitur Imperator concilium adaperiens petivit, ob quam causam Joannes sanctam synodum declinaret. *Tunc Romani pontifices et cardinales, presbyteri ac diaconi cum universa plebe dixerunt: Miramur, sanctissimam Prudentiam vestram nos hoc velle percontari, quod nec Ibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet.* — Jam vides, Luitprandum modo consueto rhetorem agere; haec enim certe non a synodi patribus dicta sunt, sed juxta modum loquendi poëtarum a Luitprando verba disponuntur. — Tunc variorum criminum Pontifex accusatus est a praesentibus, et Imperator atque episcopi datis ad Joannem papam litteris eum ad synodum vocarunt, ut se a criminibus istis purgaret. Joannes XII autem pro responso ad eos misit excommunicationis libellum,[1]) si alium in ejus locum constituerent Pontificem. Praesules adhuc, si Luitprando fidendum est, aliud rescriptum ad Joannem dederunt satis ineptum,[2]) quo iterum Pontificem compellunt, ut ad synodum veniat, eique, nisi accedat, excommunicationem minantur; sed legati eum Tibure non amplius invenerunt, *pharetratus enim in campestria jam abierat,*

---

[1]) „Joannes Episcopus, servus servorum Dei, omnibus Episcopis: Nos audivimus dicere, quia vos vultis alium Papam facere: si hoc facitis excommunico vos de Deo omnipotente, ut non habeatis licentiam nullum ordinare et Missam celebrare.“ Luitprandus l. c. c. 13.

[2]) Inter alia Pontificis epistolam irrisorie ita carpunt: „Est et aliquid vestris in litteris scriptum, quod non episcopum sed puerilem ineptiam scribere deceret. Ita enim scriptum erat: *Ut non habeatis licentiam nullum ordinare.* Nunc usque putavimus, imo vere credimus, duo negativa unum facere dedicativum, nisi vestra auctoritas priscorum sententias infirmaret auctorum.“ Luitprandum scripsisse illam epistolam, ejus indoles et stylus suadent; sane magnas partes eum habuisse in hujus pseudosynodi directione, ex ipsius narratione colligi potest.

nec quisquam erat qui his (legatis), *ubi ipse esset, indicare posset.*[1])

78. Dein die quarta Decembris tertia sessio habita est. Imperator praesules alloquens commemoravit tunc *politica* Joannis *delicta*, quod videlicet ab Ottone contra hostes suos roboratus et firmatus, juramenti et fidelitatis oblitus seditiones moverit, et cum hostibus foedera contra Imperatorem inierit. Sententiam synodi dein petiit. Praesules vero atque caeteri qui concilio aderant, insistentes criminibus Pontificis, edixerunt, Joannem qui non tantum sibi malus erat, sed alios etiam pravis moribus pervertebat, e cathedra Petri pellendum aliumque Pontificem eligendum esse. Imperator sententiam approbavit. Quapropter Joannes XII depositus fuit, et in ejus locum electus Leo protoscriniarius, qui adhuc laicus erat, vel saltem nondum in ordinibus majoribus constitutus. Paulo post consecratus est, et *Leo VIII* appellatus. — Manifestum vero est, ipsum antipapam fuisse, omniaque irrita, quae in ista synodo contra Joannem XII tentata fuerunt. Merito Baronius postquam gesta hujus synodi enarravit, subdit: *In qua gravissima actione, sed levissime et perfunctorie pertractata, quam multipliciter peccatum sit, quamque enormiter erratum, nec puto pro dignitate me consequi verbis posse. Unum loco omnium hoc satis habeto, nunquam me legisse, orthodoxorum conventum synodalem aliquando habitum, in quo magis ecclesiasticum jus offensum, magis canones violati, vulnerata traditio, conculcata, oppressa, ac majore dedecore prostrata justitia.*[2]) Sane illud principium quod cum primatu Romani Pontificis intime cohaeret, *primam Sedem a nemine judicari*, quodque vidimus tempore Symmachi ac Leonis III sancte servatum, imo semper in Ecclesia agnitum, turpissime ab Ottone ejusque conventu violatum fuit.

Leo VIII antipapa.

79. Quum partem sui exercitus dimisisset Imperator, Romanorum pars ei opposita seditionem mox excitavit; sed eadem die 3ª Januarii anni 964 ab Ottone M. cum

---

[1] Luitprandus l. c. c. 14. [2]) Ad a. 963 n. 31.

vigore repressa est. At quamprimum Imperator discessit, nova seditio Romanorum exarsit, Leo VIII ex urbe ejectus atque Joannes XII revocatus est.[1]) Satis severe adversarios aliquos perhibetur punivisse; dein vero die 26° Februarii anni 964 ad s. Petrum synodum habuit, in qua Ottonis conciliabulum rejectum, ac Leo VIII ut illegitimus Pontifex damnatus est. Adfuerunt huic concilio etiam quatuordecim praesules, qui ante in pseudosynodo Ottonis a Joanne XII defecerant. Sico episcopus Ostiensis, qui Leonem consecraverat, depositus est, ac ii qui a Leone ordinati fuerant, aut munera ecclesiastica acceperant, gradibus et officiis suis dejecti sunt.[2]) At non multo post, videlicet die 14° Maji Joannes XII, quantum videtur, apoplexia correptus, e vivis sublatus est.

Joannes XII revertitur.

Moritur.

80. Jam de criminibus, quorum Joannes accusatus est, pauca dicamus. Eadem a Luitprando fusius recensentur. Nuntiis qui ab Ottone missi erant, ut explorarent qua ratione res sese haberent, secundum ipsum Romani conquerentes de Joannis moribus inter alia haec dixerunt: „Imperator quemadmodum re ipsa experti sumus ea quae Dei sunt sapit, operatur, diligit, ecclesiastica et saecularia negotia armis tutatur, moribus ornat, legibus emendat; Joannes Papa his omnibus adversatur. Non clam est populo quod fatemur. Testis est Rainerii sui ipsius militis vidua, quam caeco captus igne multis praefectam urbibus, sacrosanctis beati Petri donavit aureis crucibus atque calicibus. Testis est Stephana ejus amita (al. *amica*), quae in effusione quod ex eo conceperat recens hominem

---

[1] Inepte Luitprandus, pro more suo ubique scandala quaerens: „Interea mulieres quibuscum Joannes qui dictus est papa voluntatis suae ludibrium exercebat, non ignobiles et plures, concitaverunt Romanos, ut Leonem summum et universalem Papam a Deo et ipsis electum perderent, et Joannem in urbem susciperent“ — Motus profecto concitati sunt a factione Itala, imo a plurimis Romanis, inter quos nobiles quoque mulieres fuisse non est dubium. Quae vero insinuat Luitprandus, ut ipsius figmenta habenda sunt.

[2]) V. synodi Acta app. Labbe IX, 653 sqq. Cfr. Hefele C. G. B. IV. S. 520.

exuit. Quodsi cuncta taceant, Lateranense palatium Sanctorum quondam hospitium, nunc prostibulum meretricum, non silebit amitam (al. *amicam*) conjugem Stephaniae alterius (al. *patris*) concubinae sororem. Testis omnium gentium praeter quam Romanorum, absentia mulierum quae sanctorum Apostolorum limina orandi gratia timent visere, quum nonnullas ante dies paucos hunc audierint conjugatas, viduas, virgines vi oppressisse. Testes sunt sanctae Apostolorum ecclesiae, quae non stillatim pluviam, sed totum intrinsecus supra ipsa etiam sacrosancta altaria imbrem admittunt. Quanto nos terrore tigna afficiunt, cum divinam opem eodem deposcimus! Mors in tectis regnat, quae nos orare multa volentes impedit, atque domum Domini mox linquere cogit. Testes sunt non solum juncearum curaturae, sed et quotidianarum formarum mulieres. Cui eaedem sunt, et ,silicem pedibus quae conterunt atrum‘ (Juvenal. Sat. VI 350), et quae magnorum subvehuntur adjutorio jumentorum.“ In synodo vero quam Otto M. Romae habuit, eaedem atque aliae accusationes, secundum Luitprandi narrationem, allatae sunt. „Consurgens, scribit, Petrus Cardinalis presbyter, se vidisse illum Missam celebrasse et non communicasse, testatus est. Joannes episcopus Narniensis et Joannes Cardinalis diaconus, se vidisse illum diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus sunt professi. Benedictus [1]) cum caeteris condiaconis et presbyteris dixit se scire, quod ordinationes episcoporum pretio faceret, et quod annorum decem episcopum in Tudertina civitate ordinaret. De sacrilegio non esse necesse percontari dixit, quia plus videndo quam audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quod oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Rainerii et Stephanam patris concubinam, et Annam viduam cum nepte sua abusum esse, et sanctum palatium lupanar et prostibulum fecisse; venationem dixerunt publice exercuisse; Benedictum spiritualem patrem suum lu-

[1]) Iste Benedictus erat archidiaconus et adversarius acer Joannis, ac distingui debet ab alio Benedicto Cardinali diacono qui Joanni XII successit.

mine privasse et mox mortuum esse; Joannem Cardinalem subdiaconum virilibus amputatis occidisse; incendia fecisse; ense accinctum, galea et lorica indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam clerici quam laici acclamarunt. In ludo aleae Jovis, Veneris, caeterorumque daemonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas et canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se munivisse professi sunt."

81. Istae igitur sunt foedissimae accusationes, secundum Luitprandum in Joannem latae. Haec autem animadvertenda veniunt: 1° Considerata Luitprandi indolis levitate ac studio partium generatim multa hac in re dubia manent atque obscura, nec absoluta fides illi scriptori quoad totam suam descriptionem haberi potest. — 2° Etiam hoc loco Luitprandus suo modo rhetorem agit, et ipse aliis suos sermones classicorum sententiis ornatos substituit. Certe enim Luitprandi, non Romanorum, est ille versus ex Juvenali desumptus. Rumores igitur sparsos suis verbis auctor exhibet. — 3° Exaggerationes autem in hisce adesse non minimas, consideranti satis patet. Nonne e. g. ruinam tectorum in basilicis et imminentem ex tignis mortem describit, ac si per saeculum nihil restauratum esset et omnia corruerent. Atqui ante Joannem plures sederant Pontifices optimi, et praedecessor Agapetus II certe non in tam misero statu res reliquit. Joannes XII autem tantum ex paucis annis Sedem apostolicam obtinebat, et brevi illo spatio non potuit tanta exoriri ruina. Quaenam vero quoad Joannis luxuriam sint vera, quaenam falsa vel fama exaggerata, difficile est dirimere; exaggerata apud Luitprandum esse varia facta, pro certo habemus. — 4° Attamen non negamus ex ipsis rumoribus multiplicibus colligi, Joannis vitam haud fuisse Pontifice plane dignam, atque ipsum, annis adolescentem, tum profanis occupationibus tum moribus liberioribus indulsisse. Opinionem malam de Joanne XII extitisse, tum ex Luitprando tum ex aliquot aliis scriptoribus illius temporis colligitur, ac sine fundamento ejusmodi malam famam fuisse, hoc in casu aegre supponi potest.

Observationes criticae.

82. Convenit autem in re non satis eliquata, ut quae in aliis scriptoribus inveniuntur breviter tangamus. Ratherius Veronensis in suo opere *de Contemptu canonum*, quod ineunte anno 964 scripsit, pluries ad Joannis XII malam famam ac gesta alludit.[1]) Scribit n. 6: *Coepi intra secreta cordis conari, si forte invenire valerem generalis unde contigerit canonum iste divinitus promulgatorum adeo solis istis* (i. e. terris istis Italicis) *contemptus, ut neminem invenire eorum valeam curatorem a vilissimo utique ecclesiae usque ad praestantissimum, a stultissimo usque ad illum qui sapientissimus affectat vocari, a laico usque ad Pontificem* (*proh nefas!*) *summum.* Pontifex summus tunc erat Joannes XII, qui Sedem Apostolicam ejecto Leone VIII iterum ascenderat. De ipso sine dubio intelligenda sunt quae habet n. 12. Loquens de prohibitione, ne bigami admittantur ad clerum, pergit: *Si non bigami, qualiter multigami? si non ad clerum, quomodo ad sacerdotium! Pone tamen quemlibet eorum forte bigamum ante clericatum, forte in clericatu exstitisse lascivum; inde post sacerdotium multinubum, bellicosum, perjurum, venatibus, aucupiis, aleae, vel ebriositati obnoxium, expeti qualibet occasione ad Apostolicatum Romanae illius Sedis . . . Iste igitur si in legalitate publica . . . forte fuerit in Apostolica Sede locatus, quod utique patienter ut plurima permittere valet longanimis Deus: quem si ego adiero veluti injuriatus ad juris ministrum, et ille nisus injurias vindicare meas . . . ei Apostolicae auctoritatis miserit litteras, non ille, qui me tam sacrilege injuriarit, sed non adeo ut iste* (Pontifex) *Deum, et omnia jura tam divina quam humana, . . . ut dixi vero, si mei causa aliquid ei durius saltem mandaverit, nonne illico ille poterit ei rescribere: Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quae in oculo tuo est non consideras?* — Ostendit his, contemptum canonum imprimis inde provenire, quod Pontifex canones haud servans, nec alios efficaciter monere possit. Quae vero hypothetice ponit, manifeste Joannem XII spectant.[2]) Ita etiam

Ratherius Veronensis.

[1]) V. Opera Ratherii, p. 338, Veronae 1765.

[2]) Joannes XII in favorem Ratherii intervenerat, ejusque praecepto se restitutum esse in sede Veronensi indicat Ratherius in Opus-

inferius n. 19, quum locutus esset de variis vitiis et quaedam allegasset ex Psalmis, dicit: *Quam vero ista de Psalmo sint propria illi qui plurima praeeminet auctoritate, lector prudens valet advertere; qualis est utique ille, qui reus forsitan talium, Apostolicae dignitatis occupare non formidat, ut jam contigit, proh nefas! editum locum.* — Cum dubitatione aliqua loquitur quidem; attamen ex omnibus his colligitur, famam malam fuisse de Joannis vita parum digna.

Benedictus de s. Andrea.

83. De Joannis XII moribus profanis loquitur etiam Benedictus de s. Andrea in suo Chronico, quod versus finem hujus saeculi conscriptum est. Ait videlicet: *Octabianus in sede sanctissima susceptus est et vocatus Joannes duodocimi pape. Factus est tam lubricus sui corporis et audaces, quantum nunc* (non) *in gentilis populo solebat fieri. Habebat consuetudinem sepius venandi, non quasi Apostolicus, sed quasi homo ferus. Erat enim cogitio ejus vanum, diligebat collectio feminarum, odibiles ecclesiarum, amabilis juvenes ferocitantes. Tanta denique libidine sui corporis exarsit, quanta nunc* (non) *possumus enarrare.*[1]) — In concilio etiam anno 991 Rhemis in basilica s. Basoli habito, in quo plura auctoritati Sedis Romanae adversa peracta fuerunt, Arnulphus Aurelianensis episcopus invehens in Sedem Romanam dicit: *Vidimus Johannem cognomento Octavianum in volutabro libidinum.*[2]) Similia quoque Hermannus Contractus (qui obiit a. 1054) in suo Chronico habet. — Satis igitur constat, Joannem XII habitum esse illa aetate ut virum profanis moribus deditum. Censemus tamen, famam et Luitprandi dicteria hac in re varia exaggerasse, aliosque scriptores potuisse decipi, quum rerum testes non essent. — Lugendum sane fuit, Joannem XII minus dignum fuisse Pontificem, nihil tamen ex ejusmodi eventibus contra Ecclesiam ejusque divinitatem colligitur.[3])

---

culo *Itinerarium Romam euntis*, ad concilium a Joanne XII celebrandum. Se dicit enim *praecepto Apostolici qui tunc* (a. 962) *Romanae praeerat Sedi, restitutum* (n. 4.) Is autem erat Joannes XII.

[1]) Apud Pertz, Script. tom. III. p. 717.

[2]) Pertz t. III. p. 672.

[3]) Cl. Balan. auctor sane gravis, nec ex Luitprando actisque conciliabuli anni 963, nec ex aliis scriptoribus censet vitam indignam

84. Sed jam ad successores Joannis XII nos vertamus. Post ejus obitum Romani legatos miserunt ad Ottonem, nuntiantes, se in successorem illius velle eligere Benedictum Cardinalem diaconum; sed Imperator haud alium in Sede Apostolica voluit esse Pontificem, quam Leonem VIII. Romani autem nihilominus elegerunt quem **Benedictus V.** desiderabant, isque *Benedictus V* est appellatus.[1]) Imperator iratus cum exercitu Romam perrexit, et Romanos ad deditionem et ad suscipiendum Leonem VIII coëgit, (die

—

Joannis XII satis probari. Opportunum videtur haec ex ipso afferre: „Più che sospetti sono gli atti del conciliabolo lasciatici da Luitprando; ma fossero anche al tutto sinceri, mostrebbero la bassezza e la iniquità della radunanza assai più che la reità di Papa Giovanni . . . Ad esaminare con animo puro e calmo codesti atti di un sedicente concilio si è tratti a conchiudere che tutto fu una indegna commedia. Non dico innocente al tutto Giovanni, mancandomene prove; ma certo quel conciliabolo innocente lo mostra, tanto fu tenuto irregolarmente, con chiaro odio di lui, senza ordine, senza senno; nè reo possono mostrare Giovanni le parole degli storici tedeschi; essi lo giudicarono secondo gli atti del conciliabolo e secondo le passione di parte; nè fra loro v'ha un uomo di pietà conosciuta e di cuor retto. Luitprando essendo tutt' altro che scrittore onesto, Benedetto da S. Andrea rozzo e barbaro ammiratore degli Ottoni, essendo tutto favorevole alle usurpazioni imperiali che difese con uno schifoso libello pieno di bugie e di favole, gli altri essendo tedeschi e lontani. Ad ogni modo Giovanni non fu tanto vizioso quanto lo dicono i suoi nemici e, se innocente e pio non lo sostengo, neppure iniquo lo posso giudicare sui poco leali e meno sinceri ricordi che ci restano.“ Stor. d'Ital. L. XVIII. nn. XIV. XV. — „È Giovanni XII uno di quegli uomini che forse un dì appariranno assai diversi da quello che per molto tempo si credettero; le ire di parte ne vituperarono il nome ed egli è uno delle tante vittime di quelle ire. Ad ogni modo però qualunque si fossero i costumi di sua vita privata, fossero anche pessimi come alcuni ci dissero, è certo che nei suoi atti di pontificia autorità nulla v'ha di riprovevole, che fu intrepido anzi nella difesa della libertà della Chiesa e che come principe mostrò animo coraggioso ed altero, nè che fosse tiranno v'hanno altre prove fuori degli scritti dei suoi persecutori.“ Ib. n. XVII.

[1]) Ante electionem eos misisse ad Ottonem legatos, refert Petrus monachus et bibliothecarius monasterii s. Aegidii in Gallia (c. a. 1120) in *Vita Johannis XII.* Cfr. Watterich l. c. p. 48 et L. Idem habet Chronographus Farfensis. Recteque egisse Romanos nec fidem violasse dum Benedictum V elegerunt, ostendit Pagi, Crit. ad. a. 999. n. 9, ubi etiam textum Chronographi Farfensis invenies.

23° Junii a. 964). Brevi post Leo VIII synodum habuit, in qua depositus est Benedictus V. Is, si Luitprando credere fas est, declinavit sese defendere, dicens tantum: *Si quid peccavi, miseremini mei.* Suspecta plane sunt quae dein addit Luitprandus: „Ad domni Leonis papae pedes ipsiusque imperatoris isdem Benedictus concite procidens, se peccasse, se sanctae Romanae sedis invasorem esse acclamavit.“ Luitprandus amplificatione parum fideli etiam hoc loco quae acciderunt describit. Benedictus videlicet, vir mansuetus honorumque haud cupidus, humili modo cessit violentiae, cui resistere inutile videbatur. Dein in Germaniam abductus est traditus custodiae Adaldagi archiepiscopi Hamburgensis, qui eum in magno honore habuit. Hac de re scribit Adamus Bremensis: *Reversus ergo in patriam archiepiscopus duxit in comitatu suo Benedictum Papam ordinatum, sed tunc ab Ottone depositum, quem ille in Hammaburg custodiae mandari praecepit, archiepiscopus vero magno cum honore detinuit usque ad obitum ejus. Nam vir sanctus litteratusque dicitur fuisse, et qui dignus Apostolica Sede videretur, a populo Romano nisi quod per tumultum electus est, expulso eo quem ordinari jussit Imperator. Igitur apud nos in sancta conversatione vivens, aliosque sancte vivere docens, cum jam Romanis poscentibus a Caesare restitui deberet, apud Hammaburg in pace quievit. Transitus ejus quarto nonas Julii* (a. 965) *contigisse describitur.*[1])

Leo VIII. 85. Leo VIII haud diu Sedem Apostolicam occupavit, etenim jam ineunte mense Martio a. 965 obiit. Antipapa passim habetur; videtur tamen vir honestus fuisse, quumque laicus ipse esset vel in ordinibus minoribus tantum constitutus, ac non pauci episcopi deposito Joanne XII eum eligerent Pontificem, forte non intellexit, sibi non licere acceptare illam dignitatem. Advertit Papebrochius, quum Leo VIII certe usque ad Benedicti V exilium fuerit antipapa, fieri tamen potuisse, ut Benedictus V pacis causa serio abdicaret pontificatum, ac dein Leo VIII per agni-

[1]) L. II. n. 10; Pertz M. G. Scr. VII. 309.

tionem omnium legitimus fieret.[1]) Res sane dubia est, nec improbabile id videtur. Qui altero saeculo successit ejusdem nominis, Leo IX appellatus est.[2]) — Mortuo Leone VIII, *legati Romanorum, Azo videlicet protoscriniarius et Marinus Sutriensis ecclesiae episcopus, Imperatorem pro instituendo quem vellet Romano Pontifice in Saxonia adeuntes, honorifice suscipiuntur et remittuntur.* — Petierunt, si Adamo Bremensi l. c. credere fas est, ut Benedictus V restitueretur, atque Otto annuere paratus erat, sed interim Benedictus mortuus est; adeoque ejus mors adscribenda quarto nonas Julii a. 965. — *Et Otgerus Spirensis episcopus, et Liuzo* (i. e. Luitprandus) *Cremonensis episcopus, cum iisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Joannes Narniensis ecclesiae episcopus eligitur, et Sedi Apostolicae Pontifex intronizatur.* Ita Continuator Reginonis ad a. 965.[3])

86. *Joannes XIII* initio pontificatus sui procerum Joannes XIII. Romanorum odium incurrit; in Chronico Reginonis dicitur quidem, quia eos elatiori animo gubernabat, sed censerem, ipsum cum auctoritate contra nobilium factiones sua jura vindicasse. *Qui statim majores Romanos,* scribit Continuator Reginonis, *elatiori animo quam oporteret insequitur, quos in brevi inimicissimos et infestos patitur. Nam ab urbis praefecto et quodam Rotfredo comprehensus et urbe expulsus in Campania custodiae mancipatur.*[4]) Post undecim fere menses Romani, perterriti adventu Ottonis Imperatoris, Joannem XIII ex exilio revocarunt, et pro malis ipsi inflictis veniam petierunt. Pervenit Pontifex Romam die 12° Novembris a. 966, suisque adversariis facinora in ipsum peracta condonavit. Verumtamen Otto Imperator, quum versus finem ejusdem mensis Urbem esset ingressus, ut proceribus civibusque seditiosis, ne talia deinceps au-

---

[1]) Acta Sanctorum Maji; Propylaei Conatus Chron. Hist. ad Leonem VIII.

[2]) Ratio hac in re tamen ea esse potuit, quod quum exstarent Diplomata sub nomine Leonis VIII, confusio vitanda esset adeoque, etiamsi pseudopapa fuerit Leo VIII, tamen ordo numerandi prosequendus videretur.

[3]) M. G. I. 627.

[4]) L. c.

derent, documentum daret, praecipuos seditionis auctores ultimo supplicio affecit, Rotfredi vero jam mortui corpus ex sepulchro erui jussit et in quatuor partes discerpi. Modum severitatis etiam excessisse quibusdam visus est Imperator. *Otto,* scribit Hermannus Contractus, *Romam veniens injurias Domini Papae graviter in auctoribus sceleris, partim exiliis, partim patibulis, variisque poenis et abominationibus judicavit.*[1])

Synodi celebratae. 87. Pontifex cum Imperatore eodem anno 967 primum Romae ac dein Ravennae celebravit synodos plurium episcoporum ex Italia et Germania, ac praeterea sequentibus annis iterum varia concilia habuit, ut necessitatibus ecclesiarum provideret ac disciplinam ecclesiasticam firmaret. Quantopere vero ea aetate, non obstantibus factionum tumultibus, ecclesia Romana atque Pontifices et clerus in honore essent, colligitur ex iis, quae Ratherius Veronensis scribit ad clerum suum, quum Romam ad concilium (a. 967) profecturus esset. *Qua ignorantia,* ait, *quo melius exui, quo aptius possum quam Romae doceri? Quid enim de ecclesiasticis dogmatibus alicubi scitur, quod Romae ignoretur? Illic summi illi totius orbis doctores; illic praestantiores enituerunt universalis Ecclesiae principes. Illic decretalia Pontificum, universorum congregatio, examinatio canonum, approbatio recipiendorum, reprobatio spernendorum. Postremo nusquam ratum, quod illic irritum, nusquam irritum, quod illic ratum fuerit visum. Ubinam igitur melius insipientiae consulitur meae, quam ubi fons sapientiae cernitur esse?*[2]) Ex hoc praeconio vides, eo tempore, quo Romam sentinam fuisse corruptionis quidam auctores falso supponunt, a viris etiam severioribus, qualis fuit Ratherius, eam celebrari ut sapientiae et disciplinae ecclesiasticae sedem. — Coronavit Joannes XIII anno 967 in festo Natalis Domini Ottonis M. filium Ottonem II Imperatorem, eique etiam anno 972 in matrimonium junxit Theophaniam, Romani,

---

[1]) Chron. a. 967. — Cfr. Balan, Storia d'Italia, V. II. L. XVIII nn. XVIII sqq.

[2]) Itinerarium Romam euntis n. 2.

Imperatoris CPtani. filiam. Mortuus autem est Joannes XIII die 6 Septembris anni 972. Pontifex fuit dignus ac de Ecclesiae bono sollicitus; multum tamen pro difficultate temporum Imperatoris auctoritati concessisse videtur.

88. *Benedictus VI* Romanus, praesentibus legatis Imperatoris in locum Joannis XIII suffectus est, quantum apparet praevalente influxu Imperatoris, et factione nobilium ei dedita. Sed mox factionum tumultus Romae iterum exarserunt. Quum enim Otto M. die 7. Maji anni 973 mortuus esset, Otto II vero juvenis decem et octo annorum in Germania versaretur, metu Romani soluti sunt, et factio nationalis Germanis opposita dominium arripere studuit. Motuum ratio et indoles non omnino clarescunt; haec tamen ex ipsis eventibus et ex scriptorum relatione colligi possunt. Multi quidem nobiles ac praecipue familia comitum Tusculanorum jam partibus Imperatorum se junxerant, quorum potestate nisi Romae dominari studebant, et hujus factionis influxu Benedictus VI in Sedem Apostolicam evectus erat. Sed sese formaverat etiam opposita quaedam factio popularis, eaque nationalis, et Imperatorum potestati infensa. Varii quoque proceres huic factioni sese addixerant, ejusque dux tunc erat Crescentius Nomenti dominus.[1] Medio anno 974 igitur ab hac factione seditio Romae mota est, Benedictus VI in custodiam missus, et brevi post in carcere suffocatus. In sedem pontificalem vero elevatus est Franco Ferrutii filius, Romanus, Cardinalis diaconus, qui *Bonifatii VII* nomen assumpsit. Benedictus VI.

89. Plerique auctores existimant, pseudopontificem fuisse Bonifatium VII, eo quod vivente Benedicto VI Bonifatius VII.

---

[1] Ex hoc tempore Crescentiorum familia in factionum litibus praeeminet. Joanni XIII Crescentii adhaeserunt; nam Pontificis neptem, filiam Stephaniae sororis Joannis, Crescentiorum quis duxerat uxorem, et Roffredus comes refertur occisus a Joanne Crescentio. Benedicto VI autem ipsi adversati sunt. Alberici et Marotiae isti Crescentii propinqui sunt, atque ex stirpe *Theodorae* sororis Marotiae prodierunt. Cfr. arborem genealogicam datam p. 62, et eam quae habetur ap. Balan. Storia d'Italia, Vol. II. L. XVIII. n. XXII.

sedem Romanam usurpaverit; imo ipso auctore Benedictum VI suffocatum esse opinantur. Et re quidem vera in Chronico Hermanni Contracti, qui medio saeculo undecimo floruit, secundum vulgatam recensionem legitur ad a. 974: „Romae Benedictus Papa, criminatus a Romanis et a Crescentio Theodorae filio, in castello s. Angeli custodiae mancipatur, ibique strangulatus est, et eo vivente Bonifacius Ferrutii filius Papa ordinatus."[1]) Arnulphus autem Aurelianensis, quum in pseudosynodo Rhemensi a. 991 in ecclesiam Romanam inverecunde inveheret, Bonifatii mentionem faciens, ait: „Succedit Romae in pontificatu horrendum monstrum, *Malefacius*, cunctos mortales nequitia superans et jam prioris Pontificis sanguine cruentus."[2]) Ac simili ratione auctor Catalogi Paparum ap. Eccardum scribit: „Johannes VI (leg. Benedictus VI) de consilio Malefacii strangulatus est in castello s. Angeli."[3])

An verus Pontifex. — Attamen obscuram de Bonifatio VII quaestionem nostro tempore accuratius examinavit vir eruditus, cl. Aloysius Chrysostomus Ferrutius;[4]) isque solidis rationibus probari existimat, Bonifatium jam exstincto Benedicto VI in Sedem Apostolicam elevatum et consecratum fuisse, nec ipsi necem Benedicti tribui posse. Hinc etsi Bonifatii electio irregularis fuerit, non fuisse tamen invalidam, adeoque Bonifatium haud fuisse pseudopapam sed verum Romanum Pontificem. Advertit Ferrucci, recensiones admodum varias in codicibus inveniri Chronici Hermanni Contracti, et non in omnibus dici Bonifatium vivente Benedicto VI Pontificem factum.[5]) Arnulphi autem, vel potius Gerberti Aureliacensis qui illius verbis utitur. assertionem vagam non tanti habendam esse, ut inde deduci possit, Bonifatium auctorem fuisse necis Benedicti VI. Multa sane

[1]) M. G. SS. V. 116.
[2]) M. G. SS, III. p. 672.
[3]) Ap. Eccard. Corp. hist. Tom. II. col. 1640.
[4]) Investigazioni storico-critiche sulla persona ed il pontificato di Bonifazio VII figliuolo di Ferruccio Romano, del Cavaliere Luigi Crisostomo Ferrucci; Lugo, tipografia Melandri 1856.
[5]) Ferrucci l. c. p. 43.

falsa et injuriosa in Sedem Romanam Arnulphus, secundum Gerberti relationem, virulenta eloquentia in ista pseudosynodo protulit.[1]) Auctor vero Catologi Eccardiani Imperatoribus addictissimus, scripsit medio saeculo post Gerbertum, quem summis laudibus effert, et hunc in sua assertione secutus est.[2]) Porro ex aliis scriptoribus illi aetati sat propinquis potius colligi, censet Ferrucci, Benedictum a seditiosis laicis exstinctum, eoque mortuo Bonifatium populari manu in Sedem Apostolicam elevatum ac dein consecratum esse.[3]) Hanc vero sententiam, etsi non plane certam, probabiliorem tamen esse existimamus. Etenim insita fere est hominibus tendentia, facinoribus etiam admiscendi exaggeratione fabulosa adjuncta atrociora, ita ut si de ejusmodi circumstantiis certo non constet, potius rejiciendae sint.[4])

---

[1]) Cfr. Ferrucci l. c. p. 46. [2]) Cfr. Ferrucci l. c. p. 96 nota 76.

[3]) Advertit Ferrucci quoad Chronicum Hermanni Contracti, in prima editione facta Francofurti a. 1583, ac recusa Ratisbonae a. 1726, haberi: „I. — A. C. 980 seqq. — 3. Benedictus VI papa CXXXVI post primum annum a Crescentio relegatus et strangulatus est. — 4. Fames facta est magna. Bonifacio CXXXVII papa post primum mensem fugato, Benedictus VII papa CXXXVIII sedit mensibus 9." L. c. p. 43. Quoad alios auctores scribit Ferrucci p. 18 sqq: „Giovanni monaco di s. Vincenzo del Volturno aveva registrato nella sua Cronaca: *Iste* (Bened. VI) *comprehensus a Cincio Theodorae filio et in castello s. Angeli retrusus, ibique strangulatus est.* Andrea da Ratisbona (ap. Pezium Thesaur. Anecdotorum T. IV. col. 473) lasciò scritto: *Bonifacium VII Romani, suffocato Benedicto sexto, papam fecerunt:* è questa potè essere come una rappresaglia dei duri trattamenti che avevano condotto a morte Benedetto card. diacono detto il Grammatico, cui Ottone I aveva trascinato seco in Germania. Ricobaldo da Ferrara nella sua Compilazione cronologica (Eccard. T. I. p. 1275 ed. Lips.) dice che Benedetto VI *strangulatus fuit nocte natalis a Cyrithio (Siricio?) Stephani.* Conosciamo dunque i nomi del mandante e dell' esecutore di codesto misfatto (comprehensus a Cincio Theodorae filio . . . strangulatus a Cyrithio Stephani.) Che piu? Sigeberto, Mariano Scoto e la Compilazione cronologica (nel Rer. Germ. Script.) non ne parlano minimamente. È dunque certo che i meno lontani di tempo risparmiano quest' onta alla memoria di Bonifazio VII."

[4]) Etiam cl. Reumont in eam videtur inclinare sententiam, praesertim Crescentio attribuendam esse necem Benedicti VI, et post hujus mortem Bonifatium in Pontificem esse creatum. Cfr. Gesch. d. St. Rom. II. 294.

Bonifatii fuga.

90. Sed jam post mensem Bonifatius VII a parte opposita Roma pulsus est, et secum auferens ecclesiae pecunias amplissimas Constantinopolim aufugit. Videtur illa factio nationalis Romanorum quae Imperatoribus Germanis opposita erat, ad Graecos se vertisse eo animo, ut potius suprematia quaedam Imperatorum Constantinopolis in Italiam Romamque instauraretur, quam ut dominium Ottonum subirent. Ac facile crediderim, Bonifatium VII illamque factionem non alienos fuisse a conatibus bellicis, quos Graeci eo tempore successu haud infelici susceperunt contra Ottonem II, ad potestatem suam in Italia firmandam et ampliandam. — Post fugam Bonifatii mense Octobri a. 974 consentiente Imperatore in Sedem pontificiam elevatus est *Benedictus VII* episcopus Sutrinus, ex familia comitum Tusculanorum, qui Imperatori dediti erant.[1])

Benedictus VII.

91. Benedictus VII, Pontifex dignissimus, decem annis Ecclesiam gubernavit. Initio pontificatus sui coëgit synodum, in qua Bonifatius anathemate percussus et excommunicatus est. Alteram synodum celebravit a. 981, in qua edita Constitutione ad omnes praesules, principes et fideles totius orbis christiani, secundum patrum regulas severe prohibuit, quominus ullum pretium pro conferendis ordinibus acciperetur, mandavitque, ut si quis presbyter aut diaconus ad episcopatum delectus, a suo metropolita sacram ordinationem gratis accipere non posset, Romam veniret ibique sine simoniae periculo consecraretur; concessit tamen accipi posse, quod ordinatus post acceptas ordinationis chartas sponte et solius gratiae causa offerret. Generatim Benedictus VII disciplinam ecclesiasticam tum in monasteriis, tum in clero magna cum sollicitudine promovit. Factionum lites sub ipso non exarserunt, quamvis continuo pericula imminerent. Crescentius qui fuerat caput

[1] A quibusdam auctoribus interseritur Donus II inter Benedictum VI et Benedictum VII, de quo Pontifice nihil memoriae traditum esse advertunt. Sed jam agnoscitur, Donum II non fuisse Pontificem. Sunt qui suspicantur, errorem inde provenisse quod in quibusdam documentis quum legeretur Benedictus VI, Domnus Apostolicus, confusione facta quidam Domni vocem pro Doni alterius Pontificis designatione sumpserint.

seditionis contra Benedictum VI probabiliter ille est dux atque monachus, cujus epitaphium superius (n. 57) citavimus. — Versus mensem Octobris a. 983 Benedictus VII obiit.

92. Post ejus mortem versus mensem Novembrem a. 983 in Sedem Apostolicam elevatus est Petrus episcopus Ticinensis, qui, mutato nomine ob reverentiam Principis Apostolorum, nomen *Joannes XIV* accepit. Fuit ipse Cancellarius Ottonis II, ac merito supponitur, eum Imperatoris influxu et auctoritate in Sedem Apostolicam evectum fuisse. Sed brevi post, videlicet die 7° Decembris a. 983, Otto II quum viginti et octo annos tantum natus esset, Romae e vivis discessit. — Quum igitur Otto II mortuus esset, Otto III vero puer trium annorum in Germania degeret, mox Romae iterum vehementes factionum tumultus exorti sunt. Bonifatius VII tunc Constantinopoli Romam reversus pontificatum sibi vindicavit. Joannes XIV versus mensem Aprilem a. 984 in arcem s. Angeli inclusus fuit, ubi post quatuor menses, die 20 Augusti, e vivis discessit. Violentam ejus mortem fuisse, ac fame vel veneno eum fuisse peremptum, referunt scriptores sequioris aetatis. Breviter Hermannus Augiensis in suo Chronico ad a. 984 eventum hisce enarrat: *Romae Joannes XIV qui et Petrus Papiae prius episcopus Papa CXXXIX sedit mensibus octo, eumque Bonifacius, Ferrucii filius prius, relegato Benedicto (VI) male ordinatus, de Constantinopoli quo fugerat reversus, comprehendit, et in castellum s. Angeli relegatum, fame, et ut perhibent veneno enecuit, ejusque sedem CXL Papa invasit.* Advertendum est, arcem s. Angeli fuisse, quantum videtur, eo tempore in potestate familiae Crescentiorum, atque Crescentium, alterius Crescentii filium, denuo in res politicas summum acquisivisse influxum et factionis ducem exstitisse. Is itaque censendus est Bonifatio auxilio fuisse in ipsius conatibus, et in custodia detinuisse Joannem dejectum, quem ut Pontificem ab Imperatore intrusum habebant. Huic Crescentio proinde etiam immediate tribuendum videtur, quod in arce s. Angeli Joannes XIV fame aliave ratione exstinctus sit. Quousque Bonifatius VII

Joannes XIV.

Bonifatii reditus.

mortis ejus auctor fuerit, non satis liquet. Quum tamen Bonifatius sede Romana potitus influxu non careret, aegre ab omni culpa solvendus videtur.[1])

Bonifatii mors.

93. Brevi tempore tantum Bonifatius VII Sedem Apostolicam tenuit; paucos enim post menses e vivis discessit. In codice *antiquo* Chronici Hermanni Contracti tantum habetur: „Bonifacius VII papa interiit et Joannes XV papa CXL successit;"[2]) in vulgata autem recensione ad a. 985: „Romae Bonifacius VII postquam undecim mensibus male invasam sedem occupaverat, subita morte periit, et mortuus a suis caesus, confossus et triviatim pedibus tractus, vix tandem clericis miserantibus humatus est.[3])" Adjuncta mortis nota non sunt; nihil vero est, ut eam violentam fuisse supponatur. Videtur porro corpus Bonifatii a factione ei opposita ludibriis affectum fuisse, a clericis vero sepulturae traditum est; inde infert Ferrucci, clerum Romanum eum habuisse ut legitimum Pontificem.

Variae de eo sententiae.

94. Bonifatium VII, uti jam diximus, multi auctores cum Baronio habent ut pseudopontificem, tum inde ab initio, quo a. 974 Sedem Apostolicam occupavit, tum ultimo vitae suae tempore, quando a. 984 Constantinopoli reversus iterum eam tenuit. Papebrochius censet, haud esse eum a serie Pontificum expungendum. „Etsi enim, inquit, vi primae ordinationis suae non fuerit verus Pontifex, potest id tamen factus censeri post mortem Joannis per tolerantiam cleri, quae pro consensu habita suffecerit ad valorem actorum, ab eo ut Romano Pontifice celebratorum."[4]) Ferrucci vero probare nisus est, Bonifatium inde ab electione sua verum Pontificem fuisse, adeoque et

---

[1]) Cfr. Ferrucci, l. c. §. VI pp. 25 sqq.

[2]) Ap. Ferrucci, l. c. p. 44.

[3]) M. G. SS. V. 117. — Alia quaedam documenta non undecim, sed pauciores menses Bonifatio post mortem Joannis XIV attribuunt. Videtur tamen computatio ista, quam etiam Jaffé sequitur, bene subsistere.

[4]) Conatus chronologicus etc. ad Bonifatium VII; Acta Sanctorum, Propylaeum Maii.

talem habendum, etsi per decem annos Constantinopoli degere coactus sit, inde ab initio illo pontificatus sui usque ad mortem. In eam sententiam etiam cl. Balan et plures alii auctores propendunt, gravibusque eam fulciri rationibus censemus.[1]) Unde de valida electione ac de pontificatu legitimo Benedicti VII et Joannis XIV dubia surgunt. Potuerunt tamen turbata ista aetate, quum factiones variae tantum exercerent influxum passimque electio minus regularis esset, existimare, invalide Bonifatium VII creatum esse Pontificem, adeoque et bona fide in Sedem Apostolicam ascendere eamque tenere. Ex altera autem parte, quum Bonifatius impeditus omnino esset in exercitio sui juris, supponi potest tolerantia quadam ipsius et Ecclesiae illorum actus potuisse haberi ut legitimos, donec Bonifatius iterum sede Romana potiretur.[2])

95. Post haec versus mensem Septembrem anni 985 *Joannes XV*, Romanus, in Sedem Apostolicam evectus est, eamque undecim annis tenuit[3]). Sub ipsius pontificatu Crescentius Nomentanus, Patricius et Consul Romanorum, gubernium rei civilis maxima ex parte arripuit, Pontificemque, quamvis hic ei resisteret, ad quamdam adegit dependentiam, ita ut ad eum legatos exteros non admitteret, nisi muneribus ante ipsi delatis. Hujus tyrannidis indicium habetur ex illis verbis Arnulphi episcopi Aurelianensis qui in Synodo Rhemensi anno 991 congregata ob lites de Rhemensi sede exortas, ait: *Regii et nostri legati Romam profecti et epistolas Pontifici perrexerunt, et ab ipso indigne suscepti sunt. Sed, ut credimus, quia Crescentio* Joannes XV.

---

[1]) Balan, Storia d'Italia L. XVIII n XXV et XXXII.

[2]) Documenta sat perspicua non adsunt, ut in re ancipiti et obscura certum quid statui possit. Advertendum tamen est, quodsi minus dignus Bonifatius VII fuerit, inde non suppetere rationem, ut e catalogo Pontificum seponatur.

[3]) Posteriores quidam auctores medii aevi invitis catalogis et scriptoribus veteribus inter Bonifatium VII et Joannem XV quemdam Joannem Roberti filium per menses quatuor sedisse volunt. Sed jam conveniunt eruditi, errorem hac in re subesse. Cfr. Jaffé ad Joannem XV. Conjicit Ferrucci, Joannem Roberti filium fuisse Cardinalem diaconum, qui Bonifatio VII a factione aliqua oppositus fuerit. V. l. c. p. 28. et 67.

nulla munuscula obtulerant, per triduum a palatio reclusi nullo accepto responso redierunt, quod peccatis nostris exigentibus provenire non est dubium, ut Romana ecclesia, quae mater et caput ecclesiarum omnium est, per tyrannidem oppressa debilitetur.[1]) Attamen non omnino fidendum est huic assertioni. Legati enim in mandatis habebant, ut specietenus tantum Pontifici causam de qua agebatur solvendam proponerent, infectis autem rebus redirent, ut ab episcopis Galliae dein res dirimeretur.[2]) — Sed de ista lite quoad praesulatum Rhemensem jam aliqua dicere convenit; in hac enim causa primum vehementior occurrit Gallorum in Sedem Apostolicam lucta, in qua partim nituntur lugendis illis eventibus, qui paulo ante Romae acciderant.

Quaestio de sede Rhemensi.

96. Arnulphus, Lotharii quondam Francorum regis filius nothus, anno 988 ab Hugone (Capet) et Roberto ejus filio Francorum regibus promotus est ad archiepiscopatum Rhemensem, consentiente clero et populo. Sed brevi post ob motiva non plane levia in suspicionem vehementem venit apud regem, quod staret a partibus propinqui sui Caroli Lotharingiae ducis qui sibi jura in regnum Francorum vindicabat, quodque ipsius proditione Rhemorum urbs in potestatem Caroli venisset. Anno Christi 990 igitur rex et suffraganei episcopi archidioecesis Rhemensis legatos miserunt contra Arnulphum ad Joannem XV Pontificem, eumque infidelitatis et insignis proditionis reum fecere, postulantes, ut sibi liceret ei archiepiscopatum abrogare. Sed, uti superius vidimus, nullo accepto responso legati anno 991 in Galliam redierunt. *Ipsis quippe rex dederat in mandatis,* ait Natalis Alexander l. c., *ut traditis Pontifici litteris statim reverterentur nec audientiam pleniorem exspectarent. Astutum prorsus consilium, ut nec reverentiae Sedis Apostolicae defuisse viderentur, nec Romae dijudicaretur Arnulphi causa, quam regis intererat non alibi quam in regno judicari.*

---

[1]) V. Pagii Breviar. sub Joanne XV; ap. Baronium ad, a. 992 n. 24.
[2]) Cfr. Baron. ad a 991. et Natalis Alexander, Hist. eccl. Saec. IX et X. Cap. I. Art. XXIV. De Joanne XIV et Joanne XV.

97. Convocavit igitur Hugo synodum ad s. Basolum Rhemis celebrandam, quae die 17° Junii anni 991 inchoata est. Adfuerunt episcopi tredecim ex variis Galliae provinciis multique abbates: praesedit Seguinus archiepiscopus Senonensis, Arnulphus vero captivus adductus est. Accusatione in eum exposita, defensio commissa fuit tribus ecclesiasticis doctis, inter quos fuit Abbo Fleuriacensis abbas. Hi inter plura alia argumenta, quibus Arnulphum damnari non posse a synodo evincere conati sunt, eo quoque nisi sunt praescripto juris canonici, examen et sententiam de depositione episcopi, ac maxime metropolitani Rhemensis, *causam esse majorem,* adeoque ad tribunal pertinere Romani Pontificis. — Ea occasione ut Arnulphi Rhemensis defensores refutaret, orationem fusiorem habuit Arnulphus Aurelianensis episcopus. In eadem arroganti eloquentia varia effudit contra Sedem Romanam, quae a veris principiis plane abludunt, et veneno schismatico infecta sunt; nefastos eventus vero qui Romae acciderant exaggerat, et veluti callidus causidicus iisdem in argumentum pro causa sua uti nititur. Eo deducit sophistica declamatione sermonem, ut asserat, auctoritatem Apostolicae Sedis ob pravos aliquot Pontificum mores defecisse.[1]) Synodus Rhemensis.

98. „O lugenda, exclamat, Roma! quae nostris majoribus clara Patrum lumina praebuisti, nostris temporibus monstruosas tenebras futuro saeculo famosas offudisti .... Vidimus Joannem cognomento Octavianum in volutabro libidinum etiam contra eum Ottonem quem Augustum creaverat conspirasse. Quo fugato Leo neophytus in Pontificem creatur. Sed Ottone Caesare Roma discedente, Octavianus Romam redit, Leonem fugat, Joannem dia- Invectiva in Sedem Rom.

---

[1]) Arnulphi Aurelianensis dicta Gerbertus in Actis hujus concilii ab ipso conscriptis hisce refert: „Multa super his pater Arnulphus publice locutus est. multa cum tantum sibi assidentibus contulit, quae ne forte minus suavitatis habeant ita sparsim posita ut sunt ab eo prolata, ea in unum colligere maluimus, ut continuata oratio plus utilitatis studioso lectori conferat.“ Ap. Baron. ad a. 992 n. 14. — Vides, Gerberti potius sensa his exprimi. Gerberti Acta Concilii Rhemensis exstant MG. Scr. III. 658 sqq.

conum naso dextrisque digitis, ac lingua mutilat, multaque caede primorum in urbe debacchatus in brevi moritur. Cui Benedictum diaconum cognomento Grammaticum Romani substituunt. Eum quoque Leo neophytus cum suo Caesare non longe post aggreditur, obsidet, capit, deponit, perpetuoque exilio in Germaniam dirigit. — Succedit Ottoni Caesari Caesar Otto, natura, aetate, cunctos principes armis, consilio, et scientia superans. Succedit Romae in pontificatu horrendum monstrum, Malefacius, cunctos mortales nequitia superans, etiam prioris Pontificis sanguine cruentus. Sed hic etiam fugatus et in magna synodo damnatus est. Post obitum divi Ottonis Romam redit, insignem virum Apostolicum Petrum Papiensis ecclesiae prius antistitem data sacramentorum fide ab arce Urbis dejicit, deponit, squalore carceris affectum perimit. Num talibus monstris hominum ignominia plenis, scientia humanarum et divinarum rerum vacuis, innumeros sacerdotes Dei per orbem terrarum scientiae et vitae merito conspicuos subjici decretum est? ... Si enim in quovis ad episcopatum electo, morum gravitas, vitae meritum, divinarum ac humanarum scientia subtiliter investigatur, quid in eo qui omnium episcoporum magister videri appetit, investigandum non est? Cur ergo in summa Sede sic infimus constituitur, ut etiam in clero nullum habere locum dignus inveniatur? ... Certe in Belgia et Germania, quae vicinae nobis sunt, summos sacerdotes Dei in religione admodum praestantes inveniri, in hoc sacro conventu testes quidam sunt. Proinde si regum dissidentium animositas non prohibeat, inde magis episcoporum judicium petendum fore videtur, quam ab ea Urbe, quae nunc temporis venalis exposita ad nummorum quantitatem judicia trutinat[1] ... Sed cum hoc tempore Romae nullus paene sit, ut fama est, qui litteras didicerit, sine quibus (ut scriptum est) vix ostiarius efficitur: qua fronte aliquis docere au-

[1]) Dein pro hac venalitate asserenda nihil aliud affert, nisi quod legati retulerant de Crescentii cupidine, quem censebant munera sibi deferenda expetere. Futile sane argumentum!

-debit quod minime didicit? Ad comparationem quippe Romani Pontificis in aliis sacerdotibus ignorantia utcunque tolerabilis est, in Romano autem cui de fide, vita, moribus, disciplina sacerdotum, deque universa ecclesia catholica judicandum est, intolerabilis videri potest.“[1])

99. Quam exaggerate et sophistice ista prolata sint, colliges ex iis quae de rebus Romanis exposuimus. Quum Arnulphus de Joanne XII et Bonifatio VII loquitur, reliquos Pontifices dignos tacet, ac Sedi Apostolicae ea imputat, quae nullatenus ejus culpa acciderunt. Valde inepte autem ignorantiam causat cleri Romani. Posteriores scriptores, uti Stella et Martinus Polonus, ipsum Joannem XV virum valde eruditum fuisse referunt, eamque sententiam vel ex antiquis aliquot documentis vel ex traditione hausisse videntur.[2]) Ac juris canonici principia et regulas se nosse, interque ecclesiasticos Romanos viros esse tum pietate tum doctrina insignes, mox probavit Joannes iis quae in causa Arnulphi Rhemensis ipse fecit. — Jam ad hujus negotii progressus revertamur.

100. In synodo ista Rhemensi ad s. Basolum postremo ab Arnulpho Rhemensi confessionis et abdicationis libellus fuit extortus, et depositionis sententia in eum lata. Ipse custodiae traditus, in ejus locum autem, petente rege, ordinatus est Gerbertus monachus et philosophus, (postea papa Silvester II). Mox apud multos dubia orta sunt de valore legitimo illorum gestorum; Romae vero haec nullatenus comprobata sunt, eo vel magis, quod episcopi Germani, duce s. Willegisio praesule Moguntino, eadem illegitima ac rejicienda esse a s. Sede, adverterent. Episcopi autem Galliae, praeside Roberto rege Hugonis filio.

Gerberti intrusio.

[1]) Vide haec ap. Baronium ad a. 992 n. 18 sqq.

[2]) Joannes Stella, qui scripsit Vitas Pontificum usque ad Julium II, ait: „Joannes XV fuit vir tanto magistratu dignissimus, utpote imprimis in re militari exercitatissimus, et insigni doctrina clarissimus, quique et nonulla edidit librorum volumina.“ Papebrochius conjicit. Stellam male legisse in re *militari*, ac potius scriptum fuisse in re *litteraria*. Martinus Polonus habet: „Hic fuit in armis eruditissimus, et multos libros composuit.“

novum conventum Chelae (Chelles) habuere, ibidemque inter se convenere, ut communi labore Pontifici resisterent, si quid contra regulas canonesque ipse decerneret. Quum vero Pontifex eos Aquisgranum ac dein Romam ad synodum citaret, ut de negotio illo statueretur, declinarunt eo venire. Miserunt autem Romam ecclesiae Rhemensis archidiaconum cum scriptis apologeticis pro defendenda synodo Rhemensi, atque Hugo rex litteras dedit ad Romanum Pontificem reverentia plenas, quibus jura Sedis Apostolicae haud violata esse contendit, petiitque, ut Joannes ad colloquium cum ipso habendum Gratianopolim in finibus Galliae et Italiae veniret.

Legatio Leonis abbatis.

101. Joannes XV regi censuit haud obsequendum esse, sed anno 995 misit legatum in Germaniam et Galliam Leonem, monasterii SS. Alexii et Bonifatii abbatem, qui sancta conversatione et doctrina insigni ita eminebat, ut ipsa ejus praesentia jam convicia Arnulphi Aurelianensis in clerum Romanum refutarentur. Ei Pontifex commisit, ut una cum episcopis Germaniae et Galliae Arnulphi Rhemensis causam examinaret ac dein sententiam ferret. Ab episcopis Germaniae Leo magno cum honore in Lotharingia receptus est, illique litteris invitarunt Hugonem et Robertum reges, ut tempus et locum synodi habendae determinarent. Statutum fuit, ut synodus haberetur Musone (Mouson) in finibus Francorum et Germanorum. Sed ex episcopis Galliae non nisi Gerbertus, cujus causa agebatur, ad synodum venit: reliquos enim impedivit Hugo ac Robertus reges, eo quod in eorum animos irrepserat suspicio, fore ut ipsi captivi detinerentur et Franciae regnum Ottoni III Imperatori submitteretur.[1]) Synodus dein inchoata est Musone die 2[do] Junii anni 995, et Gerbertus eloquentissima oratione rem suam defendere nisus est. Sed conatus ejus frustratus est successu; nova synodus Rhemis die 1° Julii habenda indicta fuit, ac tum Gerbertus tum

---

[1]) Quaestio de legitimitate Hugonis I. qui regibus ex stirpe Carolingiana successerat. nondum erat eliquata. lites perdurabant. atque inde facilius fieri potuit ut revera Hugo timore aliquo detineretur.

reliqui episcopi qui synodo anni 991 adfuerant adacti sunt, ut usque ad hanc synodum a sacris abstinerent. Leo legatus litteris ad Hugonem et episcopos Galliae datis refutavit ea, quae Arnulphus Aurelianensis injuriosa Sedi Apostolicae in illa synodo protulerat, condemnationemque et depositionem Arnulphi Rhemensis improbavit. Dein in synodo Rhemis die 1º Julii habita Leo legatus auctoritate sua resistentiam praesulum Galliae fregit, atque illegitimam fuisse declaravit Arnulphi depositionem et elevationem Gerberti. Gerbertus exauctorationem suam aegerrime ferens, Galliam reliquit, et profectus est Magdeburgum ad Ottonem III, cujus praeceptor ipse fuerat. Arnulphus quidem adhuc in custodia ab Hugone detentus est, sed post mortem regis, anno 997, vigore Sedis Apostolicae sedem suam recuperavit.

102. Ad annum 995 Chronista Hildesiensis scribit: *Legati Apostolicae Sedis cum unanimitate Romanorum atque Longobardorum regem* (Ottonem III) *Romam invitant.*[1]) Eo anno Crescentius consul Joanni XV tanta creaverat pericula, ut Pontifex Roma relicta in Tusciam ad Hugonem Marchionem confugeret, unde illos ad Ottonem legatos misit. Annuit rex; Romani vero perterriti ob adventum futurum Ottonis, Joannem sollicitarunt, ut in urbem reverteretur, ac redeuntem magno cum honore exceperunt. Sed ineunte vere anni 996, mense Aprili, Joannes XV ex hac vita decessit. Dignum eum fuisse Pontificem, eruditum, de juribus Sedis Apostolicae ac de bono Ecclesiae sollicitum, ex ejus gestis colligitur. Attamen ne quid celare videamur, paucis commemorare convenit ea, quae in ipsius vituperium scribit Aimoinus monachus, auctor Vitae s. Abbonis abbatis Floriacensis, imo etiam ipse s. Abbo. — Aimoinus scribit in Vita s. Abbonis: *Sane non qualem voluit, aut qualem debuit, Sedis Apostolicae Pontificem nomine Joannem invenit, nempe turpis lucri cupidum atque in omnibus suis actibus venalem reperit; quem execratus, perlustratis orationis gratia sanctorum locis, ad sua rediit.*[2]) —

Joannis XV mors.

[1]) Ap. Pertz M. G. Scr. III. 91.

[2]) Ap. Baron. ad a. 992 n. 24.

Et s. Abbo in epistola ad Abbatem Leonem ait: *Magnifica Principis Apostolorum membra supplex adii, sed Romanam Ecclesiam, digno viduatam pastore, heu proh dolor! offendi.*[1] — Sed merito animadvertit Damberger, caute haec esse accipienda. S. Abbo Romam venit, uti videtur, anno 995 vel ineunte anno 996, quum res in Gallia adhuc valde turbatae essent. Arnulphus adhuc captivus detinebatur ab Hugone rege, atque commissum fuit Abboni, ut obtineret a Pontifice dispensationem pro Roberto rege, qui, relicta Susanna cum qua sponsalia vel matrimonium jam inierat, sine dispensatione duxerat Bertham viduam Odonis comitis, cognatam suam. Haud mirum, si Abbo minus benevole a Joanne receptus est. Quum vero jam ea opinio circumferretur, munera requiri (a Crescentio), ut ad Pontificem pateret accessus, facile fieri potuit, ut querelae orirentur de venalitate Pontificis.[2] Vidimus, etiam Arnulphum Aurelianensem venalem esse Romam conquestum; sed quae afferebantur hanc in rem argumenta futilia erant.

Gregorius V Pontifex.

103. Creationem successoris Joannis XV auctor coaevus, Joannes Canaparius qui *Vitam s. Adalberti* episcopi Pragensis et martyris scripsit, hisce refert: *Summus ipse diebus Pontifex* (Joannes XV) *acerrima febre correptus corpus terrae, animam coelo, utraque in sua dimisit exordia. Rex autem Otto Alpium nives multo milite transmeans juxta sacram urbem Ravennam regalia castra metatus est. Ibi in ejus occursum veniunt epistolae cum nuntiis, quas mittunt Romani proceres et senatorius ordo. Primo, illius adventum velut toto tempore paternae mortis non visum totis visceribus desiderare, ac debita fidelitate pollicitantur expectare; deinde, in morte domni Apostolici, tam sibi quam illis non minimam invectam esse partem incommodorum annuntiant, et quem pro eo ponerent regalem exquirunt sententiam. — Erat item in capella regis quidam clericus nomine Bruno saecularibus litteris egregie eruditus, et ipse regio sanguine*

---

[1] Ap. Damberger, B. V. Kritik p. 160.

[2] Damberger, B. V. p. 480.

genus ferens, magnae indolis, sed, quod minus bonum, multum fervidae juventutis. Hunc quia regi placuit a majoribus electum Moguntinus archiepiscopus Willigisus, et suus collega Hildebaldus episcopus adduxerunt Romam; proinde a Romanis honorifice acceptum, ad hoc ordinati episcopi Apostolico honore promulgarunt.[1]) Eum tamen Romae *publico consensu et electione* Pontificem creatum esse, addit Chronista Hildesiensis; adeoque Otto Brunonem praesentavit, clerus autem populusque Romanus legitimo modo eum elegit.[2]) Crescentium vero ejusque asseclas censerem in hisce vix partem habuisse, quamvis resistere non auderent. Perterriti enim erant adventu Ottonis, et pars altera Imperatori favens praevalebat, eique jam multitudo adhaerebat.

104. Pontifex, qui tantum viginti quatuor annos habebat, *Gregorius V* appellari voluit, ipseque die Ascensionis Domini anni 996 magno omnium gaudio Ottonem III in Imperatorem coronavit. Imperator habito cum Romanis placito Crescentium consulem et patricium, qui Joannis auctoritatem adeo coarctaverat, exilio multare constituit, sed propter preces Gregorii V ei pepercit.[3]) At quum Otto III in Germaniam rediisset, mox Crescentius potestatem in Urbe iterum arripuit, Gregoriumque mense Septembri a. 996 coëgit ut Ravennam confugeret. Nec multo post adduxit Joannem Philagathum episcopum Placentinum, ut Sedem Apostolicam invaderet, et sub nomine Joannis XVI Gregorio se opponeret. Erat iste Joannes Graecus ex Calabria oriundus, atque archimandrita primum

Crescentii rebellio.

---

1) Ap. Pertz M. G. Scr. V. 590.

2) „Imperator . . . publico consensu et electione fecit in apostolicam sedem ordinari suum nepotem dominum Brunonem." Annal. Hildes. ad a. 996; ap. Pertz M. G. Scr. III. 91.

3) Quamvis Crescentius Joanni XV auctoritatem magna ex parte eriperet, tamen passim amicitiae cujusdam nexus inter Consulem et Pontificem videntur exstitisse. Ita Benedictus comes, Pontificis nepos, in matrimonium duxit Theodorandam Crescentii filiam. Quumque Otto III Romae degeret inter Cardinales invenitur etiam Crescentius, Consulis vel filius vel propinquus, quem aut Joannes jam Cardinalem creaverat, aut Gregorius V ad concordiam plenam restituendam in sacrum collegium adoptavit. — Cfr. Damberger, B. V. p. 486.

monasterii in Calabria. Vir eruditus et sanctitatis prae se ferens speciem, magnum favorem assecutus est apud Theophaniam Imperatricem et Ottonem II. Favore imperiali anno 982 abbas factus est Nonantulae, celeberrimi et ditissimi monasterii, anno vero 989 creatus episcopus Placentinus, atque Imperatrici ab intimis fuit consiliis. Anno 995, adhuc vivente Joanne XV, legatus missus est ab Ottone III Constantinopolim, ut ibidem ageret de matrimonio Ottonis cum aliqua virgine ex stirpe imperiali, aliaque negotia politica tractaret. Interim mortuo Joanne XV electus fuit Gregorius V; Philagathus autem anno 997 Constantinopoli rediens, Romam venit cum Imperatoris graeci legatis, qui a Crescentio magno honore recepti sunt. Atque tunc illud consilium initum est, ut Roma iterum Imperio graeco subderetur, Joannes autem Pontifex fieret. Infelix homo, qui forte favore Imperatoris fretus, speraverat se post obitum Joannis XV dignitatem summam adepturum, modo Crescentii sollicitationi cessit, et mense Majo vel Junio anni 997 antipapam sese constituit. Frustra s. Nilus ejus amicus, tunc senex nonaginta annorum et sanctitate clarus, eum monuit ne tale committeret facinus.[1]

Joannes Philagathus antipapa.

105. Gregorius V synodo Ticini habita Crescentium anathemate confixit, ab Ottone III vero auxilium petiit. Imperator ineunte anno 998 in Italiam cum exercitu venit, Gregoriumque Romam reduxit. Joannes pseudopontifex in fuga deprehensus, atque a militibus auribus naribusque mutilatus, in custodia detentus est. Qua de re Joannes in chronico Venetorum: „Tunc quidam insequentes Joannem comprehenderunt eum et timentes, ne si eum ad Augustum destinarent, impunitus abiret, linguam ei et nares pariter absciderunt oculosque illi penitus eruerunt, et capitis deturpatus decoritate in quodam monasterio delatus est.“[2] Crescentius vero qui expugnata arce s. Angeli

[1]) Probabile est praetextum fuisse, quod Gregorius V adolescens qui canonicam nondum habebat aetatem, potentia imperiali summum Pontificatum arripuisset.

[2]) Pertz, M. G. Scr. VII. 30.

etiam in Caesaris potestatem redactus est, cum duodecim sociis ultimo supplicio poenas meritas luit. — Gregorius V Sedi restitutus mox Romae synodum celebravit viginti septem episcoporum. In ea synodo Joannes adductus, ac sententia in eum lata e sede usurpator dejectus est; dein cum ludibriis per varias Urbis regiones circumductus fuit. „A sacro concilio, dicitur in chronico Venetorum l. c., depositionis sententiam sustinens, et a Romanis impositus deformis aselli tergo, versa facie ad caudam sub praeconis voce per Romanas regiones ducebatur.“ Dein videtur in custodiam reductus fuisse, in qua diem supremum clausit. — Sunt qui Gregorium V arguunt de ejusmodi actis in Joannem pseudopontificem;[1]) ludibria tamen ista haud ejus mandato censemus esse commissa.

106. In synodo illa etiam res Galliae Pontifex cum auctoritate disposuit. Conjugium Roberti cum Bertha consanguinea nullum declaravit, hanc et illum poenitentiae septem annorum subjecit, anathema vero eis comminatus est, nisi sese ab invicem separarent. A communione eos suspendit, donec ad Apostolicam Sedem venirent satisfacturi. Quod spectat ad hanc causam matrimonialem, illud praecipue erat Pontifici curandum illudque assecutus est, ne episcopi sibi jus assumerent pro lubito dispensandi in Ecclesiae legibus de matrimonio. Jam enim experientia constabat, reges et principes ista in re omnia fraena abjicere, episcopos vero passim promptiores esse ut obsequium illis praestarent. Adeoque Apostolicae Sedi invigilandum erat, ne jura ipsius laederentur, neve impune violarentur praescripta Ecclesiae. — Etiam alia plura Gregorius magno cum vigore disposuit, quibus auctoritatem pontificiam in Gallia vacillantem restituit et roboravit. Mandavit Roberto, ut Arnulphum Rhemensem a patre in custodia detentum sedi restitueret, episcopum Ausciorum (Auch) illegitimum, pariterque episcopum Puteorum (Puy) quem patruus in successorem destinaverat, deposuit, Herluinum ordinavit in episcopum sedis Cambriacensis, hujusque ec-

Res Galliae ordinantur.

---

[1]) Cfr. Balan, Storia d'Italia, L. XVIII. n. XXXIX.

clesiae bona sub patrocinium speciale Sedis Apostolicae recepit. Robertus rex mandatis Pontificis obsecutus est, auctoritasque Sedis Romanae in Galliis magnopere firmata. Sed quum Gregorius V optimi regiminis spem faceret maximam, jam die 18 Februarii anni 999 inopinate ex hac vita ereptus est.

Silvester II. 106. Tunc primus ex Gallorum natione Pontifex ad Sedem Apostolicam evectus est Gerbertus, qui *Silvester II* voluit appellari.[1]) Inter coaevos ipse varii generis eruditione maxime eminebat. Natione Aquitanus, obscuro genere natus, a pueritia monachus fuit in Aureliacensi coenobio, ubi duce Raymundo Abbate, quum ingenio vafer esset, praeclarus in litteris evasit. Impetrata licentia propter aviditatem sapientiae multa circuivit regna, et tum in Francia tum Cordubae in Hispania apud Mauros, variis sese excoluit disciplinis. Magister dein fuit scholae episcopalis Rhemensis; anno 982 ab Ottone II obtinuit abbatiam Bobbiensem, sed varias ob difficultates Italiam reliquit, iterumque scholae Rhemensi praefuit. Praeceptorem quoque egit Roberti regis et Ottonis III, atque, uti vidimus, mox sedem Rhemensem relegato Arnulpho obtinuit. Quum ei renuntiare coactus esset, ad Ottonem III sese recipiens, eum in Italiam quoque comitatus est, atque die 28° Aprilis anni 998 a Gregorio V archiepiscopus Ravennae renuntiatus fuit. Demum ab Imperatore Ottone III enixe commendatus, electus est Pontifex, ac die 2° Aprilis anni 999 Gregorio V in Sede Petri successit. — Non defuerunt quidem Gerberto naevi, humanae naturae plerumque inhaerentes. Animi fuisse videtur irrequieti ac vehementioris, nec ambitionis expers, et in iis quae fecit ac scripsit in negotio ecclesiae Rhemensis moderationis et reverentiae debitae in Sedem Apostolicam normam non penitus secutus est. Sed minus aequa animi sensa jam antequam Pontifex fieret correxerat.[2]) Caeterum vero vir

---

[1]) De Silvestri II vita et gestis vide: Dr. K. Werner, Gerbert von Aurillac, die Kirche und Wissenschaft seiner Zeit. Wien 1878.

[2]) Merito advertit Werner, l. c. p. 98, hanc animi mutationem

erat dignus atque magnanimus, qui paucis quibus Pontifex Ecclesiae praefuit annis, Sedem Apostolicam magnopere illustravit. Quemadmodum igitur saeculum decimum inchoatum est, sedente in Petri cathedra insigni Pontifice Benedicto IV, ita ejus exitus gloriosus redditus est pontificatu Silvestri II.

107. Quodsi aequum judicium de ultimis decenniis saeculi decimi ferendum est, asserere convenit, etiam altero illius saeculi medio, conditionem Sedis Apostolicae nullatenus tam miseram fuisse atque lugendam, qualem varii auctores eam descripserunt. Certe ob ea quae brevi suo pontificatu forte Joannes XII male egit, non potest censeri Sedes Apostolica affecta esse macula, quae etiam sub Pontificibus qui secuti sunt perduraverit. Lugenda vero facinora tempore Bonifatii VII commissa, et usurpatio qua Joannes Philagathus pontificatum arripere studuit, factionum luctae praecipue tribuenda sunt, nec adeo ipsam Sedem Apostolicam deturparunt. Id sane verum est, ex dominatione familiarum nobilium et ex factionum litibus, Romae ortum esse perturbatum rerum statum, etiam in clero fuisse quosdam viros profanos et minus dignos, ac passim Sedis Apostolicae majestatem et dignitatem obscuratas fuisse.

Conditio Sedis Apost.

108. Dum vero ad finem hujus Dissertationis pervenimus, in mentem occurrunt illa verba exacerbati adversarii Ecclesiae catholicae ac Romanorum Pontificum: *Hucusque procedit famosa Episcoporum Romanorum hujus saeculi* (decimi) *historia, quam horrent ipsi etiam Romanae curiae scriptores, ne tentantes quidem hoc loco, (utut in perfecta alias voluntate faciendi quod per rabulismos defensorios fieri potest adversus factorum ipsorum veritatem,) excusationes apologeticas.*[1]) Virulentam invectivam respui-

haud mutatae in prosperam Gerberti fortunae, sed maturiori judicio et meliori experientiae rerum adscribendam esse.

[1]) Weismann, Hist. Eccl. Nov. Test. T. I. P. II. p. 861; ap. Ferrucci l. c. p. 41.

mus; opportunam autem fuisse disquisitionem institutam, manifestum est. Hanc vero haud habemus ut apologiam Pontificum illius saeculi, sed ut disquisitionem historicam de illis ac de gestis eorum. Quodsi instituto hoc examine non pauca vituperia in Romanos Pontifices lata dissipantur et evanescunt, ac varia facta clariore luce apparent, gratum id esse oportet omnibus, quibus cordi est veritas; gratius vero id erit iis, quibus sacra est Ecclesia catholica ac summe veneranda Sedes Apostolica.

Dissertatio decima nona.

De controversiis aliquot, ac de indole Imperii saeculo decimo.

---

1. Jam diximus, haereses funestas vel schismata saeculo decimo haud esse orta, nec multas fuisse lites et controversias quibus Ecclesia fuerit turbata. Duplici tamen graviori controversiae initio praesertim saeculi decimi agitatae occurrimus: altera fuit quae dicitur controversia *de reordinationibus,* in Occidente praecipue agitata, altera fuit *de tetragamia*, eaque orientalis praesertim ecclesia fuit turbata. Utramque controversiam accuratius exponere convenit. Ac primum agemus de quaestione majoris momenti, quoad *ordinationum valorem* vel *iterationem,* ita ut simul exponamus varia facta quae diversis saeculis quoad hanc causam in Ecclesia occurrunt, ac principia afferamus ex quibus tum facta, tum aliquot Patrum et scriptorum sententiae apte elucidari possunt.[1]) Dein tractabimus de altera controversia quoad *tetragamiam* Leonis VI Imperatoris, qua iterum dissensiones inter ecclesiam orientalem et occidentalem ortae sunt. — Quum vero

Indoles Dissertationis.

---

[1]) Hanc quaestionem ampliori disceptatione egregie tractavit et evolvit Em. Hergenröther in suo de Photio opere, Vol. II. L. V. c. VIII: *Die Reordinationen in der alten Kirche.* Ejus expositionem hac in re secuti sumus.

Imperii conditio et maxime ejus restauratio sub Ottone I permagnum in res Ecclesiae exercuerit influxum, opportune hoc loco etiam *de indole Imperii* saeculo decimo agemus.

Conferri de his quaestionibus possunt: Morinus, *De sacris ordinationibus P. III; Exercitatio V: De sacrarum ordinationum iteratione, variisque difficultatibus, quae aliquot saeculis Ecclesiam hac in causa vexaverunt.* — Em. Hergenröther, *Photius Vol. II. L. V. c. 8.* (*Excursus de reordinationibus in antiqua Ecclesia.*) — Auxilii et Vulgarii *opuscula de Formosi ordinationibus.* — Quoad *tetragamiam* Leonis VI, Hergenröther *Photius Vol. III. L. X. cc. 1. 2. 3.* Damberger, *Gesch. Vol. IV.* — Quoad *indolem Imperii* saeculo decimo, Reumont, *Gesch. der Stadt Rom, Vol. II;* Balan, *Storia d'Italia, LL. XVII. XVIII;* Bryce, *The Roman Empire Ch. IX;* Floss, *Die Papstwahl unter den Ottonen* (Freiburg 1858); Phillips, *Kirchenrecht Vol. III. §. 123.*

I.

Controversia de reordinationibus.

Formosi ordinationes.

2. Controversia haec, uti jam vidimus, maxime orta et agitata est occasione Formosi Pontificis et ordinationum ipsius. *Propter quod cum multo scandalo,* scribit Sigebertus Gemblacensis ad annum 900, *multa per multos annos quaestio et controversia agitata est in Ecclesia, aliis ejus et ab eo ordinatorum consecrationem irritam esse debere praejudicantibus, aliis e contra qualiscumque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officii dignitatem et fidem eorum qui ordinati fuerant, omnes consecrationes ejus ratas esse debere saniori consilio judicantibus.*[1]) Stephanum Papam VI vidimus ordinationes Formosi rejecisse, ita ut iis, qui ab ipso ordinati fuerant, ordines suos exercere non permitteret: utrum vero ordinationem illam sic habuerit plane nullam, ut iterum ordinandos eos vellet, non clare liquet.

[1]) M. G. Scr. VI.

Vehementius etiam lis sub Sergio III exarsit, atque Auxilius presbyter tunc pro defensione ordinationum Sergii scripsit varios libros, quum a Leone Nolano episcopo hac in re consultus esset. *Missa legatione*, scribit ad Leonem, *asseris te violentas pati oppressiones, ut episcopale sacerdotium, quod olim a Papa Formoso suscepisti, quasi nihil sit, irritum facias. Qua ex causa fateris te mirificae solertiae Francos, necnon et Beneventanae civitatis peritos consuluisse viros, eorumque consulta apud te scripta retinere, quae te ejusmodi transgressionem committere, manifesta ratione prohibeant.*[1]) Sergium autem plures reordinationes suscepisse illorum episcoporum vel clericorum, diserte asserit Auxilius scribens: *Quosdam ex illis, tanquam si nihil sacrae unctionis habuerint, novum imitati sacrilegium iterum consecrare non timuerunt, tanquam si prima in eis non consecratio sed magis execratio fuerit.*[2])

3. In controversia de Formoso duplex praecipue quaestio agitabatur, prima quidem, utrum legitimus Pontifex fuerit Formosus, altera, utrum, si non fuerit legitimus, ejus ordinationes fuerint validae. Negabant tum primam tum alteram quaestionem Formosi adversarii, nitentes praesertim canonibus disciplinaribus, quamvis secunda quaestio ad inquisitionem dogmaticam maxima ex parte pertineret. Defensores Formosi, uti Auxilius, contrariam sententiam quoad utramque quaestionem statuebant. Atque Auxilius tum ex variis factis anterioribus, tum ex doctrina de sacramentis demonstrare nitebatur, etiam illegitimorum episcoporum ordinationes validas esse. Recte ut certam veritatem ipse defendit illam sententiam: *Iteratio ordinis aeque scelesta ac iteratio baptismi;* et principia de valore sacramentorum etiam ab indignis collatorum ex opere operato, quae contra Donatistas aliquando s. Augustinus evolverat, ipse hac in controversia merito urgebat. Quaestio duplex.

---

[1]) De ordin. Formosi. L. II. initio; ap. Morinum De sacris ordinationibus, p. 295.

[2]) In defensionem ordin. Formosi L. II. c. 1. ap. Dümmler, Auxilius et Vulgarius, p. 78.

Etiam ex absurdis quae ex rejectione ordinationum Formosi sequebantur argumentatur: *Qua de re, scribit, qui praefatam ordinationem falsam et inanem esse vel fuisse confingunt, eoque sacerdotes et levitas consecrandos esse dogmatizant, quid aliud quam Italiae regiones longe lateque, ecce jam circiter viginti annos, absque religione christiana vixisse garriunt? Ac per hoc quid aliud restat, nisi ab ejusmodi episcopis per universam Italiam, dedicatae ecclesiae, altaria consecrata, et chrismata solemniter instituta prorsus perierint?*[1]) In ultimo tamen capite (Libri I) dicit, tantam esse sibi contradicentium multitudinem et auctoritatem, ut aequum judicium sperari non possit, sed universalis Concilii sententiam esse exspectandam; interim se in ea consecratione, qua initiatus erat permanere velle. *Ideo,* inquit, *in sacro ordine quo consecrati sumus permanentes, praestolamur universalis Concilii aequissimum examen, auctore illo ad quem clamantes dicimus: Exurge, Domine et judica causam tuam.*[2])

Controversia diuturna.

4. Ea quae occasione ordinationum Formosi acciderunt ac discussa sunt, veluti centrum constituunt quaestionis de reordinationibus, seu de valore ordinationum quae ab episcopis schismaticis, haereticis, excommunicatis, illegitimis, vel contra canones conferebantur. Nam ante haec tempora diversa occurrunt facta effatave Patrum et Con-

---

[1]) De ordin. Formosi L. I. c. 28. ap. Morinum l. c. p. 291. Apud Janus. *Der Papst und das Concil,* p. 56 asseritur, Auxilium testari, universali illa ordinatione, exordinatione et superordinatione eo Romae res fuisse perductas, ut inde a viginti annis religio in Italia interrupta et deleta esset. — Vides malam fidem et arrogantiam. Quod enim Auxilius irrisorie et ironice affert, tanquam sententia ipsius exhibetur. — Verba autem illa *ordinatio, exordinatio, superordinatio,* non ex Auxilio sed ex Sigeberto Gemblacense desumpta sunt, qui in libro de scriptor. ecclesiast. c. 112 scribit de Auxilio: „Auxilius scripsit dialogum sub persona Infensoris et Defensoris divinis et canonicis exemplis munitum contra intestinam discordiam Romanae ecclesiae, scilicet de ordinationibus, exordinationibus et superordinationibus Romanorum Pontificum, et ordinatorum ab eis exordinationibus et superordinationibus.“ Ap. Dümmler l. c. p. 27.

[2]) De ordin. Formosi L. I. c. 40, ap. Morinum l. c. p. 293.

ciliorum, quorum alia contra valorem ejusmodi ordinationum, alia pro valore afferri solent; posteriore etiam aetate fluctuatio quaedam hac in re animadvertitur. Sed postquam inde a tempore s. Thomae per theologorum elucubrationes hoc caput doctrinae magis magisque claruit, jam a pluribus saeculis sola viget illa s. Thomae doctrina cui accessit universae Ecclesiae suffragium, ordinationes ab haereticis, schismaticis, simoniacis aliisve illegitime et illicite factas tamen validas esse, (nisi quid essentiale in materia, forma, intentione, defuerit).

5. Quoniam vero convenit accuratius nosse, quae ad historicam hanc quaestionem pertinent, utque accusationes refutentur adversariorum, qui Ecclesiam Romanosque Pontifices errorum in fide hac in re passim arguunt, quaedam facta tum priorum tum subsequentium saeculorum paucis referre juvabit. — In causa Photii eorumque qui ab eo ordinati fuerunt plura occurrunt, ex quibus colligere quis possit, nec ipsius quam accepit a Gregorio Asbesta deposito episcopo ordinationem, nec quas ipse aliis contulit ordinationes validas fuisse. Inter alia scribit e. g. Nicolaus I in epistola 9ª (*Quanto majora*) ad Michaëlem Imperatorem: *Gregorius ergo qui canonice ac synodice depositus et anathematizatus erat, quemadmodum posset quemquam provehere, vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius a Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit. Per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem et invocationem dabatur Spiritus sanctus, qui noverant mundas ad Dominum manus levare. Caeterum Gregorius qui transgressor factus est legis, ad iracundiam sui magis quam ad consecrationem alicujus Spiritum sanctum per impositionem suae manus sine dubio provocavit, etiamsi is qui ordinandus erat, nullas alias sibi haberet regulas obviantes. Hinc enim scriptum est* (*Prov.* 28. 9): *„Qui obturat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit in peccatum.“ Si execrabilis, utique et non audibilis; si non audibilis, ergo inefficax; si inefficax, profecto Photio nihil praestans, nimirum qui vulneratum caput per illam manus impositionem po-*

Photii ordines.

tius habere dignoscitur . . . Nec damnatus justificare, nec depositus erigere, nec ligatus potest quemquam per impositionem manus provehere; impossibile est enim horum aliquid fieri.[1]

Ebbonis ordines.

6. Etiam in causa Ebbonis archiepiscopi Rhemensis depositi eorumque qui ab ipso ordinati erant, ea videtur a pluribus episcopis Galliae proposita fuisse sententia, ordinationes a depositis praesulibus factas invalidas esse. In conciliis variis Suessionensibus, quibus praeerat Hincmarus, juxta Morini explicationem, ea praevaluit sententia. Videntur, ait Morinus, ita sentire de potestate ordinis, ut nunc Ecclesia de potestate jurisdictionis: depositos scilicet nullam ordinandi potestatem habere, irritum esse et inane quidquid faciunt; canonice tamen restitutos priorem potestatem recuperare. Verum distinguebant inter canonice ordinatos et postea depositos, et a depositis ordinatos. Hos iterum credebant ordinandos, utpote qui nihil ab ordinante deposito receperant. Illos autem a concilio causa cognita legitime restitutos, nova ordinatione opus non habere. Itaque existimabant, ordinationem a catholico episcopo catholice datam deleri non posse, sed illius vim depositione ita reprimi et hebetari, ut aliam ordinationem generare non valeret. Similiter sentiebant, ordinationes contra canones factas esse irritas et iterandas.[2]

Constantinus pseudopontifex.

7. Tanquam insigne iterationis ordinum exemplum citari solent ea quae, dejecto Constantino antipapa, a Stephano III (al. IV) ejusque synodo statuta sunt. Constantinus adhuc laicus post mortem Pauli I, fratrum, qui Romae potentes erant, ope, pontificatum arripuit, moxque ordinibus insignitus et Pontifex consecratus a Gregorio Praenestino episcopo, per anni spatium et mensem unum Sedem Apostolicam invasam tenuit. Tunc e sede dejectus est, et Stephanus III legitima electione Pontifex creatus. Consecraverat autem Constantinus episcopos octo, presbyteros octo, et diaconos quatuor, atque de hisce paulo post in synodo

---

[1]) Ap. Labbe VIII. 335. 337.

[2]) Morinus, De sacr. Ord. P. III. Exercitatio V. c. IV. n. VIII.

multorum Italiae et Galliae episcoporum varia decreta sunt. Scribit auctor Vitae Stephani III apud Anastasium Bibliothecarium: „De episcopis vero atque presbyteris et diaconibus, quos ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem concilio promulgatum est: ut episcopi illi, si aliquis eorum presbyter aut diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverterentur. Et si placibiles fuissent coram populo civitatis suae, denuo facto decreto electionis more solito cum clero et plebe, ad Apostolicam advenissent Sedem, et ab eodem sanctissimo Stephano Papa benedictionis suscepissent consecrationem. Presbyteri vero illi aut diaconi ab eodem Constantino consecrati, simili modo, in quo prius existebant habitu reverterentur. Et postmodum si qui eorum placibiles exstitissent, antefatus beatissimus Pontifex presbyteros eos aut diaconos consecraret; statuentes ut ii, qui ex eis consecrandi erant, nequaquam ad fortiorem honorem ascenderent, scilicet ne ad pontificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error in Ecclesia Dei pullularet ... De laicis vero qui ab eodem Constantino presbyteri aut diaconi consecrati sunt, ita promulgatum est, ut in religioso cunctis diebus eorum vitae habitu, sive in propriis domibus, vel ubi voluissent, permanerent.[1] Hujusmodi vero promulgatis sententiis, illico episcopi illi qui ab eodem Constantino ordinati sunt, revertentes juxta ejusdem concilii sententiam in pristinum honoris sui gradum, electi denuo a clero et plebe, factoque solito decreto, ad Sedem Apostolicam properantes ab eodem sanctissimo Papa consecrati sunt. Nam presbyteri et diaconi illi usque ad mortem ipsius Pontificis sic remanentes, nequaquam ab eo sunt consecrati. Ita enim in eodem concilio statutum est: ut omnia quae isdem Constantinus in ecclesiasticis sacramentis ac divino cultu egit, iteranda essent, praeter sacrum baptisma atque sanctum chrisma."[2] — Formosi adversarii ad haec appellabant, ut suam sententiam fir-

[1] Religiosum habitum significare habitum poenitentiae eruditi censent. V. Hergenröther, Photius, T. II. p. 352. nota 4.

[2] Vita Stephani III (IV) nn. XXI. XXII.

marent, nec Auxilius iis respondens negavit haec omnia facta esse, sed impie haec ex aestu et invidia facta contendit. *Ordinationem quoque ejus,* scribit, *non rectitudinis intuitu, sed invidiae zelo contra sanctorum Patrum sanctiones, in pristinos deposuerunt gradus . . . Manifeste in eis peccaverunt, qui secundum canones ordinati fuerant, et eos deponere non formidarunt, eosque nefario ausu iterum in eadem ordinatione consecrandos statuerunt.*[1])

Alia facta. 8. Theodorus Studita in lucta sua contra Iconoclastas, eorum consecrationem et ordinationem ut irritam et invalidam videtur rejecisse.[2]) — In Concilio CPtano primo (a. 381) quum ageretur de Maximo Cynico, qui sedem CPtanam invaserat, Patres ei nullam episcopalem dignitatem attribuisse dixeris, dum canone IV° statuunt: *De Maximo Cynico philosopho, et propter totius indisciplinationis ejus doctrinam quae Constantinopoli orta est, statutum est, ut neque Maximus fuisse aut esse etiam putetur episcopus. Neque hi qui ab eo sunt ordinati, qualemcumque gradum clericatus obtineant: omnibus scilicet quae circa eum vel ab eo gesta sunt in irritum revocatis.*[3]) Affertur praeterea concilii Caesaraugustani statutum, quo decernitur, ut presbyteri qui ex haeresi Ariana ad catholicam Ecclesiam veniunt, *accepta denuo benedictione presbyterii ministrare* possint.[4]) Nec desunt varia Patrum effata, quibus pronuntiant, ordinationes haereticorum, schismaticorum, aliorumve episcoporum illegitimorum esse *irritas,* non esse consecrationes sed *exsecrationes,* ita ut ordinati ejusmodi sint *vulnerati* et *maledicti* potius quam consecrati et benedicti.[5])

---

[1]) De ordin. Formosi L. II. c. 4. ap. Morinum l. c. p. 297.

[2]) Hergenröther, Photius Vol. II. Die Reordinationen der alten Kirche, p. 341.

[3]) Ap. Morinum. l. c. c. VII. n. II.

[4]) Concilii Caesaraugustani II (a. 592.) canon I: „Id placuit sanctae et venerabili synodo, ut presbyteri qui ex haeresi Ariana ad sanctam catholicam ecclesiam conversi sunt, qui sanctam et puram fidem, atque castissimam tenuerint vitam, (post) acceptam denuo benedictionem presbyterii sancte et pure ministrare debeant.“ Cfr. etiam can. III^um^. V. Labbe. V. 1600.

[5]) Hergenröther, Photius II. l. c. p. 322.

9. Quod ad tempora spectat quae secuta sunt controversiam de Formoso agitatam, advertenda veniunt quae ipso saeculo decimo mediante, videlicet a. 964, statuta sunt a Joanne XII ejusque synodo de Leone VIII et iis quos ordinaverat. Joannes in Leonem antipapam et ab eo ordinatos cum universi concilii unanimi consensu pronuntiavit damnationis et depositionis sententiam. Quoad Leonem decernit Joannes XII: *Sit omni sacerdotali honore et nomine alienus et omni clericatus officio prorsus exutus.* De iis autem quos Leo VIII ordinaverat ita definit: *Eos quos ipse Leo neophytus et invasor sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae in quolibet ecclesiastico ordine provexit, apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto in pristinum revocamus gradum, quia ordinatio eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit. Sicuti olim noster praedecessor piae memoriae papa Stephanus* (III) *sententiam tulit de iis qui ordinati fuerant a Constantino quodam neophyto et invasore sanctae Sedis Apostolicae, et postmodum quosdam eorum sibi placibiles presbyteros aut diaconos consecravit, statuens, ut hi qui ab eo consecrati erant nunquam ad superiorem honorem ascenderent nec ad pontificatus culmen promoverentur, ne talis impiae novitatis error in Ecclesia pullularet.* — Et quum Patres concilii censuissent, privandos esse suo honore eos qui a Leone ordinati erant, Joannes Papa *praecepit ingredi eos in Concilium cum vestimentis, planetis atque stolis; et unumquemque eorum in chartula scribere fecit hujusmodi verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi dedit. Et sic eos exutos privavit honore, quem dederat eis ipse invasor et neophytus atque curialis, et revocavit eos in pristinum gradum.* — Quoad Siconem, qui consecraverat Leonem VIII, definit Pontifex *eum omni sacerdotali carere et privatum fore ministerio.*[1])

Leonis VIII ordinationes.

10. Saeculo *undecimo* vehemens orta est controversia praesertim de ordinationibus Simoniacorum qui haereticis aequiparabantur. Petrus Damianus valorem illarum ordinationum in libro qui inscribitur *Gratissimus* defendit; Deus-

Simoniaci.

---

¹) V. Acta synodi ap. Baronium ad a. 964 nn. 6 sqq.

dedit Cardinalis vero in *Libro contra invasores et Simonistas* valorem illarum ordinationum impugnavit. In praxi autem quosdam episcopos reordinasse eos qui a Simoniacis fuerant consecrati, testatur Petrus Damianus in Praefatione scribens: *crescente fluctuationis ambiguo eatenus esse processum, ut nonnullos constet episcopos ab illis ordinatos clericos denuo consecrasse.*[1]) Saeculo *duodecimo* adhuc modo satis confuso de valore ordinationum collatarum ab haereticis aliisve praesulibus indignis, litigatum est; sed saeculo *decimo tertio* clarius haec quaestio praesertim a s. Thoma ac sequentibus theologis et canonistis explicata est. Principia enim s. Augustini evolventes, apprime distinxerunt inter *ordinem* et *jurisdictionem*, *validitatem* et *legalitatem*, ac praesertim quae ad indelebilem ordinis *characterem* pertinent accurate determinaverunt. Atque ita vera Ecclesiae doctrina mox patuit et communis facta est.

Quaestio expenditur.

11. Hisce attulimus, quamvis breviter, praecipua facta et argumenta, quae ex transactis saeculis citari possunt, difficultatemque praebent, quatenus ex iisdem deduceretur, antiquitus eam persuasionem fuisse ac praevaluisse, haereticorum, schismaticorum aliorumve ordinationes contra canones, haud esse validas, ac reordinationes in antiqua Ecclesia quam frequentissime susceptas fuisse. Talis est revera sententia doctissimi *Morini*, quam in Exercitatione citata fusius propugnat. Difficultates autem quae inde enasci videntur, dum Ecclesiae doctrina jam communis ususque posterioris temporis hisce confertur, ipse variis principiis distinctionibusque propositis scite elucidare ac diluere studet. Quamvis vero plura ex iis quae dicit comprobanda non videantur, sententias tamen ejus praecipuas jam exponimus, quia quaestioni, de qua agimus, afferunt lucem, et aliqua in iis habentur notatu valde utilia.[2])

[1]) Loquitur in contextu de clericis qui *gratis* a Simoniacis ordinati erant; sed si ad eos verba citata referuntur, a fortiori patet, etiam denuo a pluribus consecratos fuisse, qui a Simoniacis pecunia accepta ordinati erant — V. Morinum l. c. Exercit. V. c. II. nn. VII. VIII.

[2]) Vide Morinum l. c. cap. IX.

12. Itaque Morinus advertit 1°: „In ritu ordinationis sacrae quaedam esse divinae institutionis et traditionis, quae omni ordini sacro semper et ubique conveniunt, velut manus impositio et oratio conveniens, quae et Scriptura sacra nobis tradidit, et Ecclesiae praxis semper et ubique usurpavit. Quaedam vero *ecclesiasticae institutionis, quae licet mutari possunt et pro temporum et regionum varietate aliter atque aliter observari, tanti tamen sunt momenti quamdiu ab Ecclesia revocata aut abrogata non sunt, ut eorum omissio ordinationem non modo reddat inhonestam et illicitam, sed etiam irritam et nullam, omnique effectu et gratia cassam.*" Morini sententia.

13. Praeterea 2°: „Illa autem omnia ejusmodi, conditiones sunt materiam sacramenti sic afficientes et determinantes ut earum defectu materia reddatur ordinationi inepta" (vel ordinans reddatur ineptus). „Illae autem tam spectare possunt ordinantem quam ordinandum. Ecclesia enim meo judicio *definire potest, quibus conditionibus ordinans episcopus auctoritate sua uti debeat, quibusve cum donis et qualibus ordinandus sese ordinanti sistere, ut valide et efficaciter ordinem ab eo suscipiat*: ita ut si ordinans aut ordinandus definitionem hanc neglexerint contraque egerint, ordinatio sit nulla et irrita, atque, ut effectus producatur, iteranda. Idem de hoc sacramento analogice dicendum quod de matrimonio et poenitentia, quorum materiam videmus Ecclesiam saepe sub interminatione irriti sacramenti restrinxisse, dilatasse, vario tempore variis modis determinasse [1]) . . . . Hinc sequitur sacramentorum ma-

[1]) Non immerito advertit Phillips, Kirchenrecht, B. I. §. 39, nimium videri hanc analogiam urgeri, ut ejusmodi illatio fieri possit. Ratione characteris indelebilis in ordinatione proprior est analogia cum baptismo, adeoque uti baptismus ita et ordinatio valida, si conditiones divinitus institutae servantur. — Morini sententia potius analogiam quamdam habet cum ea opinione quae censet, in Ecclesia occidentali ad valorem sacramenti Ordinis traditionem instrumentorum requiri, quamvis in Oriente non sit necessaria. Haec autem sententia, ex qua alia essentialis materia in una parte Ecclesiae, alia in parte altera admitti deberet quomodo sustineri possit, optime declarat De Lugo disp. II. sect. 5. n. 85 sqq. „Supponi scilicet deberet, Christum institutorem

terias in diversis ecclesiis posse esse diversas, atque matrimonium, absolutionem, ordinationem quibusdam in locis celebrata irrita esse et nulla, quae si eodem modo et cum iisdem circumstantiis facta fuissent aliis in locis, fuissent rata et legitima, dummodo conditiones illae et circumstantiae, ut assumimus, sint ex usu illius ecclesiae ut substantiales imperatae."[1]) Advertit dein Morinus, Ecclesiam, sicuti ejusmodi conditiones ponere potest, ita etiam eas posse abrogare, indeque explicari, quod posteriori tempore ab haereticis vel schismaticis ordinati in suis ministeriis relinquerentur. Opportunum videlicet censuerat Ecclesia conditiones illas abrogare, ob quarum defectum antea irrita fuerat ordinatio.[2])

14. Dein 3° „in charactere, ut in quavis alia re, duo distingui debent, *rei substantia* et *virtus agendi.* Character semel impressus ab Ecclesia non pendet amplius, perpetuus est et indelebilis; sed *ipsius virtus Ecclesiae regimini subdita est, ab ea suspenditur,* ita ut nihil agat aut agere possit quamdiu durat suspensio.[3]) . . . Si virtus characteris illo illaeso lege ecclesiastica suspendi potest, recte intelligitur, qua ratione depositus, degradatus, haereticus, simoniacus, licet characterem in Ecclesia acceperint et conservent, nihil tamen in ordinatos a se transmittant, donec cum Ecclesia in gratiam redierint."[4])

15. Demum 4° alia „distinctio est *quaestionis definitae et dubiae.* Quamdiu quaestio dubia est et doctorum disputationibus in utramque partem ventilatur, quisque Pontifex opinionem quam judicaverit *probabiliorem aut rei quam prae manibus habet accommodatiorem,* amplecti potest et secundum eam agere, et dispensare, nihilque hac oeconomica

---

sacramenti determinasse materiam solum *generice*, ut adhibeatur sacra caeremonia et ritus aptus ad significandam potestatem, quae in ordinatione confertur; determinationem autem specialem reliquisse Ecclesiae ita, ut ipse signum in individuo ab Ecclesia determinatum ratum habeat." Franzelin, De Sacram. p. 45. Simile quid statui deberet in Morini sententia, quae tamen a theologis haud recepta est.

[1]) L. c. n. I. [2]) Ibidem nn. VII. VIII.
[3]) Ibidem n. X. [4]) Ibidem n. XIII.

dispensatione contra sanam doctrinam decernet. Ideo dum Ecclesiae doctores et episcopi vacillarent in ordinationum a schismaticis, haereticis, degradatis et simoniacis factarum definitione, potuerunt Pontifices quod sibi fuit probabilius aut accommodatius in hac opinionum varietate eligere et persequi."[1]) Haec animadversio valde utilis est, et passim in solutione difficultatum usuvenit.

16. Postremo 5⁰: „Distinguendum inter *certam* et *dubiam* sacramenti administrationem. Consuetudo olim in Ecclesia invaluerat, quae annis prope mille et ducentis perseveravit, qua si quid exoriebatur in administratione sacramenti dubium, statim *sine ulla conditionis appositione* iterum ministrabatur; sive dubium hoc spectaret totum sacramentum, ut cum dubitabatur, an aliquis fuisset baptizatus aut ordinatus, sive spectaret tantum sacramenti jam ministrati circumstantiam . . . Sacramenta enim tanti sunt momenti, ea praesertim quae semel tantum traduntur, ut ubi dubium est aliquod probabile accepta non fuisse, aut non valide tradita, debeant omnino sine scrupulo conferri . . . Eadem consuetudo etiam nunc perseverat, sed iteratio illa quae antiquitus absolute, nunc sub conditione fieri solet[2]) . . . Huic igitur antiquissimae et recentiori Ecclesiae catholicae praxi inhaerentes nobis videmur non improbabiliter dicere, Pontifices et concilia cum jusserunt ordinationes simoniace factas aut ab haereticis datas aut a neophytis susceptas iterari, antiquam Ecclesiae traditionem et praxim esse secutos. Gravissimum enim erat dubium de ordinationum illarum valore, fluctuantibus et nutantibus in istarum quaestionum decisione doctoribus, epis-

---

[1]) Ibidem n. XIV.

[2]) Ibidem n. XV. — Forma conditionata primum anno 745 a s. Bonifatio commemoratur (Statuta ap. d'Achery, Spicileg. I. p. 508), ac dein in Capitulariis Carol. L. VI. c. 184. Tantummodo Alexander III eam expressis verbis praescripsit, Cap. 2 de Bapt. III. 42; eamque praescriptionem inculcavit Joannes XXII (V. Raynald. ad a. 1335. n. 42). Cfr. Benedict. XIV de Synodo dioec. L. VII. c. 6. n. 1. — V. Hergenröther, Photius II. p. 323 nota 4.

copis, conciliis et summis Pontificibus."[1]) — Haec quoque animadversio ad difficultates diluendas perutilis est.

Morini sententia seponitur.

17. Quamvis Morini theoria admodum docta et erudita appareat, plurimis tamen theologis nimis complicata, objectionibus gravibus obnoxia, nec necessaria visa est, ut Ecclesiae doctrina et praxis jam recepta et communis, qua ordinationes ab haereticis, schismaticis, contra canones datas, tamen validas esse constat, cum antiquiorum Patrum effatis variisque factis apte concilientur. Re videlicet accuratius examinata graves auctores censent, quae ex antiquis saeculis afferuntur effata et facta valori illarum ordinationum apparenter opposita, reordinationumque exempla, revera talia non esse. Hinc dicendum, semper in Ecclesia praevaluisse eam doctrinam et praxim, ut ordinationes illicitae episcoporum etiam illegitimorum tamen validae haberentur. Posteriori quidem tempore dubia apud aliquos irrepsisse, remque in controversiam adductam esse, atque tunc etiam quaedam reordinationum exempla obvenire. Sed haec satis explicari, si prae oculis habeantur quae ab ipso Morino de certa ac dubia sacramentorum administratione, ac de iteratione dubii sacramenti sub conditione non expressa scite animadversa sunt.

Explicatio congrua.

18. Ut haec magis clarescant, jam quaedam capita proponimus quae prae oculis habenda sunt.[2]) Itaque 1° antiquissima Ecclesiae aetate differentia inter ordinationem *irritam* (invalidam) atque ordinationem *illicitam* erat sine vi *practica*. Etenim illicite ordinatis rarissime dispensatio concedebatur, ita ut nunquam ordinem exercere possent, isque, quamvis character indelebilis adesset, remaneret sine ullo effectu practico. In hac rerum conditione parum referebat declarare ordinationem irritam ac nullam (non attento charactere), vel illicitam, ac proinde ordinem nunquam exercendum. *Jam ad nauseam*, scribit Thomassinus, *illud inculcavimus, quod quae illicitae erant ordinationes, irritae passim dictitarentur, in causa fuisse raritatem et*

---

[1]) Ibidem n. XVII.

[2]) Vide haec. ap. Hergenröther Photius II. pp. 324 sqq.

infrequentiam dispensationum: quae si nullae concederentur, non magnopere referret, illicitae an irritae essent ordinationes. At nunc faciles et obviae passim dispensationes paene nimium plus distinguere cogunt, quid illicitum, quid praeterea irritum est.[1])

19. Antiqui 2° non expressis verbis, uti recentiores, distinguebant inter *ordinem* et *jurisdictionem*, sed generatim tantummodo de *potestate sacerdotali* vel *episcopali*, de ministerio ac munere, loquuntur. Unde qui non acceperat *jurisdictionem* episcopalem, uti *intrusus*, vel qui canonice eam perdiderat quemadmodum depositus, ille deficiente potestate episcopali, dicebatur *non esse* episcopus. — In multis antiquorum effatis etiam agitur de *nullitate* ordinum respectu *juridico*, non respectu *sacramentali*. Exprimitur iisdem, pro illicite ordinato nullum esse effectum juridicum, nec ipsum ex sua ordinatione vel minimum jus deducere posse, secundum illam regulam juris Romani: *Quae contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi.*

20. Hinc 3° ipsa formula *ordinatio irrita* (ἄκυρος, ἀβέβαιος χειροτονία) nullatenus semper *invalidam* ordinationem significat, sed saepe *illicitam, haud canonicam;* adeoque non exprimitur nullitas *absoluta,* sed, si ita dicere fas est, nullitas *secundum quid*, quoad *executionem, gradum et honorem,* non quoad characterem. Ita e. g. irrita dicitur ordinatio, si sine consensu proprii episcopi in alia dioecesi ad munus ibi obeundum quis ordinabatur. Sed tales clerici interdum a proprio episcopo dein requirebantur, ut in sua dioecesi ministerium exercerent. Proinde non erat plane invalida ordinatio, quamvis ut irrita, ἄκυρος, ἀβέβαια, in variis canonibus designatur. Similia ejusmodi exempla addi possent. Passim etiam illicitae ordinationes ut

[1]) De vet. et nova Eccl. Discipl. P. II. L. I. c. 65. a. 6. — In antiqua Ecclesia ordinationes *absolutae* strictissime prohibitae erant. Id est, tantum pro *certa* et *determinata* functione in determinata ecclesia quis ordinari poterat. Cui functionem illam exercere non licebat, is non erat presbyter vel episcopus, haud quod deesset character internus, sed quod deesset ministerium.

irritae declarantur, nisi episcopo in jure suo laeso satisfactio praestetur; ex quo patet, non supponi omnimodam nullitatem. *Rata* videlicet ea erat ordinatio, quae tanquam omni ex parte canonica et legitima agnoscebatur, quum omnes canones essent observati; ordinatio, cui sub hoc respectu aliquid deerat, dicebatur *irrita* vel *vana*. Nonnumquam etiam ejusmodi ordinationes dicuntur *irritari* (*ἀκυρωθῆσεσθαι*, *ἀκυρωθῆναι*), quod non adhibetur de iis quae per se nulla sunt, sed de iis quae sententia judicis auferuntur, quantum natura eorum patitur.

21. Aliud 4⁰ momentum hic venit maxime considerandum, illudque antiqui saepe prae oculis habebant, dum ordinationes illicitas dicebant irritas. Irritae dici possunt, quatenus *non conferunt gratiam* quae promittitur; videlicet dum ordinator haereticus, schismaticus, illegitimus est, et ordinandus illicite ordinatur, huic propter obicem peccati non confertur gratia, quamvis nudum characterem recipiat. Culpa supponitur tum in ordinante tum in ordinato. Saepe inculcatur. Spiritus sancti gratiam in illegitima vel simoniaca ordinatione non conferri, ordinationes tales esse effectu (gratiae) carentes; illique quibus gratia ministerii deerat, a Patribus dicebantur non esse presbyteri vel episcopi. In usu erat sub hoc respectu illud s. Hieronymi: *Non omnes episcopi sunt episcopi.*[1]) Ratione gratiae non collatae, gravissimae culpae ordinatoris et ordinati, abusus funesti, scandali, effectuum lugendorum qualis erat v. g. continuatio schismatis, Patres abhorrebant merito ab ejusmodi ordinationibus, easque dicebant *vulnerationem, damnationem, exsecrationem, pudendam in divisione rapinam.* — Episcopus schismaticus vel haereticus quamvis characterem habeat, tamen, quum extra Ecclesiam positus sit nec habeat jus potestatem suam exercendi, non est vero ac proprio sensu episcopus. Nec potest communicare potestatem exercitii ordinis quem confert, cum ne ipse quidem tale jus habeat. Eo sensu igitur de eo dici potest: *Dat quod non habet;* vel *dat*

[1]) Epist. ad Heliodor.

quod habet scilicet damnationem, vulnerat caput ordinati qui indiget medicina ut sanetur. Atque sic etiam *profanat* et *maculat* sacramentum.[1])

22. Animadvertendum est 5⁰, sicuti verbum *ordinare* frequenter apud antiquos adhibetur sensu latiori ut idem sit ac *constituere* et *eligere*, ita etiam *ordinis* vox non semper exprimit sacramentum ordinationis characterem indelebilem imprimens, sed frequenter exprimit ipsum statum et gradum in hierarchia cum suo ministerio, dignitate, honore externo. Unde quum quis ex illo statu et gradu hierarchiae plus vel minus excidit, adhibentur saepe formulae istae, deordinari, ab ordine amoveri, a clero cessare, a clero abjici, extorrem, alienum fieri ab ordine, ab altari removeri, ecclesiastica dignitate carere. De illo, qui decretis s. Sedis resistit, dicitur: *Nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto ministerio fiat.*[2]) Ejusmodi autem verbis non exprimitur, etiam characterem deleri sacerdotalem. — Poenarum erant gradus diversi; praeter excommunicationem et degradationem formalem, severissima erat poena, qua clerici ad communionem laicam redigebantur. In hoc casu secundum strictam disciplinam clericus non poterat amplius ad priorem statum ac dignitatem admitti.

23. Postremo 6⁰ frequenter etiam commemoratur apud antiquos ritus solemnis peculiaris adhibitus, quando clerici extra Ecclesiam ab haereticis vel schismaticis, aut alias illicite contra canones ordinati, in clerum restituebantur et admittebantur. Ejusmodi ritus fiebat *manuum impositione, benedictione, vestium atque instrumentorum sacerdotalium restitutione.* Talis ritus non erat vera iteratio ordinis. Sed quemadmodum in degradatione, externâ caeremoniâ insignia, et quidquid externi habet ordo detrahuntur,

---

[1]) Ad rem Gratianus post can 97. C. J. q. 1. §. 7: „Irrita et non vera dicuntur (sacramenta), quia quod promittunt et conferre creduntur (gratiam), non tribuunt, et ideo damnanda, ut ea dari vel recipi ab haereticis non approbetur, sed interdicatur. Non enim quantum ad se polluta sunt, quamvis ab haereticis pollui dicantur."

[2]) Greg. IV. can. 5. §. 1. dist. 19.

quamvis character remaneat, ita restitutio illa erat *consecratio* quaedam *caeremonialis* et *externa.* Eâdem restituebatur vel conferebatur illud quod abesse tollive potest, scilicet *exercitium ordinis, jus utendi* ordinis et in eo *ministrandi.* Quum tamen ille ritus in caeremoniis externis commune quid habeat cum ordinatione, intelligitur, quatenus dici poterat, *denuo* benedici vel consecrari tales clericos. Ita in Concilio Caesaraugustano II. c. 1° dicitur: *Presbyteros ex Ariana haeresi revertentes accepta denuo benedictione presbyterii ministrare.*

Valuit doctrina communis.

24. Dum haec prae oculis habentur, quaestio illa de valore ordinationis ab haereticis, schismaticis, simoniacis, vel contra canones factae, ac de reordinationibus, aptissime solvitur. Videlicet valuit etiam prioribus saeculis doctrina communis et postea clare proposita de valore ordinum ejusmodi. Morini explicatio durior est, nec admittenda videtur. Haesitatio quidem et controversia aliquando orta est, et quum doctrina nondum tam clare pateret, interdum quidam ordinati sunt eo quod prior ordinatio invalida haberetur. Sed nihil ex ejusmodi factis deduci potest, quo Romani Pontifices vel Ecclesia insimularentur, ac si in fide variassent, vel falsum aliquod dogma proclamassent.

Quo sensu reordinatio.

25. Ut jam facta historica paucis tangamus, illud imprimis pro certo affirmari potest, nunquam reordinationes eo sensu factas esse, quod qui habebantur aliquando valide ordinati censerentur amisisse ordinationem, ita ut denuo ordinarentur. Si quae reordinationes a quibusdam factae sunt, id inde proveniebat, quod invalidam fuisse priorem ordinationem certo vel probabiliter censerent. Qua in re valet illud Innocentii III: *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum.*[1] — Quoad priora saecula advertendum est, varios fuisse haereticos, quorum baptisma ob defectus essentiales nullum erat, nullaque proinde etiam eorum ordinatio. — Qui porro cum s. Cypriano ac Firmi-

[1] Cap. *Veniens* de presbytero non baptizato.

liano aliquando eo errore tenebantur, haereticorum sacramenta invalida esse, uti baptisma, ita etiam ordinationem haereticis conversis conferendam falso opinabantur. Etiam in suppositis canonibus Apostolorum erronea ista opinio expressa videtur can. 67°: *Si quis episcopus aut presbyter aut diaconus secundam ab aliquo ordinationem susceperit, deponitor tam ipse, quam qui ipsum ordinavit, nisi forte constet ordinationem eum habere ab haereticis. Qui enim a talibus baptizati aut ordinati sunt, hi neque fideles neque clerici esse possunt.*[1]) Controversia ista de valore sacramentorum, quae ab haereticis conferuntur, uti notum est, aliquanto tempore inter viros Ecclesiae viguit, sed patet, inde argumentum peti non posse contra valorem ordinationis haereticorum. Ecclesia enim valorem sacramentorum ab haereticis collatorum vindicavit.

26. Ex scriptis Patrum, qui tempore Arianorum florebant, uti s. Athanasii et s. Basilii, colligitur, ordinationes Arianorum agnitas fuisse ut validas, et ex factis constat, episcopos ex Arianorum haeresi redeuntes non iterum ordinatos fuisse. — In Concilio Nicaeno aliter statuitur de Paulianistis qui regulam baptismi non tenebant, ac de Novatianis qui rite baptizabant. Quoad priores dicitur can. 19: *De Paulianistis qui deinde ad Ecclesiam confugerunt statutum est, ut ii omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore praeterito in clericorum numero erant, siquidem a culpa et reprehensione alieni visi sint, rebaptizati ordinentur a catholicae Ecclesiae episcopo.* — Quoad Novatianos statuitur can. 8: *De his qui se Catharos id est puros quandoque nominant, ad catholicam autem et apostolicam Ecclesiam accedunt, sanctae magnae synodo visum est,* ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ etc. Duplex est horum verborum explicatio. Juxta quosdam interpretes χειροθετουμένους respicit ordinem in ipsa secta receptum, ita ut sensus sit: *eos qui manus impositionem*

Patres et Concilia.

---

[1]) Censent tamen plures, hic agi de haereticis qui non rite baptizabant: ita ipse Morinus l. c. cap. VII, Tournely, Holtzklau etc. Sed videtur obstare forma canonis universalis.

perceperunt, ita in clero permanere, vel *qui ex illis sunt ordinati, manere in clero.* Ita canonem explicant Rufinus, Ferrandus, Graeci interpretes Balsamon, Zonaras, Aristenus; inter recentiores, fratres Ballerini, Beveridge, Van Espen aliique plures. Si haec interpretatio constat, directe valor ordinationis Novatianorum exprimitur. Alii tamen auctores existimant, agi de manuum impositione in Ecclesia catholica facienda, ita ut cum Dionysio Exiguo vertendum sit: *ut impositionem manus accipientes sic in clero permaneant.* — Sed etiam in hac suppositione nullatenus uti Gratianus opinatus est,[1]) de iteratione ordinationis agitur, at manus illa impositio vel ritus reconciliatorius est, vel externa caeremonia benedictionis et consecrationis quam supra commemoravimus.[2]) Similia decernit Concilium in epistola synodica quoad clericos Meletianos, dum eos vult „*μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας*“ in clero esse. Illa *χειροτονία μυστικώτερα* optime explicatur de manuum impositione reconciliatoria. Ex modo agendi ss. Athanasii et Basilii, qui certe Concilii Nicaeni normam sequebantur dum episcopos Arianos ut valide ordinatos habebant nec iterum ordinabant, peremptorie confirmatur, ordinationes schismaticorum et haereticorum ab illa Synodo agnitas esse ut validas, nec reordinationem aliquam decretam.

27. Quae in Concilio Cptano primo dicuntur de irrita ordinatione Maximi Cynici, apte explicantur ex iis quae exposuimus. Agitur de exercitio, jurisdictione, honore et gradu, et hoc respectu etiam dicitur, eum non fuisse nec esse episcopum, quia videlicet inde ab initio usurpator erat. Simili modo irritantur quoque ejus ordinationes. Quum ipsi Concilio praesederit primum Meletius Antiochenus ab Arianis ordinatus, patet, synodum agnovisse valorem ordinationis haereticorum. — Ex aliis Conciliis oecumenicis varia facta afferri possunt, e quibus similiter eruitur, haereticorum ordinationes ut validas habi-

---

[1]) In inscript. ad can. 8. C. J. q. 7.

[2]) Canonis fusiorem expositionem vid. apud Hergenröther l. c. p. 335.

tas esse: ipse Tarasius in Concilio oecumenico VII ut ostenderet Iconoclastarum ordinationes validas fuisse, id ex effatis Patrum et actis Conciliorum probat. Provocans ad canonem octavum Concilii Nicaeni de Novatianis, advertit, idem de omnibus haereticis valere.[1])

Ecclesia occidentalis.

28. In Ecclesia occidentali praesertim per s. Augustini doctrinam omnino perspicuam patet, ordinationes schismaticorum et haereticorum valuisse. In suis scriptis contra Donatistas s. Augustinus passim testatur, ad conciliandam pacem et caritatem, episcopos et presbyteros qui a Donatistis schismaticis ordinati ad Ecclesiam catholicam redibant, in suo ordine ac dignitate manere, nec iterum eos ordinari, quum sicut baptisma, ita et eorum ordinatio valida sit et integra.[2]) Varia occurrunt facta Pontificum Siricii, Anastasii I, Leonis M., Gelasii, Anastasii II, Gregorii M., ex quibus elucet, eos ut validas agnovisse haereticorum vel aliorum illegitimas ordinationes.[3]) Effata quae opponi possent, ex regulis propositis non difficulter explicantur. Eo pertinet epistola S. Innocentii I ad Alexandrum Antiochenum (ep. 18), in qua Pontifex baptismi quidem, non vero ordinationis haereticorum valorem videtur admittere. Sententia videlicet Innocentii non respicit characterem ordinationis, sed eo redit, haereticum ad Ecclesiam revertentem, per reconciliationem baptismi quidem effectus integros et honorem recuperare, non vero presbyterum ordinationis effectus, quatenus adhuc a censuris liberari et in dignitatem suam restitui deberet. Id vero non conceditur. Non recipitur presbyter haereticus cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam dignitate, nec habet plenitudinem et perfectionem Spiritus sancti.[4])

---

[1]) V. Acta Conc. oecum. VII Act. I; Labbe VII. 66 sqq.

[2]) Cfr. Epist. 185 ad Bonifatium n. 44 sqq. Adv. Cresconium L. II. n. 12—15.

[3]) Cfr. Hergenröther l. c. p. 345 sqq.

[4]) V. Labbe, III. 1268. — Habetur epistola in Corpore Juris can., Decr. Grat. P. II c. 73 cum inscriptione: *Sacerdotes haereticorum Christi honoribus non habentur digni.* — „Arianos praeterea caeterasque hujusmodi pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine

Leonis M. textus.

29. Petitur etiam difficultas ex epistola Leonis M. ad Rusticum Narbonensem (ep. 92): *Inquisitio I. De presbytero vel diacono, qui se episcopos esse mentiti sunt; et de his quos ipsi clericos ordinarant. — Responsio. Nulla ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus episcopis cum Metropolitani judicio consecrati . . . Si qui autem clerici ab istis pseudoëpiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt, quae ad proprios episcopos pertinebant, et ordinatio eorum cum consensu et judicio praesidentium facta est, potest rata haberi, ita ut in ipsis ecclesiis perseverent. Aliter autem vana habenda est ordinatio, quae nec loco fundata est, nec auctoritate munita.*[1] — Ad diluendam obscuritatem advertendum est, illos pseudoëpiscopos tales fuisse, qui acceperant quidem consecrationem adeoque et potestatem ordinis. Sed erant illegitimi et jurisdictione carebant. Ordinationes eorum *ratas,* i. e. pleno effectu praeditas esse vult Pontifex, si cum consensu Ordinarii, eo praesidente factae sunt, secus decernit esse *vanas*, non quod nullas plane quoad characterem sacramentalem habuerit, sed quatenus illegitimas velit esse, ita ut nullum jus ministerii, dignitatis, et honoris conferant.

Facta varia.

30. Citavimus superius ea quae post ejectionem Constantini pseudopontificis (a. 769) a Stephano III ejusque synodo statuta sunt. Non exstant tamen concilii acta, sed tantummodo relatio quae in Libro pontificali Anastasii Bibliothecarii habetur, ac forte non omnino accurate gesta exhibet. Quamvis hac in re certa non suppetant argumenta, tamen valde probabile est, etiam ibi non agi de *nullitate* absoluta ordinationum Constantini, sed de *depositione* ordinatorum, ac de adhibenda consecratione seu

---

poenitentiae ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem suscipimus, non videtur, clericos eorum cum sacerdotii aut ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate: quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo baptismate et illis mysteriis arbitramur etc.“

[1]) Ap. Labbe, III. 1405.

benedictione caeremoniali et reconciliatoria quoad eos, quibus ministerium ordinis et gradus a Constantino recepti concedebatur. Auxilius quidem, uti vidimus, admittit, nullitatem ordinationis ibi esse decretam ac reordinationes factas: sed id nullatenus certum est. Quod si acciderit, nequaquam facto ejusmodi aliqua definitio fidei implicatur; sed in quaestione de qua controversiae jam ortae erant, quum non esset dirempta nec illico dirimenda, vel practice partem tutiorem, vel suam opinionem privatam Stephanus III et reliqui secuti sunt. — Hadrianus I tempore Concilii VII omnino consensit sententiae Tarasii, qua valorem ordinationum Iconoclastarum hic admittebat et vindicabat. — Certum est uti advertit Em. Hergenröther, usque ad saeculum octavum doctrinam et praxim Occidentis, non obstantibus quibusdam effatis durioribus, generatim reordinationibus eorum qui ab haereticis aliisve illegitimis episcopis ordinati erant, plane oppositam esse. Inde a concilio Arelatensi I, in quo actum fuit de ordinationibus Traditorum [1]) usque ad Hadrianum I, maxima testimoniorum pars valorem ejusmodi ordinationum confirmat et reordinationem rejicit.[2])

31. Quae in causa Photii occurrunt talia sunt, ut censeamus, *validitatem substantialem* ordinationis ipsius Photii et ordinum quos ipse contulit iisdem non rejici. Explicari enim possunt omnia facta et effata commode ex iis observationibus, quas supra proposuimus. Ex altera vero parte ipsa Photii eorumque quos ordinaverat *depositio* ostendit, valorem substantialem ordinis recepti haud — Photii ordinationes

[1]) Can. 13: „Si iidem (qui Scripturas sacras tradidisse dicuntur vel vasa dominica vel nomina fratrum suorum) aliquos ordinasse fuerint deprehensi, et hi quos ordinaverant rationabiles subsistunt, non illis obsit ordinatio."

[2]) Hergenröther l. c. n. 18. — Advertit nihilominus ibidem (nota 1), multos tamen hac in quaestione valde fluctuasse, uti agnoscitur, ex verbis Ecberti archiepiscopi Eboracensis, amici venerabilis Bedae. In opusculo de Eccles. institut. interrog. 5. (Galland. Bibl. PP. XIII p. 265), quoad baptismum certo statuit *quod iterari non debet,* sed addit: „Reliqua vero ministeria per indignum data *minus firma* videntur."

fuisse negatum. Idem eruitur inde, quod pro pluribus per Ignatium ac Stylianum episcopum dispensatio petita est; quodque Joannes VIII quando restitutioni Photii atque episcoporum ab eo ordinatorum consensit, reordinationem nullo modo postulavit. Quumque Joannis indulgentiam in Photium plures reprehenderint, tamen hac in re nullus invenitur eum arguisse. Caeterum Nicolaus I principia s. Augustini de valore sacramentorum independente a dignitate ministri omnino adoptat eademque sequitur, aliisque occasionibus, uti in causa Ebbonis Rhemensis archiepiscopi, clare exprimit sententiam suam de valore ordinationum etiam illicite et indigne peractarum. Censuit quidem Nicolaus, Ebbonem injuste depositum fuisse; sed decernit, etiamsi res aliter se habuerit, eos quos postea Ebbo ordinaverat (Wulfadum ejusque socios) in suis ordinibus suaque dignitate agnoscendos esse.[1]) — Eadem fere verba dura, quae de Photio ordinatisque ab ipso apud Nicolaum M. inveniuntur, adhibentur quoque ab Hadriano II et Joanne VIII quoad episcopos et presbyteros ab Ignatio ordinatos et in Bulgariam missos, quum hac in re Ignatius jura Sedis Apostolicae laederet. Nec tamen valorem ordinationis istorum hi Pontifices reapse rejecerunt; nam alias designant eos ut *illicite constitutos* et *ordinationes illicitas perpetrantes.*[2])

Ebbo Rhemensis.

32. In causa Ebbonis Rhemensis atque Wulfadi et ejus sociorum, primarie agebatur quaestio de legitima vel illegitima depositione Ebbonis, ac de gradu, honore, mi-

---

[1]) Ep. *Reverentissimum*, ad episcopos synodi Suessionicae: „Verumtamen qualiscumque fuerit vel pertulerit Ebbo, a se ordinatis qui nihil praeter humilitatem et obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus intulit offendiculum.“ Confirmat id ex S. Leone M. additque: „Et Anastasius ejusdem apostolicae Sedis praesul, quod mali bona ministrando sibi tantummodo noceant, nec Ecclesiae sacramenta commaculent, ad Anastasium principem scribens evidentissima ratione demonstrat.“ V. Labbe, VIII. 850.

[2]) De quaestione, cur Latini rejecerint ut invalidam confirmationem a presbyteris Photii in Bulgaria collatam, egimus in Dissertatione XVII.

nisterio presbyterorum illorum, qui ab ipso ordinati erant. Jam vidimus, interveniente Nicolao I contra Hincmarum Rhemensem, vicisse Wulfadum ejusque socios, eosque ministerio et dignitati restitutos fuisse. Controverti potest, utrum aliqui Galliae episcopi, ut Immo Noviomagensis episcopus, nullitatem omnimodam ordinationis Ebbonis defenderint. Id existimat Morinus;[1]) negat vero Natalis Alexander,[2]) qui contendit *de ordinis executione,* non de ordine ipso actum fuisse. Caeterum si qui episcopi in erronea opinione fuerunt, id fluctuationi illi quae eo tempore animadvertitur adscribendum est.

33. De controversia circa ordinationes Formosi jam satis locuti sumus. Stephanus VI exauctoravit quidem a Formoso ordinatos, sed ordinationem illam non habuit ut plane nullam, nec illos reordinare ausus est. Sergius pariter impugnavit ordinationes Formosi, ac per se jam ejusmodi impugnatio par erat liti vehementissimae provocandae, etiamsi tantum externum ritum benedictionis reconciliatoriae suscipiendum ordinatis imposuisset. Nam eo ipso fatebantur, Formosum fuisse illegitimum et se contra canones ordinatos. Attamen reordinationes ab Auxilio et Vulgario exprobrantur Sergio, ac videtur agi de reordinationibus proprie dictis quatenus ut plane nullae Formosi ordinationes habebantur.[3]) Nec tamen istae reordinationes frequentes fuisse videntur, quum resisterent ordinati; frequentiores forte fuerunt consecrationes vel benedictiones reconciliatoriae. Stephanus VI et Sergius III.

34. Quae sub Joanne XII in concilio Romano peracta sunt, non ostendunt, ordinationes Leonis ut plane nullas habitas fuisse. Omnia enim apte explicantur de depositione a gradu, dignitate, honore externo. Plena qui- Joannes XII.

---

[1]) De sacris Ordinat. Exercitatio V. c. IV. n. 11.

[2]) In saec. X. Dissert. VII. De causa Wulfadi.

[3]) Verba Auxilii citavimus; Vulgarius ait: „Habuit Judas baptizandi potestatem, habuit, ut dictum est, et Formosus per consecrationem episcoporum. . . Unde ergo est quod Judae baptizati non rebaptizantur, alterius vero ordinati reordinantur?" Ita in libello de causa Formosiana ap. Dümmler, Auxilius et Vulgarius p. 121. Cfr. Hergenröther. Photius II. p. 367.

dem certitudine rem definire non praestat, quum eo tempore jam vehementius controversia de valore ordinationum illegitimarum agitata esset. — Quomodo adhuc per aliquod tempus fluctuatio quaedam tum in theoria, tum in praxi se manifestet, donec inde a saeculo XIII Ecclesiae doctrina clare illucesceret, superius diximus. Atque ex regulis allatis aliisque theologiae principiis liquet, ex his omnibus nihil colligi posse contra infallibilitatem RR. Pontificum in fidei decretis, vel contra inerrantiam Ecclesiae.

Stadia ver. dubii.

35. Juvabit postremo animadvertere, doctrinam de valore ordinationum, uti ex dictis patet, ad eas pertinere veritates, de quibus aliquo tempore inter ipsos Catholicos controversia vigebat. Talis autem doctrina potest et solet, uti jam s. Augustinus advertit, in triplici velut stadio versari. Primum stadium est, quando nulla adhuc urgente controversia, nec quaestione adhuc diligenter digesta, caput aliquod tenetur vel implicite in professione veritatis universalioris, vel tenetur usu et praxi magis quam theoretica et distincta propositione et instanti praedicatione. Alterum stadium est, quando hujusmodi caput doctrinae incipit vocari in controversiam, et ideo examinari et inquiri diligentius. Orta et durante controversia, ex rei natura fluctuatio aliqua inducitur, tum in expositione theoretica, tum in praxi, si veritas controversa praxim simul spectat, donec paulatim inquisitione ipsa sub assistentia Spiritus sancti res ad liquidum deducatur. Sequitur tertium stadium, quando vel solemni Ecclesiae judicio, vel aliter consensu invalescente, de veritate jam certo constat, illaque quaestione eliquata transit in explicitum intellectum catholicum et in manifestam praedicationem ecclesiasticam.[1]) Haec facile applicabis controversiae de valore ordinum a schismaticis, haereticis, depositis, illegitimis episcopis, vel contra canones collatorum, ac de reordinatione eorum qui tales ordines susceperunt.

---

[1]) Cfr. Tractat. de Deo Creatore n. 373; Franzelin, de divina Traditione. Thesis XII.

II.

Controversia de tetragamia.

36. Jam brevius exponamus controversiam de *tetragamia*, quae propter quartas nuptias Leonis VI Imperatoris CPtani exarsit. Successerat Basilio anno 886 ejus filius Leo cognomine Sapiens seu Philosophus, sub quo vidimus schisma Photianum exstinctum fuisse. Erat Imperator iste quidem in rebus publicis legibusque condendis severus, sed in vita privata moribus satis dissolutus. Basilius Imperator legem dederat, forte suadente Photio, qua quartas nuptias non solum illicitas, sed invalidas, progenituramque ex tali conjugio illegitimam declarabat, eos vero qui talem unionem inirent poenis fornicatorum addicebat. Addebat, se *lege divina* impediri quominus Justiniani regulas laxiores sequeretur; quibus verbis alludere videtur ad Patrum quorumdam, maxime S. Basilii, severiora de ejusmodi nuptiis effata. Ulterius etiam procedens Leo VI lege civili decreverat, ut in eos quoque, qui tertias nuptias inirent poenae illae ecclesiasticae applicarentur, quae antiquis canonibus (Basilii ad Amphilochium), constitutae, in oblivionem fere abierant.[1]) Sed Imperator ipse mox parum suas leges curavit, nec vitae honestae dedit exempla. Adhuc vivente prima uxore S. Theophania, consuetudinem habebat cum Zoë Stiliani Tsautzae filia, cujus maritus Theodorus Guniatzizes veneno sublatus fuit. Mortua Theophania ex qua filiam tantummodo Leo habuit, non mediocri scandalo duxit illam Zoëm secundam uxorem (892). Illa brevi temporis spatio, post annum mensesque octo, sine liberis exstincta, tertiam duxit uxorem Eudociam, ex Opsicii provincia (Maeonia) oriundam, formae nomine selectam, quae in puerperii doloribus una cum infante mortua est. Tunc Leo, quum vehementissime prolem masculam desideraret, sibi junxit Zoëm Carbonopsinae filiam (c. 903), quam in palatio habuit, quin solemni (saltem)

Leonis VI nuptiae.

[1]) Cfr. Baron. ad a. 901 n. 4.

matrimonio ei unita esset. Haec peperit (c. 905) filium Constantinum Porphyrogenitum. Quum de baptismo solemni pueri ageretur, Nicolaus Mysticus[1]) patriarcha communi consilio cum synodo domestica declaravit, solemniter puerum non posse baptizari, nisi Leo promitteret separationem a matre. Ea conditione videlicet permitti posse Imperatori, ut filium quamvis illicite genitum uti suum retineret, sed matrem debere dimitti, quum illegitima sit illa conjunctio. Promisit quidem Leo VI. et solemniter baptizatus est Constantinus (a. 906): sed paucis post diebus Imperator Zoëm declaravit Augustam, ac sine interventu patriarchae et episcoporum nuptias celebravit, in quibus ipse benedictionem pronuntians, partes egit sponsi et presbyteri. Brevi post ut defectum suppleret, eo adduxit Thomam presbyterum, ut benedictionem matrimonialem in Leonem Zoëmque perageret, atque exinde haec ut Augusta honorata fuit.

Nicolaus Mysticus.

37. Ingens ex his eventibus agitatio ac scissio Constantinopoli orta est. Thomam presbyterum Nicolaus patriarcha deposuit, et disciplinam atque canones magno cum vigore vindicavit. Matrimonium videlicet Imperatoris ut nullum consideravit, illúmque enixe monuit, ut a coeptis desisteret. Jam tertias nuptias aegre permitti potuisse, sed nuptias quartas nullo modo posse comprobari omnibusque legibus esse oppositas. — Advertendum est, Nicolao diu persuasum fuisse, quartas nuptias juxta doctrinam Patrum nunquam iniri posse, nec dispensatione aliqua adhibita posse legitimum ejusmodi matrimonium fieri, sed ex se hanc unionem esse fornicariam et adulterinam *legique divinae* oppositam. Ex hac persuasione rigidiori, cui vir caeteroquin probus cum obstinatione quadam inhaesit, difficultates magnae et diu persistentes exortae sunt.

38. Quum Nicolaus apud Leonem VI nihil profi-

---

[1]) Cognomen Mystici Nicolao inde fuit, quod ante patriarchatum officium *mystici* gesserat, id est, ut vulgo intelligitur, sanctiori consilio aulico a secretis fuerat.

ceret, postulavit, ut saltem se separaret a Zoë, donec legati Româ atque ex aliis sedibus patriarchalibus accersiti cum synodo rem examinarent. Supponebat Nicolaus sine dubio, suam sententiam confirmatum iri. Negavit Leo, se vel per unicum diem dimissurum Augustam, caeterum si quae synodus congregaretur se certum esse, non rejecturam ipsam suum agendi modum. Interim Nicolaus Imperatorem ab ingressu (solemni) in ecclesiam exclusit, ita ut tantum per introitum quemdam secundarium intrare posset. — Leo VI autem reapse sine concursu patriarchae Romam se vertit ad Sergium III recurrens, et post novem menses inde a nuptiis initis legati Romani Constantinopolim pervenerunt. Jam ante eorum adventum rumores Constantinopoli sparsi sunt, Româ legatos venturos esse qui Leonis quartas nuptias comprobarent atque permitterent. Haud dubie Imperator certior factus erat, Romae eum rigorem contra quartas nuptias non vigere, ac saltem dispensatione rem posse componi et matrimonium validum fieri. Quum vero Nicolaus inhaesisset persuasioni, quartas nuptias ita abhorrendas, foedas, legi ecclesiasticae ac divinae oppositas esse, ut nulla dispensatione possent probari, auctoritatemque suam censeret laedi et canones contemptui haberi, eo quod Imperator solus Romam recurrisset, et jam annuntiaret inde venturos legatos, qui permitterent quod patriarcha prohibuerat: vehementius commotus est, ac zelo quodam praepostero auctoritatis suae tuendae servandaeque disciplinae eam iniit agendi viam, qua res valde turbavit. Quum se ipsum videlicet haberet in dioecesi sua quoad res matrimoniales ut judicem competentem, et eo usque tali in negotio appellatio Romam nondum esset directa, ne jacturae auctoritatis exponeretur, legatos solemniter convenire noluit, ut examen negotii institueretur. Declaravit etiam, praesules ipsi junctos discussioni publicae non favere, quum territi essent assertione repetita Imperatoris, Romanos concessuros esse postulata etiamsi alii recusassent. Hinc nonnisi ad colloquium privatum cum legatis in palatio habendum se paratum esse nuntiavit.

Recursus ad R. Pontificem.

39. Legati Pontificis merito aegre tulerunt, quod pa-

triarcha recusaret ipsos solemni modo recipere ac de negotio propter quod venerant agere: probabile est, eos institisse, ut res eo modo fierent, qui dignitati et auctoritati eorum conveniret. Privato colloquio in palatio habendo nec ipse Imperator consensit. Mox vero quum Imperator videret, in sententia sua persistere Nicolaum, eum in exilium misit; et loco ejus patriarcha constitutus est Euthymius, qui confessarius erat Imperatoris. Laudatur hujus viri pietas et doctrina; quodque vivente Nicolao patriarchatum susceperit, explicandum videtur ex illa disciplinae relaxatione Constantinopoli jam vigente, qua quum ab Imperatore aliquis patriarcha a sede amoveretur, censebant licere alteri episcopatum acceptare, ne ecclesia esset viduata pastore. Synodus dein habita est a cleri parte quae Imperatori favebat, in qua creatio Euthymii rata habita est, simul cum legatis Romanis, et ex dispensatione, ratae habitae sunt nuptiae quartae Leonis cum Zoë. Adfuisse videntur etiam legati aliarum sedium patriarchalium; accurate tamen non liquet, quomodo singillatim res evenerint, quum documenta maxima ex parte temporum injuria interierint.

Nicolaus depositus.

40. Magna divisio ex his secuta est inter metropolitas, episcopos ac clericos patriarchatus CPtani, aliis Nicolao, aliis Euthymio adhaerentibus. Nicolaus vero in exilio continuavit suam tueri sententiam, qua disciplinam ecclesiasticam periclitantem se vindicare credebat, Euthymiumque consideravit ut suae sedis usurpatorem. Quum Leo VI anno 912 moriturus decumberet, cum Nicolao pacem inire studuit, ejusque restitutionem curavit perficiendam, ut ipse Nicolaus (ep. 32) testatur. Atque revera Nicolaus Mysticus vel adhuc vivente Leone, vel juxta auctores historicos Graecos post ejus mortem (die 11 Maji anni 912) in sedem suam restitutus est, Euthymius vero habita synodo modo valde indigno exauctoratus. Studuit dein Nicolaus scissionem in patriarchatu CPtano exortam compescere, operamque etiam dedit, ut in unionem cum ecclesia Romana rediret. Scripsit igitur ad Anastasium III ista de re litteras, quibus, quamvis cum

Redit ad sedem.

reverentia, suam sententiam defendit, argumenta impugnat quae a Romanis pro liceitate tetragamiae allata erant,[1]) petitque, ut mutata sententia concordiam cum ipso ineat Pontifex. In favorem sententiae Nicolai adduci quidem poterant canones et effata severiora Patrum graecorum de quartis nuptiis, sed nimium plane ipse procedebat, dum eas assereret per se peccatum esse, legique divinae contrarias ita, ut dispensatio dari non posset. In ecclesia occidentali non laudabantur quidem nuptiae ulteriores, sed tamen non damnabantur. Jam s. Augustinus: *De tertiis et quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde ut breviter respondeam, nec ullas nuptias audeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre.*[2]) Quamvis autem severiori disciplinae Orientis Romani Pontifices consentire possent, nullatenus tamen poterant admittere illam Nicolai sententiam, vel improbare modum agendi Sergii III ac dispensationem ab ipso concessam. Atque hac ratione dissensio cum Sede Romana perstitit.

41. Paulatim tamen Nicolaus importunam severitatem minuere visus est. Alexandro fratre Leonis defuncto (a. 913) ipsi praecipue tutela Constantini Porphyrogeniti atque administratio rei publicae commissa fuit, quumque petente Constantino mater ipsius Zoë, antea relegata, ad palatium rediisset, eam ut Augustam Nicolaus agnovit. Id secundum principia sua severiora non potuisset patriarcha, quandoquidem ex ipsius opinione Zoë non fuerat nisi illegitima concubina Leonis VI. Implicite igitur atque externe saltem jam agnovit, eam conjugem veram Imperatoris fuisse. — Postremo eo pervenit Nicolaus, ut anno 921 synodo habita unio in patriarchatu CPtano restitueretur, et communi consensu unionis decretum de tertiis et quartis nuptiis conderetur. Quoad tertias nuptias Conciliationis studia.

[1]) Jam non exstant documenta quae a Sede Apostolica hac in re Constantinopolim missa erant, sed a Sergio III datis litteris vindicatum fuisse jus quartarum nuptiarum saltem vi dispensationis, ex epistola Nicolai Mystici colligitur.

[2]) Aug. de bono vid. c. 12.

decretum est, eas non permitti. nisi in certis rerum articulis, nec sine indicta parti incontinenti poenitentia. Quoad quartas vero nuptias statuunt: *Sententia judicioque communi decernimus, ne ab hoc anno praesenti* (921) *quartas nuptias ullus contrahat, sed ut prorsus eae rejiciantur. Quod si quis ad ejusmodi conjugium progredi decreverit, ab omni coetu ecclesiastico exclusus esto, et ab ipso in sanctam aedem ingressu tantisper alienus, donec in hoc conjugio permanserit. Hoc enim sanctis quoque patribus qui ante nos vixere visum fuit. Ac nos sane sententiam reddentes apertiorem, eum velut alienum a republica Christianorum abdicamus. Et in hunc quidem modum de quarto matrimonio.*[1]) Vides, Nicolaum quidem effecisse, ut *pro tempore futuro* severum decretum de quartis nuptiis conderetur. Sed eatenus ipse cedebat, quatenus omnino silentio tegebantur quae sub Leone VI acciderant, nec hujus matrimonium damnabatur. Itaque jam non urgebat sententiam suam, quartas nuptias esse contra legem divinam nec dispensatione eas cohonestari potuisse. Imo dum praecise inde ab illo anno 921 quartae nuptiae prohiberentur severe, relinquebat locum sententiae, Leonis nuptias dispensatione validas fuisse.

Concordia restituitur.

42. Plerique episcopi et clerici patriarchatus CPtani dein in concordiam cum Nicolao rediere; aliqui tamen eorum qui Euthymio adhaeserant separati manserunt. eo praetextu, quod Nicolai sententia a Sede Romana rejecta esset. Studuit autem Nicolaus magno cum fervore a Joanne X Pontifice approbationem unionis et plenam communionem obtinere, ad quem finem iterato nuntios ac litteras Romam misit. In litteris istis quamvis multa contra quartas nuptias scribat, et disciplinam severiorem Ecclesiae orientalis evehat, ostendit tamen se jam admittere, dispensatione et indulgentia matrimonium illud Leoni potuisse permitti. *Illud vero* (concordiae restitutio) *omnino fiet,* scribit Nicolaus, *dummodo de anteactis quartarum nuptiarum causa, inter nos conveniat illa contra jus facta fu-*

[1]) Vid. Baron. ad a. 921. n. 6.

isse, etsi, propter indulgentiam in imperatorem, quod factum est assensum accepit . . . Eulogium religiosissimum presbyterum et cubicularium et hominem nostrum cum epistola nostra simul misimus, cui mandarimus haec tum cum litteris tum proprio ore dicere, ut quae in nostra ecclesia impressa vigent et pacificum statum adepta sunt ea quoque apud vos sanciantur, et in mutuam inter nos unitatem eadem forma statuantur. Quae quidem nullatenus sunt gestorum condemnatio, nec eorum repudiatio quae de his infauste dicta sunt, sed tantum ut conveniat, ea quae circa quartas nuptias gesta sunt, respectu imperatoriae dignitatis cum indulgentia gesta fuisse, sed non rite aut secundum Ecclesiae leges. Quod et absque nostris verbis ii qui tunc vita fruebantur, Sergius scilicet (quem beatis cupio annumerari pontificibus) et qui cum eo erant, in suis agnoverunt litteris.[1]) Ex epistola porro, quam scripsit Nicolaus Mysticus postea ad Simeonem regem Bulgariae, comperimus, (a. 923) legatos Romanos Theophylactum et Carum venisse, et communionem solemniter restitutam fuisse.[2]) Qua ratione legati per singula egerint, documentis perditis, haud constat. Supponendum non videtur, eos omnibus, quae in decreto unionis habebantur, consensisse et sanctionem dedisse. Poterat Romano Pontifici sufficere, quod Nicolaus dispensationem Leoni VI legitime datam esse agnoverat; caeterum vero poterat Ecclesiae orientali disciplinam severiorem permittere, quin eam comprobaret,[3]) vel ipse quid contra tertias quartasve nuptias statuere vellet. Hac ratione res esse compositas, colligi videtur ex posterioribus aliquot even-

---

[1]) Epist. 53. ap. Migne P. G. T. CXI. p. 217.

[2]) V. Epist. 28 ap. Migne P. G. T. CXI. p. 175.

[3]) In textu epistolae Nicolai ad Simeonem ap. Baron. a. 917 n. 4 legitur: *Οἳ (λέγατοι) καὶ τὰ σκάνδαλα τὰ ἐκ τοῦ τετάρτου γάμου συμβεβηκότα ἔπαυσαν* in alia recensione ap. Em. Mai et Migne l. c. *ἀναθήματι παρέδωκαν.* Dubium igitur est, utrum ejusmodi anathema legati tulerint cum Nicolao ejusque clero. Poterant tamen scandala ex quartis illis nuptiis orta, scilicet violentias multiplices contra praesules aliaque mala, anathematizare, quin ipsas quartas nuptias proscriberent. Cfr. Hergenröther Photius III. 693 nota 41.

tibus, e quibus eruitur, Graecos non ignorasse, a Romanis tertias quartasve nuptias haud prohiberi. — Decursu porro saeculi decimi unio inter Sedem Romanam et Ecclesiam orientalem non amplius turbata est.

III.

De indole Imperii sub Ottone Magno ejusque successoribus.

Imperii natura.

43. Ea quae diximus de dignitate et auctoritate imperiali quoad Carolum M. et Imperatores ex stirpe ipsius, etiam valent, dum de Ottone ejusque successoribus agitur. Vidimus sapientissimum quondam fuisse consilium Leonis III, ut ipse summus Pontifex omniumque fidelium Pastor et Rector coronatione et proclamatione Caroli in Imperatorem, *Imperium sacrum* institueret. Hac ratione, diximus, peculiarem et essentialem Imperii hujus characterem, indolem, dignitatem, Ecclesia seu summus Pontifex determinavit. Id videlicet Leo praecipue coronatione Caroli intendit, ut inter principes aliquis esset, potentissimus quidem jam multarum provinciarum possessione, cui maxime et peculiariter committeretur illud officium et illa dignitas, ut esset *protector et defensor Ecclesiae et Romani Pontificis* ac societatis christianae, quique sub directione Ecclesiae religionem christianam ejusque multiplicia bona ubique promoveret et amplificaret. Vicissim Ecclesia huic principi praeeminentiam prae aliis principibus honoremque plane eximium conciliabat. Ita intima unio quae ex sanis principiis inter potestatem spiritualem et temporalem semper quaerenda est, in Pontifice et Imperatore eorumque mutuo habitu suam inveniebat practicam et summam expressionem, suosque debebat producere salutares effectus.[1])

[1]) Cfr. Dissert. XV. n. 12.

43. Debitam submissionem et reverentiam erga Pontificem et Ecclesiam quoad *principium* Carolus M. rite agnoscebat, uti id apprime exprimitur verbis notissimis illius Capitularii *de honoranda Sede Apostolica: In memoriam beati Petri honoremus sanctam Romanam et Apostolicam Sedem, ut quae nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat magistra ecclesiasticae rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, feramus et pia devotione toleremus.* Seipsum Imperator dicebat *Ecclesiae defensorum et protectorem.*[1]) Quum vero res humanae plerumque imperfectum quid habeant, passim accidit quidem, ut etiam Carolus aequo majorem influxum in res ecclesiasticas sibi tribueret; atque Pontifices permittere vel tolerare aliquid ista in re visi sunt. Invigilarunt tamen tum Hadrianus I, tum Leo III, ne niminum Imperator procederet, neve jura temporalia Sedis Apostolicae in ditionem ecclesiasticam laederet. — Similis fuit status rerum sub sequentibus ex stirpe Caroli Imperatoribus. Studuerunt quidem ipsi augere influxum suum in res ecclesiasticas et Romanos, atque interdum etiam conflictus exorti sunt; generatim tamen Romani Pontifices vigore suo et constantia inter limites debitos illos continuerunt. Illud praesertim Imperatores obtinere studuerunt, ut Pontifex non eligeretur vel consecraretur sine praesentia legatorum Imperatoris; qua in re aliquid quidem, salva libertate electionis, interdum Pontifices concesserunt. Nulla tamen lex omnino *firma* ista in re invenitur observata. Carolus M. et successores.

45. Vidimus porro, quomodo versus finem saeculi noni splendor dignitatis imperialis admodum imminutus sit sub ultimis Carolingis et sub Imperatoribus Italis. Nihilominus etiam in Berengario Joannes X subsidium efficax pro rebus ecclesiasticis invenit. — Quemadmodum vero libero consilio Leo III imperialem dignitatem Carolo M. contulerat, ita etiam postea *jus liberum* remansit Pontificibus, ut quem dignum censerent constituerent Im-

[1]) V. Dissert. XV. n. 29.

peratorem, quamvis convenientiam quamdam agnoverint, ut dum stirps directa Caroli supererat, inde Imperatorem seligerent. Qui dein secuti sunt in hac dignitate principes, ex feminarum parte cum Carolo M. cohaerebant. Post mortem Berengarii per aliquot decennia Imperium vacavit; plena autem libertate iterum usus est Joannes XII dum Ottonem I Imperatorem coronavit, nec per se Ottoni jus quoddam competebat. Sed merito ob potentiam quam ipse ut Germaniae rex jam acquisierat, atque ob virtutes quibus excelluit, Pontifex eum censuit dignum et idoneum cui corona imperialis conferretur. Cum restrictione ejusmodi tantum admitti possunt verba Ottonis Frisingensis, dum de Ottone M. scribit in Chronico (L. VI. c. 24): *Hic est Otto, qui imperium Romanorum virtute sua ad Francos orientales reduxit.* Nec postea per se successores Ottonis in regno Germaniae coronam imperialem sibi ut debitam vindicare poterant. Sed jam ea facta est illorum regum potentia et auctoritas, ut continuarent Pontifices ipsis conferre Imperium, atque ita ex consuetudine paulatim jus quoddam inolevit, ut qui constitutus erat in regem Germaniae, si dignus inveniebatur, etiam in Imperatorem coronaretur.

Ottonis M. juramentum.

46. Otto M. Joanni XII, antequam coronaretur, juramentum praestitit, quo promisit protectionem Ecclesiae, et reverentiam debitam erga Romanum Pontificem. Juvat citare textum in Corpus Juris receptum, ut cognoscatur, qualia fuerint ejusmodi juramenta. *Tibi Domino Joanni Papae ego rex Otto promittere et jurare facio per Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et per lignum hoc vivificae crucis et per has reliquias Sanctorum, quod si (permittente Domino) Romam venero, Sanctam Romanam ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum posse meum, et nunquam vitam, aut membra, et ipsum honorem, quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut meo exhortatione perdes; et in Romana urbe nullum placitum, aut ordinationem faciam de omnibus quae ad te aut Romanos pertinent, sine tuo consilio, et quidquid de terra sancti Pe-*

tri ad nostram potestatem pervenerit, tibi reddam: et cuicumque Italicum regnum commisero jurare faciam illum, ut adjutor tui sit ad defendendam terram sancti Petri secundum posse.[1])

46. Exstat praeterea Diploma Ottonis, quo ipse, quum Romae esset, die 13⁰ Februarii confirmavit donationes a Pipino aliisque Romano Pontifici factas, ut provincias istas et urbes Pontifices *in suo detineant jure, principatu, atque ditione.* Quoad electionem autem Romani Pontificis allegatur conventio Eugenii II cum Lothario, videlicet ut omnis populus se obliget ad electionem canonicam, et *ut ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente, consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in praesentia missorum nostrorum, vel filii nostri, seu universae generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione atque futura conservatione, qualem domnus et spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.*[2]) De hoc Diplomate, utrum genuinum sit, controvertunt auctores; exstabat tempore Baronii exemplar ejus valde pretiosum in archiviis Romanis, sed originale illud fuisse non constat. Caeterum continet hoc Diploma manifeste ea, quae ante litem cum Joanne XII Otto M. statuere volebat, atque vides, tunc eum id tantum voluisse, ut consecratio Pontificis non fieret nisi in praesentia missorum Imperatoris, uti plures Imperatores antecedentes jam statuerant.[3]) Diploma Ottonis.

---

[1]) In Corp. Jur. Dist. LXIII. c. 33; ap. Baron. ad a. 960 n. 5. — Hujus juramenti tres exstant formulae fere similes, ex quibus haec videtur adoptata fuisse. Genuinitas juramenti a quibusdam auctoribus impugnata est, sed immerito; nihil nisi quod consuetum, in talis juramenti praestatione atque in ejusmodi formula continetur.

[2]) In conventione Eugenii cum Lothario habetur: „quale (juramentum) dominus Eugenius papa sponte pro conservatione omnium factum habet praescriptum." Juramentum Eugenii erat juramentum justi regiminis, uti principes facere solebant, de reddenda justitia et de conservandis omnium iuribus. — Quo pertineat mentio *Leonis* non patet; probabiliter formulae fuit inserta post depositionem Joannis XII.

[3]) Vide Diploma ap. Baronium ad a. 962 n. 3 sqq., et ap. Pertz M. G. T. IV. (L. T. II.) P. II. p 164 sqq. Pertz de eo Diplomate: „Ut igitur, inquit, rem uno verbo absolvam, chartam genuinum qui-

Ottonis dominatio.

47. Sed quamvis in restauratione hac Imperii sub Ottone generatim ea concordia inter Imperium et Sacerdotium hujusque efficax protectio intenderetur, uti tempore Caroli M., mox tamen apparuit, Ottonem sibi vindicare talem auctoritatem imperialem, talemque advocatiam seu protectionem Ecclesiae, qua hanc in subordinatione teneret, et supremum dominium in ditionem ecclesiasticam ultra limites debitos exerceret. *Praedominium auctoritatis imperialis, et subordinatio aliqua Ecclesiae et Pontificum sub patronatu Imperatoris,* characterem constituunt Imperii Ottonis I et successorum ejus. Quamvis Imperator in res plane spirituales non sese immisceret, electionem tamen Pontificum magna ex parte sibi vindicare studuit. Jam in Germania ita patrocinium seu patronatum in ecclesias exercebat, ut auctoritate vel influxu suo sedes episcopales iis quibus vellet conferret. In plures sedes praecipuas praesules ex propria familia collocaverat, dignissimos quidem, videlicet Gulielmum filium in sedem Moguntinam, in Coloniensem Brunonem fratrem. Investitura autem imperialis episcoporum atque abbatum universim jam vigebat. Similem influxum igitur Otto etiam in ecclesiam Romanam sibi ut Imperatori, Protectori, Advocato Ecclesiae deberi, censebat. Ille influxus quidem, si excipias dissidia cum Joanne, sub Ottone ejusque successoribus, quum virtutibus praestarent, minora detrimenta pro

---

dem Ottonis et Johannis XII pactum, sed supperaddita donatione vitiatum, forma etiam haud omnino sincera, referre censeo. Eam inde ab exeunte saeculo XI pro genuina venditam, in codices Vaticanos transscriptam, sensimque fidem populorum nactam . . . demum a Rudolfo I et successoribus ejus confirmatam fuisse, omnibus notum est.“ L. c. p. 163. — Muratori genuinitatem Diplomatis impugnavit in suo scripto: Piena esposizione dei diritti imperiali ed Estensi sopra la città di Comacchio, c. IX. p. 82. S. It. I. 1712. — Cl. Balan genuinitatem fusius propugnat, Storia d' Italia L. XVIII. n. IX sqq., ubi etiam ea quae *donationem* spectant discutit. — Quaestionem accuratius examinare non vacat, eo vel minus quod quae ad donationes Sedi Apostolicae factas attinent, ex documentis et gestis anterioris temporis determinanda sunt. Cfr. etiam Hefele C. G. B. IV. §. 518; Beiträge I. 10. §. 8; Hergenröther K. G. III. 215.

Ecclesia habuit, sed ex ejusmodi principiis de praedominio auctoritatis imperialis atque civilis paulatim magna pericula Ecclesiae enata sunt et abusus lugendi.

48. Quando Otto dissidio orto inter ipsum et Joannem XII Romam pervenit, jurare fecit Romanos, *nunquam se papam electuros aut ordinaturos praeter consensum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Caesaris Augusti, filique ipsius regis Ottonis.*[1]) Quantopere dein ipse in depositione Joannis XII et in creatione Leonis VIII auctoritatis imperialis jura excesserit, exposuimus. — Commemoranda hoc loco etiam venit *Bulla de electione Romani Pontificis* Leoni VIII adscripta, quae saltem jam in fine saeculi XI circumferebatur, atque a Gratiano in Corpus Juris recepta est. In eadem Imperatori omnino exaggerata jura tribuuntur. Inter alia, invocato exemplo Hadriani I, statuitur: *Per nostram apostolicam auctoritatem concessimus atque largimur Domno Ottoni primo Teutonico regi dilectissimo, spirituali in Christo filio nostro, ejusque successoribus hujus regni Italiae in perpetuum, tam sibi facultatem successorem eligendi, quam summae Sedis Apostolicae Pontificem ordinandi, ac per hoc et archiepiscopos seu episcopos, ut ipsi tamen ab eo investituram accipiant, et consecrationem recipiant undecumque pertinuerit, exceptis his, quos Imperator Pontifici et archiepiscopis concessit. Ita demum asserimus, ut nemo deinceps cujusque gradus vel conditionis aut dignitatis sive religiositatis, eligendi regem vel patricium, sive Pontificem summae Sedis Apostolicae aut quemcumque episcoporum vel ordinandi habeat facultatem, sed soli regi Romani Imperii hanc reverentiae tribuimus facultatem, absque omni pecunia haec omnia superius disponenda et ut ipse sit rex et patricius. Quod si a clero et populo quis eligatur episcopus, nisi a supradicto Rege laudetur et investiatur, a nemine consecretur.*[2]) Bulla de electione Pont.

49. Hanc Bullam tamen cum Baronio et Pagio (ad a. 964) plerique eruditi habuerunt ut suppositam, quam- Controversia.

---

[1]) Luitprandus, De Ottonis rebus in Urbe gestis, c. 9.

[2]) C. J. Dist. LXIII. c. 23; ap. Watterich l. c. p. 676.

vis aliqui (e. g. Gfrörer, K. G. B. III. p. 1255) genuinam eam esse defendant. Nostro tempore, ante tria fere decennia, inventus est in archiviis Trevirensibus a cl. Floss alius isque multo diffusior textus hujus documenti, in codice qui ad saeculum XII refertur. Inde nova controversia inter eruditos exorta est. Floss eam sententiam tuetur, hunc longiorem esse textum originalem Diplomatis genuini, nec mirandum quod ad talia privilegia sibi concedenda Otto Leonem VIII adduxerit; textum breviorem esse compendium quoddam Diplomatis.[1]) Alii vero eam proposuerunt sententiam, haec esse documenta quae pertinent ad Concordatum vel Bullam, quam obtinere voluerit Otto a Leone VIII. Rescripto fusiore rem ejusque argumenta Pontifici exponi, altero autem textu breviori formam Bullae contineri, uti eadem ab Imperatore desiderabatur. Utrumque videlicet documentum in Cancellaria Ottonis esse confectum, ut Pontifici proponeretur. Caeterum destitisse Ottonem a consilio suo, quum agnovisset talia obtineri non posse, imo ejusmodi postulatis periclitari ea quae jam obtinuerat. Hinc suffecisse ei juramentum commemoratum a Romanis praestitum de Pontifice non eligendo sine Imperatoris consensu.[2]) Haec suppositio haud improbabilis quidem videtur, atque ita ex documento hoc colligi potest, qualis fuerit Ottonis M. quoad imperialem dignitatem sententia, et quae ipse intenderit. Veri similius tamen censerem, documentum illud confictum fuisse quo tempore lis de Investituris ardebat. Sedulo enim labore et amplissima copia in hoc scripto ex Scriptura, synodis, et historia conquisita apparent omnia argumenta et testimonia, ex quibus praeeminentia quaedam potestatis civilis prae ecclesiastica deducatur. Ista potius innuunt dissertationem viri eruditi, qui ex partibus Imperatorum stabat, suaeque elucubrationi ficti Diplomatis speciem dederit, quam documentum reapse in Cancellaria Ottonis aetate compositum. Aegre quoque supponi potest, ea quae de

Textus diffusior.

---

[1]) V. Floss. Die Papstwahl unter den Ottonen etc. Freiburg 1858.
[2]) Cfr. Hefele C. G., B. IV. §. 522.

concessione ab Hadriano Pontifice Carolo M. factâ falso dicuntur, jam tempore Ottonis proferri potuisse.[1])

50. Otto I ejusque successores etiam in creationem subsequentium Pontificum permagnum influxum exercuerunt, et episcoporum atque abbatum electio in Germania et Italia maxima parte ex illis pendebat. Quamvis vero praedominium eorum in res ecclesiasticas principiis rectis haud esset consentaneum, initio tamen ex his minora Ecclesia passa est detrimenta, eo quod plerumque Otto M. ejusque successores, Imperatores de Ecclesiae bono satis solliciti, dignis viris munera ecclesiastica conferrent. Germania, ut advertit in Annalibus Italiae Muratori, tunc abundabat sanctis episcopis et abbatibus, atque in ipsa familia Imperatoris plures fuerunt vel sanctitate, uti s. Mathildis, mater Ottonis, et s. Adelheidis ejus uxor, s. Bruno ejus frater, vel virtutibus egregiis insignes. In Italia vero et etiam in Gallia jam tunc ob multiplices turbas politicas disciplina ecclesiastica detrimenta passa erat majora. — Dominium porro Imperatorum istorum in Sedem Apostolicam etiam minus sentiebatur, ob absentiam eorum ab urbe Romana, et ob juventutem Ottonis II atque Ottonis III; simulque eorum pietas sincera majestatem ac splendorem conciliabat Ecclesiae ac religioni. Influxus Imperatorum.

51. Otto III, ex matre graeca Theophania oriundus, et adolescens cujus animus ingeniumque ardentiori passim imaginatione ducebatur, Imperium Romanum antiquo cum splendore et ad indolem anterioris Imperii restituere, vastissimo consilio meditatus est. Veluti novus Constantinus Romae iterum sedem Imperii sui constituere intendit, nec sine causa Gerbertus ad sedem Apostolicam elevatus Silvestri II nomen adoptavit, ut alteri Constantino et alter Silvester adesset. Concepit vero, quantum ex variis factis colligitur, Otto III Imperium, quod meditabatur, fere ad normam Imperii graeci, ita ut ipse rerum summam auctoritate quadam absoluta disponeret. Jam honores, ritus, dignitates, ad instar morum Graecorum Romae suscitare Ottonis III indoles.

[1]) Leonis VIII Privilegium vide ap. Floss l. c. p. 147 sqq.

nisus est. Tendentiae illae Imperatoris, quas ex matris forte influxu hauserat, merito haud omnibus placebant, nec ingenio Occidentalium conveniebant.

Ejus molimina.

52. Varii scriptores coaevi et suppares de istis Ottonis III desideriis et nisibus varia referunt. Ita e. g. Thietmarus in suo Chronico L. IV: *Imperator antiquam Romanorum consuetudinem jam ex parte magna deletam suis cupiens renovare temporibus, multa faciebat quae diversi diverse sentiebant. Solus ad mensam quasi semicirculus factam loco caeteris eminentiori sedebat.*[1]) Et Chronicon Cameracense, versus medium saeculum XI conscriptum, hac de re ista habet: *Eodem tempore Imperator Romam profectus in antiquo palatio, quod est in monte Aventino, versabatur; et sicuti juvenis tam viribus audax quam genere potens, magnum quiddam imo et improbabile cogitans, virtutem Romani Imperii ad potentiam veterum regum attollere conabatur. Mores etiam ecclesiasticos, quos avaritia Romanorum pravis commercationum usibus vitiabat, ad normam prioris gratiae aestimabat. Ut autem efficacius hoc perfecisset, summam familiaritatis gratiam exhibebat Romanis, ipsosque ut locorum accolas et morum ac consuetudinum gnaros suis Teutonicis praeferens, consiliarios sibi habebat et primos. Nimirum bene et satis caute dispositum, si effectum contingeret. Sed neutrum habitum. Quo enim inclinatiorem Romanis praestabat gratiam, tanto cervicatiorem prodidere superbiam. Plerumque etenim maxima familiaritas contemptum parit.*[2])

53. Etiam in rebus ecclesiasticis Ottonem III nimiam sibi auctoritatem vindicasse, ex variis factis colligitur. Ita quum anno 1000 Otto Gnesniam in Polonia pervenisset, pro arbitrio suo archiepiscopatus et episcopatuum erectionem et distributionem instituit,[3]) ac forte si consilia sua magna de restitutione Imperii Romani exequi potuisset, plus aequo Justiniani aliorumque graecorum Imperatorum

---

[1]) Ap. Pertz M. G. Scr. III. 781.

[2]) Pertz, Scr. VII. 451.

[3]) Cfr. Damberger, V. p. 530.

dominationem in Ecclesiam secutus esset. Caeterum Otto III religioni ac pietati admodum addictus erat, ita ut in vita ejus privata peregrinationum ac poenitentiae facta quaedam mira occurrant. Huc etiam pertinet tendentia, quae fertur, ut vitae monasticae se daret, ad quod vitae genus amplectendum s. Romualdus eum dicitur hortatus fuisse. — Obscura quaedam in vita Ottonis III remanent, quumque ea praevaleat sententia, eum tum ingenio tum moribus fuisse plane eximium, ita ut *mundi prodigium* suo tempore haberetur, commemorare tamen convenit, indicia inveniri aliqua in suppariam auctorum scriptis, ex quibus aliqui collegerunt, haud illibatam et continentem fuisse Ottonis vitam, et ad crimina expianda eum illa poenitentiae opera severiora suscepisse. Ita e. g. a Thiethmaro, dum de Ottonis gestis loquitur, ipse dicitur *conscientiae secreto plurima ingemiscens facinora.* Atque si verum est, s. Nilum ac s. Romualdum monuisse Ottonem III, non solum ut majorem suae animae curam haberet, sed etiam ut, abdicatis omnibus, mundo renuntiaret, Ottonemque id s. Romualdo promisisse, motiva quaedam secretiora adfuisse, credi posset. Parum probabile enim videtur, s. Romualdum unice ob vitae monasticae excellentiam institisse, ut Imperator adolescens, qui tanta molimina mente volvebat, Imperio renuntiaret. Sed forte potius quae hac de re in Actis s. Romualdi ac s. Nili referuntur, piae hagiographorum simplicitati vel exaggerationi sunt attribuenda, dum quod ipsi devota sed angusta mente conceperant, vel ex rumoribus audierant, tanquam factum supposuere. Quis credat, Ottonem promisisse s. Romualdo, se mox vitam monasticam amplexurum esse, quum eo tempore Constantinopolim mitteret legatos qui ipsi uxorem adducerent. Sponsa Anna vel Helena revera Italiam appulit, quo tempore Otto III praematura morte raptus est. Ejus pietas.

54. Juvabit autem ea citare quae Thietmarus de ultimo tempore vitae Ottonis ejusque morte scribit; magnas difficultates Imperatori fuisse ex iis eruitur. „Imperator, ait, quamvis exterius vultu semper hilari se simularet, tamen conscientiae secreto plurima ingemiscens facinora, Ottonis III obitus.

noctis silentio vigiliis orationibusque intentus, lacrimarum quoque rivis abluere non destitit. Saepenumero omnem hebdomadam excepta quinta feria jejunus perducens, in eleemosynis valde largus exstitit. Appropinquantem ejus obitum multa praevenere importuna. Namque multi duces et comites, non sine conscientia episcoporum, multa contra eum conspirare nituntur, Heinrici ducis, postea successoris sui, ad hoc auxilium postulantes. Hic obitum patris sui et aequivoci monita, qui in Gonneshem obiit ac requiescit, memori servans in pectore, et sibi hactenus in cunctis fidelis, nullum his praebuit assensum. Imperator hoc statim comperiens et patienti ferens animo, in Paterna urbe pustellis interiora prementibus et interdum paulatim erumpentibus infirmatur. Qui facie clarus et fide praecipuus 9. kal. Februarii, Romani corona Imperii, exivit ab hoc saeculo, suis insuperabilem relinquens moerorem, quia eo tempore eo non fuit ullus largior, ac per omnia clementior illo."[1])

Mutata Imperii indoles.

55. Praematura mors Ottonis III impedimento fuit, quominus conamina ejus constituendi Imperium absolutum et universale in Occidente tunc ulterius evolverentur. Attamen tendentiae ipsius ac praecedentium Imperatorum, Ottonis I et Ottonis II, jam naturam Imperii haud parum mutaverant. Nam, uti vidimus, quum Imperium Romanum a Leone III renovaretur, hujus Imperii sacri indoles in eo praesertim constituta erat, ut Imperator esset summus protector Pontificum, Ecclesiae, societatisque christianae. et qua talis praeeminentiam haberet prae reliquis principibus, utque hoc sensu monarchia quaedam catholica adesset. Sub Carolo M. ejusque successoribus haec Imperii natura quoad rei summam servata fuit. Sed inde ab initio Otto I et ejus successores eo tendebant, ut Ponti-

---

[1]) Chron. L. IV. Pertz III. 781. — Fabulis a plerisque adscribitur quod in aliquot scriptoribus supparibus invenitur, Ottonem III veneno infectum fuisse a Stephania Crescentii vidua, cum qua et consuetudinem habuerit. Cfr. Damberger Gesch. V. p. 562, Kritik p. 197. Eventus veritatem tamen admittit Gfrörer, in Ottones Imperatores universim severior. V. Gregor VII. B. V. pp. 922. 932.

fices et Ecclesiam in tutelam redigerent et auctoritati imperiali subordinarent. Indissolubili haereditatis jure dignitatem et auctoritatem imperialem stirpi suae ut regibus Germaniae vindicare nisi sunt, ita ut Pontifici haud esset jus eligendi et constituendi Imperatorem, sed tantummodo eum coronandi. Sed et Italiae regnum veluti feudum sibi ut Germaniae regibus, adjungere conati sunt. Eoque universim tendebant, ut constituerent ad instar antiqui Imperii Romani, universale Imperium civile, ita quidem, ut Pontifices quoque et Ecclesia quoad regimen saltem externum essent auctoritati imperiali subjecti.[1]) Similes tendentias etiam varii Imperatores subsequentium temporum prosequebantur; Romani vero Pontifices veram Imperii indolem et Ecclesiae jura tuiti sunt. Sub Ottonibus quidem primisque eorum successoribus, quum pietas iis non deesset ac Romae rerum status factionibus turbaretur, haud tanta mala Ecclesiae promanarunt ex illis tendentiis ac principiis Imperatorum; sed aliquanto post eadem causam dederunt luctis, quae medio aevo identidem exarserunt inter Imperium et Ecclesiam.

---

[1]) Bene de istis tendentiis Imperatorum ex stirpe Ottonum cl. Balan: „Stirpe vigorosa ed ardita fu la loro, che ebbe grandi disegni e cercò mutare fin dal principio la natura dell' Impero e fare del regno d' Italia un feudo di Germania, profittando dei tempi confusi e torbidi e degli scismi, e della debolezza di alcuni Pontifici, e finalmente ponendo sulla Sede Apostolica Papi tedeschi. Essi cercarono tramutare l' Impero da liberamente elettivo per parte del Papa ad ereditario come patrimonio della propria famiglia; già prima d' essere re ed imperatore Ottone I intendeva avere diritti sul Impero, come poi atteggiossi a tutore del Pontificato, e tentò mutare la soggezione in padronanza col deporre Giovanni XII. L' Impero sotto gli Ottoni parve stendersi all' Italia, poca distinzione fatta dal regno, e parve riconoscere nel Pontefice solo il diritto di coronare l' Imperatore, non di sceglierlo, e nel Papato il dovere di seguire i disegni imperiali, non nell' Impero il dovere di cooperare al Papa.“ Storia d' Italia Tom. II. L. XVIII, n. XLV.

Dissertatio vigesima.

De statu Ecclesiae medio saeculo undecimo.

Saeculum Hildebrandinum.

1. Saeculum undecimum in sua *Historia litteraria* Gulielmus Cave *Hildebrandinum saeculum* appellat, eumque secuti sunt alii plures scriptores heterodoxi. Hi quidem in invidiam Gregorii VII Pontificis ea appellatione usi sunt; sed dum *Hildebrandinum* illud saeculum vocant, quemadmodum Arianum dicunt quartum, Photianum nonum, illius sane Pontificis in suam aetatem influxum fuisse maximum profitentur. Catholici vero auctores etiam ultro proclamant, indolem suam et characterem specialem huic saeculo revera praecipue inditum esse a Gregorio VII iis, quae tempore pontificatus sui, imo et ante pontificatum, pro Ecclesiae ac societatis christianae salute, consilio sapienti et manu forti operatus est. Ipse, repressis abusibus in societate christiana serpentibus, Ecclesiam summis periculis eripuit, atque vigore ingenti invictaque constantia ea propugnavit et firmavit principia juraque sacra, ex quibus tum Ecclesiae tum societatis salus maxime pendent. Unde etiam ab ipsius aetate per plura saecula, magis magisque se evolvit et resplenduit Ecclesiae auctoritas salutaris in universam societatem christianam ejusque mores ac vitam quoque civilem et politicam.

2. De Gregorii VII gestis inferius tractabimus; hac vero Dissertatione exponemus, qualis fuerit Ecclesiae status versus medium saeculum undecimum. Eo tempore enim Pontifices varii, quibus jam consilio et auxilio adfuit Hildebrandus, coeperunt efficacius periclitanti Ecclesiae subvenire resque in melius vertere. Ex rei vero indole est, quod disceptatio nostra maxime versetur in considerandis illis abusibus, qui languorem quemdam infirmitatis Ecclesiae corpori afferebant. Eos quidem abusus aliqui scriptores illius aetatis graphice fere depinxerunt, atque etiam recentiorum temporum auctores in iis describendis versati sunt. Haud tamen ita facile est, accurate aequoque judicio, qualis fuerit rerum ecclesiasticarum status saeculo undecimo mediante perspicere.

3. Adverti sane oportet, primis hujus saeculi decenniis haud mediocrem fuisse Ecclesiae splendorem externum, cui et pietatis insignis exempla juncta erant. Non defuerunt Pontifices digni, inter quos eminuit Benedictus VIII; s. Henricus, et Conradus I Imperatores, s. Stephanus Hungariae rex aliique principes, Ecclesiae ac religioni erant addicti; non pauci floruerunt in monasteriis abbates et monachi vitae sanctitate conspicui, multique claruerunt episcopi virtutibus plane illustres. Sufficiat hoc loco quoad Germaniae praesules ea citare, quae scripsit auctor saeculi decimi tertii in *Vita b. Meinwerci* episcopi Paderbornensis, qui huic ecclesiae ab anno 1009 ad annum 1036 praefuit. „Illius quoque temporis episcopi, ait, sapientia et scientia praediti, subjectorum profectibus continuo erant dediti, secundas Imperii partes sancte et juste adjuvantes, sacerdotii rigorem nullatenus relaxantes. Inter quos vitae merito eminebant Trevirensis metropolis, ex qua primum sonus evangelicae praedicationis intonuit partibus Teutonicis, Meingoz et Poppo; Coloniensis quoque Heribertus et Piligrinus; Maguntiensis ecclesiae Willigisus et Erchanbaldus, Aribo et Bardo; Burchardus Wormatiensis, studio suo in Collectione canonum in Ecclesia laudabilis; Trajectensis Ansfridus et Athalbaldus; Mimigardevordensis decor, Thiedericus et Sigefridus; Osnebrugensis Thietmarus;

Prospera saeculi initia.

Hildenesheimensis, Berenwardus et Godehardus; Mindensis, Sibertus et Bruno; Werenharius Argentinae civitatis; Meinhardus et Bruno, Wirciburgensis; Parthenopolitanae, Gero et Hunfridus; Bremensis, Unuwanus; et alii quam plures pontificii dignitate venerabiles, sanctitate incomparabiles: quorum meritis adeo illo in tempore floruit Ecclesia, ut non sit hodie aliqua quae nobis ejus temporis non portendat suorum meritorum insignia . . . Tales erant episcopi Meinwerci contemporales: per hos Dominus triumphato mundi principe propagavit Ecclesiam suo sacro redemptam sanguine."[1]) Attamen jam ea aetate ob relaxationem disciplinae et simoniae labem variis in regionibus mala serpebant, Eeclesiaeque libertas potestate principum opprimebatur.[2]) Sed manifestius et atrocius mala pullularunt, quum versus medium saeculum undecimum etiam in Sedem Romanam factiones nefarium suum exercerent influxum, ejusque dignitas veneranda admodum minueretur.

Abusus serpentes.

4. Brevi post Romani Pontifices ac maxime Gregorius VII susceperunt insignem illam luctam, qua abusus perniciosos penitus eradicarent ex domo Dei. Sed eo

[1]) Vita b. Meinwerci c. XIII., ap. Bollandistas, Acta SS. Junii T. I. p. 545.

[2]) Auctores nostri temporis, prouti potius ad causas illas abusuum, vel ad religionis statum prosperum initio saeculi XI et posteriora incrementa attenderunt, sententias admodum diversas de illo saeculo proferunt. Ita e. g. Montalembert: „L' Eglise, arrivée au onzième siècle de son institution, subissait la plus grande épreuve qu' elle eût encore connue. Le saint-siége, l'épiscopat, le clergé séculier tout entier plongaient sous le faix d' abus invétérés et de scandales odieux." Moines d' Occid. Vol. VI. L. XIX. ch. 1. Simili ratione etiam Kleinermanns, *Petrus Damiani* etc. p. 1. — Aliter vero Möhler: „Le onzième siècle est une époque de rénovation sérieuse et universelle. La rudesse et la barbarie, partout où il est nécessaire, sont combattues par les armes spirituelles de la meilleure trempe; les ténèbres se dissipent; la hiérarchie redevenue libre exerce partout l' action la plus heureuse. En Allemagne, en France, la vie religieuse passe tranquillement du bien au mieux. . . En Italie, les essais de réforme amènent les plus grands orages, mais l' Eglise en sort fortifiée." Describit dein felicia regna s. Henrici II et Conradi I Imperatorum. Hist. de l' Eglise T. II. L' Eglise au onzième siècle; p. 189.

difficilior fuit haec lucta, quod plurimi obstinata tenacitate consuetudinibus pravis illorum temporum inhaererent, **Lucta R. Pontificum.** imo ex his varii sin minus fide bona, saltem infirmitate humana potius quam perversa voluntate, usus illos licitos esse contenderent. Aliquot etiam praesules caeteroquin de religionis bono solliciti, haud visi sunt plane agnoscere characterem perniciosum morum qui christianam societatem pervaserant, adeoque in abusibus reprimendis initio desides se ostenderunt. Principes vero jura sua laedi conquesti, mox bellum atrox in Pontifices Romanos moverunt, in suasque partes varios praesules attraxere, ac schismata dira in Ecclesia suscitaverunt. Sed haec paucis praelibasse sufficiat.

5. Sat notum est, quaenam fuerint mala illa, ob quae saeculo undecimo periclitabatur Ecclesia. *Incontinentia clericorum* quae variis in regionibus invaluerat, *simoniae labes* latissime propagata, et *oppressio libertatis Ecclesiae* per principum potestatum, merito recensentur ut gravissimorum malorum illius temporis fontes. De his capitibus igitur ex ordine nobis agendum.

Conferri possunt quoad has quaestiones: Baronii *Annales, Saeculum undecimum, cum Critica Pagii;* Pagii *Brevi-* **Scriptores consulendi.** *arium etc., Pontifices Saeculi undecimi;* Watterich, *Vitae RR. Pontificum Tom. I;* Ratherii Veronensis *Opera* (Ed. Ballerinii fratres Veronae a. 1765); Attonis Vercellensis *Opera* (Vercellis a. 1768); S. Petri Damiani *Opera* (Bassani 1783); J. Kleinermanns, *Der hl. Petrus Damiani,* Steyl 1882; Hefele, *Conc. Gesch. B. IV. V.; Beiträge zur Kirchengeschichte etc. I. 5: Die Entwicklung des Cölibats etc.;* Gfrörer, *Papst Gregorius VII und sein Zeitalter, B. VI.,* Schaffhausen 1861; Höfler, *Die deutschen Päpste,* Regensburg 1839; Voigt, *Hildebrand oder Papst Gregor VII,* (Historie du Pape Gregoire VII etc. traduit par Jager Bruxelles 1839); Möhler-Gams *Kirchengeschichte B. II.,* (Histoire de l'Eglise etc. traduite par P. Bélet, T. II, Paris 1868); F. Laurin, *Der Cölibat der Geistlichen,* Wien 1880; Thomassini, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina P. II. L. II.*

c. 48. 49, P. III. L. I. cc. 26—30; Balan, *Storia d'Italia, Vol. II. L. XIX. Vol. III. L. XX.;* Montalembert, *Les Moines d' Occident Tom. VI.;* Hergenröther, *K. G. V. I. pp. 610 sqq. 137 sqq. V. III. pp. 217. 225. 246 sqq.* ubi et varios scriptores consulendos invenies.

I.

De lege coelibatus violata.

Disciplina antiqua.

6. Obligatio clericorum in ordinibus majoribus constitutorum ad coelibatum, ex ipsa indole religionis et sacerdotii christiani dimanavit. Decet enim functionum sacerdotalium, maxime sacrificii immaculati, sanctitatem, ut a voluptatibus carnalibus clerici abstineant; convenit id, *ne divisi sint* clerici (Cor. 7), sed toti Deo devoti.[1]) Aequum est, ut ipsi observatione consilii evangelici, quum virginitatis status perfectior sit matrimonio, fidelibus praeluceant; idemque requiritur, ut magistri, consiliarii, confessarii, pastoris munere in fideles competenti ratione fungi possint. — Primis quidem christianismi saeculis difficillimum fuisset coelibes tantum in clerum recipere. Qui enim convertebantur erant plerumque adulti ac saepe jam matrimonio juncti; atque ob abusus in paganismo existentes legibus Imperii Romani vita coelebs prohibita erat. — Praxis autem trium priorum saeculorum ea fuit: 1⁰ Ut bigami ad clerum non admitterentur. — 2⁰ Ut ii qui coelibes in clerum majorem recipiebantur jam matrimonium inire non possent.[2]) — 3⁰ Qui jam matrimonio juncti ordines

---

[1]) Utraque haec ratio exprimitur in illis effatis Origenis et s. Hieronymi: „Illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti et perpetuae se voverit castitati.“ Orig. Hom. 23 in Num. — „Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est, si semper orandum est, ergo semper cavendum est matrimonio.“ Hieron. adv. Jovian. I. 34.

[2]) Eo pertinet e. g. Canon Apost. 27: „Ex iis qui non ducta uxore ad clerum promoti sunt, jubemus, si velint, uxorem ducere lectores et cantores tantum.“

majores recipiebant, plerumque exinde ejus usui renuntiabant et continentem vitam ducebant

7. Sunt quidem qui existimant, jam ab Apostolis coelibatus ac continentiae legem constitutam fuisse, ita ut qui occurrunt prioribus saeculis casus contrarii dispensationi vel regulae relaxationi tribuendi sint. Probari tamen non posse videtur, universalem legem coelibatus inde ab Apostolorum tempore in Ecclesia exstitisse. Sed quamvis continentia stricto praecepto non esset imposita, tamen ab illa jam aetate, quum eam maxime decere clericos in comperto esset, salutari consuetudine plerumque observabatur. Unde Natalis Alexander: „Quamvis Nicaena Synodus de clericorum coelibatu nihil statuerit, ejus tamen temporibus episcopi, presbyteri et diaconi perpetuam continentiam servabant ex Ecclesiae disciplina, *diuturno usu et ab apostolicis temporibus derivato firmata,* quam Siricius et alii deinde Pontifices Conciliaque decretis suis atque canonibus roborarunt.“[1] Ex alia tamen parte statuit: „Perpetuae lex continentiae nec a Christo, nec ab Apostolis, sacris ministris imposita fuit.“[2] Unde quamvis non sensu absoluto, tamen sensu quodam relativo dici potest, inde ab Apostolis obtinuisse, ut clerici, si ante ordinationem habebant uxores, postea tamen ab usu matrimonii penitus abstinerent.[3]

An coelibatus praescriptus.

8. Inde ab initio saeculi IV invenimus a conciliis variis jam accuratius determinata, quae clericorum continentiam spectant. Ita si aliquis presbyter matrimonium inibat, non invenitur quidem invalidum fuisse illud matri-

Saeculum quartum.

---

[1] Hist. eccl. Dissert. XIX. in saec. IV. Propositio II.

[2] Ibidem Propositio III.

[3] Acrior controversia de coelibatu priorum Ecclesiae saeculorum orta est nuper inter cl. G. Bickell et cl. F. X. Funk. Alter contendit, inde ab Apostolis lege universali ac stricta coelibatum et continentiam Clericis praescripta fuisse; oppositam sententiam alter vindicavit. V. Theol. Zeitschrift II. 26 sqq., III. 792 sqq. (Innsbruck 1878, 1879), et Theol. Quartalschrift LXI. p. 208 sqq., LXII. p. 202 sqq. (Tübingen 1879. 1880.) Quid hac in re censeamus, ex dictis colliges. — Cfr. de coelibatus origine et historia *Laurin*, Der Cölibat etc. p. 63 sqq.

monium, sed talis ex clero excludebatur; gravius etiam puniebatur, si fornicationem vel adulterium committebat. Id colligitur ex synodo Neocaesareae in Cappadocia initio saeculi quarti (inter annos 314—325) habita, cujus canone 1° statuitur: *Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere; quodsi fornicatus fuerit vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam abjici et ad poenitentiam inter laicos redigi oportet.*[1]) Strictam vero continentiae perpetuae legem pro episcopis, presbyteris ac diaconis tulit concilium Elliberitanum in Hispania anno 306 habitum, can. 33°: *Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis et non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.*[2]) In concilio Ancyrano (a. 314) statuitur tamen can. 9°, ut diaconi, si in susceptione diaconatus edixerint, se a matrimonio abstinere haud velle, ac nihilominus admissi fuerint, possint, etiam si uxores ducant, in ministerio manere. *Diaconi quicunque ordinantur si in ipsa ordinatione protestati sunt, et dixerunt, velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt: hi, si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quod eis episcopus licentiam dederit. Quicumque sane tacuerint, et susceperint manus impositionem, professi continentiam, et postea nuptiis obligati sunt, a ministerio cessare debebunt.*[3])

Paphnutii sententia.

9. Referunt Socrates (I. 11), Sozomenus (I. 23), et Gelasius Cyzicenus (II. 23), Concilium Nicaenum voluisse strictam coelibatus et continentiae legem statuere, sed monente Paphnutio Aegypti episcopo, abstinuisse. Paphnutium censuisse, sufficere, ut juxta antiquam Ecclesiae traditionem presbyter coelebs uxorem ducere non possit, sed reliquis, qui jam matrimonio juncti sacros ordines susceperint, strictum continentiae praeceptum imponere, haud esse opportunum. Maximum vero eo tempore jam fuisse

---

[1]) Ita in Jure can. Decr. Grat. Dist. XXVII. c. 9. V. Labbe Coll. Conc. T. I. 1479.

[2]) Labbe I. 974.

[3]) Labbe I. 1467.

numerum, qui matrimonio non juncti, in clero coelibem vitam ducebant, patet ex iis quae contra cohabitationem cum mulieribus canone 3io statuuntur: *Interdixit per omnia magna Synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quae suspicionem effugiunt.*[1])

Firmatur coelibatus.

10. Post Concilium Nicaenum vero paucis decenniis ea disciplina etiam magis invaluit, ut in clero majori omnes continentiam perpetuam servarent, videlicet ut vel coelibes essent, vel si matrimonio juncti in clerum recepti erant, exinde ab uxoribus abstinerent. Id scriptores illius aetatis passim testantur. Ita s. Hieronymus: *Christus virgo, virgo Maria, utrique sexui virginitatis dedicavere principia. Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in aeternum pudici.*[2]) — *Quid facient Orientis ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae! quae aut virgines clericos recipiunt aut continentes, aut si uxores habuerint, maritos esse desistunt.*[3]) Et s. Epiphanius in *Expositione fidei catholicae: Vertex horum omnium,* inquit, *aut mater, ut ita dicam genitrix, est sanctum sacerdotium, quod ex virginum ordine praecipue constat, aut si minus e virginibus, certe e monachis, aut nisi ex monachorum ordine ad illam functionem obeundam idonei cooptari possint,*[4]) *ex his creari sacerdotes solent,*

[1]) Labbe II. 40. — V. Natal. Alex. in saec. IV. Dissert. XIX. — De Paphnutii facto inter eruditos disputatur; qua de re cfr. Hefele, Beiträge 1. 5. Die Entwickelung des Cölibats etc. — De feminis specie mutuae amicitiae castae atque solatii subintroductis, ex quarum cohabitatione tamen continentiae violatio provenire solebat, habet illa s. Hieronymus ep. 22 (ad Eustachium): „Unde in ecclesias agapetarum pestis introiit? Unde sine nuptiis aliud nomen uxorum? Imo unde novum concubinarum genus? plus inferam: unde meretrices univirae?“

[2]) Ep. 48 (ad Pammach.). [3]) Adv. Vigilantium.

[4]) In textu graeco: „εἰ δὲ οὐκ ἐκ παρθένων, ἐκ μοναζόντων, εἰ δὲ μὴ εἶεν ἱκανοὶ εἰς ὑπηρεσίαν ἀπὸ μοναζόντων, ἐξ ἐγκρατευομένων τῶν ἰδίων γυναικῶν, ἢ χηρευσάντων ἀπὸ μονογαμίας etc.

qui a suis se uxoribus continent, aut secundum unas nuptias in viduitate versantur. Secundis vero nuptiis implicitus in Ecclesia ad sacerdotium non admittitur, tametsi aut sese ab uxore contineat, aut sit viduus: ejusmodi, inquam, ab episcopi, diaconi et subdiaconi gradu rejicitur.[1]) Alio quidem loco de eadem clericorum continentia disserens s. Epiphanius advertit, haud ab omnibus eam servari, sed simul id acrius carpit normaeque ecclesiasticae haud consonum esse affirmat. *At dices mihi omnino, in quibusdam locis adhuc liberos gignere et presbyteros et diaconos et hypodiaconos. At hoc non est juxta canonem, sed juxta hominum mentem, quae per tempus elanguit, et propter multitudinem, quum non inveniretur ministerium. Nam quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum bene disposita videns, statuit apparare, ut cultus divini indistracti Deo perficerentur, et spirituales necessitates cum omni benevola conscientia peragerentur. Dico autem quod decorum est, propter repentina ministeria ac necessitates, ut presbyter et diaconus et episcopus Deo deditus sit.*[2]) Veluti exceptionem a regula etiam s. Hieronymus designat, quod matrimonii juncti in clerum adoptentur, dum scribit: *Eliguntur mariti in sacerdotium, non nego, quia non sunt tanti virgines, quanti necessarii sunt sacerdotes.*[3]) Quamvis itaque in Oriente non strictissima lege saeculo quarto clerici ad coelibatum ubique adstringerentur, instar normae tamen in plerisque dioecesibus vita continens habebatur. Ex variis aliorum Patrum testimoniis variisque quae in historia referuntur eventibus id luculenter confirmatur.[4])

Decretales R. Pontificum.

11. In Occidente pariter coelibatus clericorum magis magisque invaluit, ac mox etiam legibus ejus observantia per Pontifices Romanos sancita est. Celeberrima est s. Siricii Pontificis anno 385 ad Himerium Tarraconensem

---

[1]) C. 21. secundum versionem Petavii.

[2]) Contra haereses, haer. LIX.

[3]) Adv. Jovinian. L. I. cap. 37.

[4]) Cfr. Thomassin. Eccles. discipl. P. I. L. I. c. II. nn. LX. LXI; Laurin, l. c. §§. 7. 12.

scripta epistola decretalis, qua praesuli, qui de continentia clericorum quaedam quaesierat, sine ulla prorsus dubitatione respondet, in majoribus ordinibus constitutos coelibatus lege teneri. Atque in ea epistola Siricius non solum consuetudinem, sed legem coelibatus jam existere supponit, uti egregie Constantius in sua Collectione epistolarum RR. Pontificum contra opinionem oppositam Petri de Marca ostendit. Eamdem coelibatus legem anno 405 inculcavit Innocentius I in sua epistola decretali ad Exuperium episcopum Tolosanum. Leo M. pariter in epistola ad Rusticum episcopum Narbonnensem, ac Gregorius M. in epistola ad Leonem Cataniae episcopum, hac lege omnes clericos in ordinibus majoribus constitutos vinciri monent, et speciatim urgent, etiam subdiaconis hanc disciplinam observandam esse.[1]) Unde indubie plane inde a saeculo quinto stricta lege clerici majores in Ecclesia latina ad coelibatum et continentiam obligabantur.

Diversa Orientalium disciplina.

12. Vidimus, Ecclesiam graecam in synodo Trullana, contra consuetudinem quae certe saeculis quarto et quinto etiam in Oriente vigebat, laxiorem disciplinam adoptasse, ita ut permitteret, clericos, antequam ordines majores reciperent, matrimonium cum virgine posse inire ac postea uxorem retinere. Disciplinam vero hanc parum proficuam latina Ecclesia nullo modo adoptavit, sed firmiter et constanter coelibatus legem continuo vindicavit. Agnovit tamen disciplinam Orientalium uti in illis ecclesiis licitam, quemadmodum patet ex Jure canonico c. 14. D. XXXI, ubi haec citantur ut verba Stephani III in concilio Romano a. 769 prolata: *Aliter se orientalium traditio habet ecclesiarum, aliter hujus sanctae Romanae ecclesiae. Nam earum sacerdotes, diaconi, atque subdiaconi, matrimonio copulantur: istius autem ecclesiae vel occidentalium nullus sacerdotum a subdiacono usque ad episcopum licentiam habet conjugium sortiendi.* Haec verba tamen potius Stephani IX (a. 1057—1058) esse, eruditi advertunt.[2])

[1]) Fusius haec invenies exposita ap. Laurin, l. c. §. 8; Natalis Alexander H. E. Dissert. XIX in Saecul. IV.

[2]) V. Laurin, l. c. p. 113.

Abusus propagantur.

13. Quamvis autem plane indubia atque aperta esset in Ecclesia latina saluberrima coelibatus lex, tamen saeculo nono ac decimo incontinentiae pestis magis magisque irrepsit, atque in Italia, in Germania, in Anglia et Gallia se propagavit. Ut vero accuratius intelligatur, qualis fuerit status rerum miserrimus in iis ecclesiis, in quibus tales abusus invalescebant, quanta vero inde cleri abjectio sequeretur, et quam difficile fuerit vitium jam assuetum eradicare, opportunum erit hic in exemplum peculiaris ecclesiae conditionem aliquanto accuratius exponere. Ea igitur referemus, quae de statu ecclesiae Veronensis, in qua jam ultimo medio saeculi decimi haec cleri incontinentia praevaluerat, colliguntur ex operibus Ratherii episcopi, qui nisu inani contra malum illud pugnavit. Quae ista de re ipse Ratherius tradit, praesertim in ejus operibus *de Contemptu canonum* (a. 964) et *de Discordia inter Ratherium et clericos* (a. 968) inveniuntur.[1])

Ratherius Veronensis.

14. Jam inde ab initio episcopatus sui (a. 931), inter Ratherium et clericos Veronenses dissidium viguit, propter diversam sententiam de canonum ac disciplinae observatione, quam Ratherius urgebat, clerici opponentes consuetudines suas penitus negligebant; *cum illi*, ait Ratherius, *semper consuetudinem antecessorum pontificibus suis incessanter rebellium, sanctis et a Deo decretis praetulerint canonibus, ego sanctos et a Deo decretos canones a diabolo inventis praeferendos putarerim usibus.*[2]) Maximus autem abusus erat clericorum *mulierositas,* quam late et publice grassantem dein his verbis episcopus explicat: *Prohibitas enim in Nicaena synodo mulieres tam consuetudinaliter tamque publice habere, tam parvi pensa Dei et hominum reverentia, ipso quoque timore gehennae in tantum posthabito, ut putent adeo fieri non modo licere, sed etiam oportere, ut nemo hoc facere devitans videatur eis pessimo illo, quod*

---

[1] Erudite haec exponuntur ab editoribus operum Ratherii, Petro et Hieronymo Ballerini, in *Vita Ratherii* ejus scriptis praemissa §. XV; quam expositionem sequimur.

[2]) Discordia n. 1; Ratherii Opera col. 486.

Apostolus in epistola ad Romanos memorat, scelere non posse carere, non tibi videtur diabolus invenisse? Clerici Veronenses videlicet ita passim mulieres habebant, ut crederent licitum quod communi usu erat receptum; et non solum licitum, sed necessarium etiam impia stultitia praetenderent, ne quis mulierum expers, nefando ac pessimo scelere quod detestatur Apostolus deserviret.

15. Hoc vitium autem tam late obtinebat, ut non solum majores et ditiores clerici, sed minores etiam et pauperiores eo laborarent. Majores designat Ratherius, quum eos potiores et ampliores ecclesiae reditus conqueritur tenaciter retinere etiam ea ratione, *ut habeant quoque unde filiis uxores, filiabus acquirant maritos, vineas et campos, postremo unde mammonae iniquitatis valeant deservire.*[1]) Pauperiores clerici indicantur in *Discordia* n. 6., ubi postquam eos ad mulieres dimittendas imperiali edicto adactos enarrat, hanc eorum excusationem affert: *Omnium paene excusatio exstitit, non posse propter inopiam hoc ullo modo fieri; potuisset vero utrumque, si stipendium debitum ex rebus habuissent ecclesiae.* Videlicet pars minima cleri in illa ecclesia omnes fere proventus habebat, reliqui inopia premebantur. Quatenus autem inopiae per mulieres prospicerent, explicari potest ex epistola coaevi episcopi Attonis Vercellensis ad suum clerum adversus clericos incontinentes. *Sunt*, inquit, *qui de feminarum contubernio se excusare quaerunt, dum suam quasi necessitatem exponunt. Aiunt enim, quia nisi ipsarum manibus sustentaremur, jam fame vel nuditate deficeremus. Quod falsum esse cognoscimus, dum illarum naturas consideramus. . . Verum etsi aliquis, ut adseritur, in hujusmodi commercio inveniretur quaestus, quia nostro ministerio contrarium videtur, omnimodis est adspernandus.*[2])

16. Dubitari posset, num haec clericorum mulierositas adeo communis et publica, quae licita praetendebatur, intelligenda sit de concubinis, quas tamen ipso jure di- Connubia publica.

---

[1]) De contemptu Can. n. 4.

[2]) Epistola V. Opera p. 305.

vino prohibitas esse nemo poterat ignorare. Sed ex Ratherio colligitur, nuptias et conjugia proprie dicta atque etiam publica clericos iniisse. Ita e. g. *usque ad nuptum publicum* dicit suos clericos canonibus adversos,[1]) et concilii Ravennatensis (a. 867) decretum dicit *legationem ipsius Papae de uxoribus dimittendis.*[2]) Adulteria passim appellat illa conjugia Ratherius, quatenus contra legem erant. *Adulterium publicum*, ait, *dum illegale utique conjugium sit;*[3]) *adulter enim nobis est, qui contra canones uxorius est.*[4]) Caeterum vero uxores habebantur quae cum clericis cohabitabant mulieres, idque etsi canonibus esset interdictum, et *lex nulla altaris ministris indulgeat conjugia,*[5]) omne tamen ejusmodi interdictum consuetudine abrogatum, et eatenus haec conjugia licere credebantur; et ita credebantur licere, ut absque ulla formidine publice etiam a clericis inirentur.

Imitatio Orientalium.

17. Observandum vero est, haec conjugia a clericis saltem plerisque inita videri ante ordines sacros, ita tamen, ut qui sic duxissent uxores non dimitterent clerum, sed (more Orientalium) in illo permanerent, et ab uxoribus nequaquam separati ad sacros etiam ordines promoverentur. Hujus rei praecipua videntur indicia in Ratherii opusculo *de nuptu illicito.* Nuptus illicitus, cujus causa hoc opusculum scripsit, fuere nuptiae cujusdam clerici, quem pater ejus, item clericus, cum filia clerici matrimonio junxerat. Aliud quoque alterius clerici conjugium, patre procurante initum, ibidem memorat. Hos autem et alios similes clericos conjugii causa non evasisse laicos, sed in clero perstitisse, innuunt monita Ratherii ad eos. *Cum omnes noverint,* scribit, *quia omnis qui praeter uxorem legitimam coit, aut fornicationem aut adulterium facit, presbyter vero aut diaconus uxorem legitimam non possit habere, si filium de ipsa fornicatione, vel quod pejus est, de*

---

[1]) Serm. de Maria et Martha, n. 4.
[2]) Epist. ad Nannonem n. 2.
[3]) Apologetium n. 7. [4]) Discordia n. 1.
[5]) Itinerar. n. 15.

adulterio genitum, facit presbyterum, ille iterum suum, suum alter iterum, pullulans illud usque in finem saeculi taliter adulterium cujus est, nisi illius qui illud primitus seminavit? Quocirca monendi et obsecrandi fratres, ut quia prohiberi (pro dolor!) a mulieribus valetis nullo modo, filios de vobis generatos dimitteretis saltem esse laicos, filias laicis jungeretis, ut vel in fine saltem vestro terminaretur, et nusquam in finem saeculi duraret adulterium vestrum.[1]) „Notanda (inquiunt fratres Ballerini) distinctio *filium de fornicatione, vel, quod pejus est, de adulterio genitum.* Filium de fornicatione eum Auctor appellat, quem clericus ex libera muliere seu concubina suscepisset; de adulterio autem eum, quem suscepisset ex illegali conjugio, quod Ratherii lingua adulterium dicitur. Erant igitur clerici qui concubinas alebant,[2]) erant alii qui uxores. Horum autem filii fere omnes erant in clerum adscripti, adeo ut in *Itinerario* (n. 5) Ratherius vix aliquem puerulum in clero inventum iri affirmet, qui *manzeres,* id est ex fornicatione vel adulterio natus non esset. *Si manzeres abjicerem, quem ex iisdem puerulis stare in choro permitterem?*[3]) Omnes item, exceptis pueris, incontinentes esse innuit, scribens: *Si multinubos a clericatu expellerem, quem nisi puerulos in ecclesia relinquerem?* Esto per hyperbolem et exaggerationem scripserit Ratherius, ex his tamen omnibus negari non potest, vitium ejusmodi multos, imo plerosque clericos occupasse.“ Atque jam indefinite labes illa propagandam se exhibebat, eo quod filii clericorum iterum in clerum ingrederentur et uxores ducerent, non raro forte filias aliorum clericorum.[4])

---

[1]) L. c. n. 4.

[2]) Fieri tamen poterat, ut clandestinum cum iis matrimonium inirent, etsi publicum vitarent, v. g. si mulier erat conditionis inferioris.

[3]) Vox *manzeres* ex Deuteron. 23. 2 desumpta est „Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus, in ecclesiam Domini usque ad decimam generationem.“

[4]) Paulatim, quantum videtur, hac ratione invaluisset in Ecclesia ille rerum status, qui nunc in Russia existit atque describitur in libello *Le Clergé Russe* par J. Gagarin (Bruxelles 1871). „Aujourd'hui le

Connubia nondum invalida.

18. Animadvertunt editores operum Ratherii, ipsius tempore incepisse illam incontinentiam serpere clericorum; quae postea adhuc magis invaluit. Saeculo decimo vero adeo illud malum grassare incepit partim ob generalem aliquam morum relaxationem, partim quia eo tempore vita canonica seu communis clericorum passim abrogata fuit. In vita communi sane consortium cum mulieribus praepediebatur efficacius; quumque ea ob varia incommoda abrogata haud statim in promptu essent alia illa media ad honestatem clericorum servandam, quae aliis temporibus adhibita sunt, ad connubia mulierum multi pervenerunt.[1] Facilius etiam id accidit, quum connubia ejusmodi essent quidem illegalia, attamen *invalida* non videantur fuisse. Impedimentum enim ordinis dirimens matrimonium, censetur aperte pronuntiatum in variis conciliis quae initio saeculi undecimi habita sunt. Gregorius VII et Urbanus II tamen jam hoc supponere videntur; sic Urbanus II in synodo apud Melphium, dum poenas adversus eos statuit qui post subdiaconatum uxoribus vacare volunt, addit: *Quod si ab episcopo moniti non se correxerint, principibus indulgemus licentiam, ut eorum fe-*

---

fils d'un prêtre ou d'un diacre est destiné par sa naissance à faire partie du clergé; c'est une obligation à laquelle il ne lui est pas permis de se soustraire. . . Pour mettre les enfants du clergé à l'abri d'une concurrence désagréable, on multiplia les obstacles à l'effet d'interdire les abords du sanctuaire aux autres classes de la société. De cette façon on est parvenu en fort peu de temps à créer un clergé héréditaire. . . Ce n' est pas tout, le mariage avant l'ordination était facultatif, on le rendit obligatoire. . . Les prêtres et les diacres ont des filles: il faut leur assurer des établissements, par conséquent défense de se marier en dehors de la caste. . . On voit, comment cet ensemble de mesures législatives émanées de Catherine II et d'Alexander I aboutit à faire du clergé une véritable corporation fermée, une caste héréditaire." Pp. 22 sqq.

[1]) Etiam clerici minores altari inservientes in variis regionibus ad continentiam tenebantur, quod cum vita communis vigeret, haud magnam habebat difficultatem. Disciplina quoad clericos minores altari inservientes et quoad subdiaconos diu non omnino firma erat, donec decretis repetitis determinatum est, ad continentiam teneri qui in ordinibus majoribus constituti sunt.

minas mancipent servituti.[1]) Tali permissione dixeris supponi, matrimonium ejusmodi omnino invalidum esse;[2]) sed praecedente tempore id non invenitur statutum.

19. Clerici autem incontinentes contendebant, antiqua decreta contra ista connubia jam usu et consuetudine esse caduca, seque nullatenus adulteros esse, sed licito vinctos matrimonio. Sic ipse Guido episcopus Mediolanensis contra Arialdum et Landulphum, duces eorum fidelium qui continentiam a clericis exigebant, ingerit: *Vos dicitis, quia sacerdotes impossibile est adulterare et sacrificare, et verum dicitis. Sed nostri sacerdotes, Deo gratias, usque hodie nec sunt nec nominati sunt adulteri, sed curiose observant apostolicum praeceptum ut sint unius uxoris viri.*[3]) Atque Andreas sacerdos in oratione adversus Arialdum et Landulphum ait: *Dixisti: sacerdos qui duxerit uxorem deponatur. Bene dicis, et ego dico, si post acceptum sacerdotium duxerit uxorem, sui ordinis periculo subjaceat: sin autem in sacerdotio unius uxoris virum inveneris, quid separas quod non licet?*[4]) — Continentiam igitur cleri, qua Ecclesiae robur et sanctitatis splendor maxime nititur, isti conati sunt abrogare, et contra canones atque decreta saluberrima introducere Graecorum laxam disciplinam. Simul autem aetate illa, quum disciplina ita dissolveretur, multa alia vitia turpia contra castitatem se propagarunt.

Uxoratorum argumenta.

20. Quantum vero in variis regionibus labes ista incontinentiae invaluerit, documenta illius temporis testantur. Jam vidimus ex Ratherii scriptis, quantopere ipsius tempore eo malo ecclesia Veronensis laboraret; postea vero in totam fere Italiam haec incontinentia propagata est. Sic scribit Desiderius Abbas Cassinensis (Victor III): *Cum vulgus clericorum per viam effraenatae licentiae, nemine prohibente,*[5]) *graderentur, coeperunt ipsi presbyteri ac diacones*

---

[1]) Corp. Jur. dist. XXXII c. 10.

[2]) Cfr. Hefele Beiträge l. c. S. 132. Phillips K. R. I. 2. §. 64 — Thomassinus, Disciplina, P. I. L. I. c. LXV. n. 4.

[3]) Landulph. Hist. Mediol. III. 7; M. G. Scr. VIII. 78.

[4]) Ibid. III. 26; l. c. p. 94.

[5]) Per exaggerationem haec dicuntur; varii Pontifices enim, quamvis frustra, studuerunt illi malo obviare.

(qui tradita sibi sacramenta dominica mundo cordę castoque corpore tractare debebant,) laicorum more uxores ducere, susceptosque filios haeredes testamento relinquere; nonnulli etiam Episcoporum, verecundia omni contempta, cum uxoribus domo simul in una habitare; et haec pessima et exsecranda consuetudo intra Urbem maxime pullulabat, unde olim religionis norma ab ipso Apostolo Petro ejusque successoribus ubique processerat.[1]) Praesertim autem in Longobardia talis abusus, cui patrocinabantur episcopi, viguit. Jam vidimus, Guidonem Mediolanensem connubiis sacerdotum favisse.[2]) Pars tamen cleri Mediolanensis caste vivebat, atque multi fideles aegre ferebant illos abusus. Inter clericos eminebat Anselmus diaconus, qui a. 1054 creatus est episcopus Lucensis, ac post sub nomine Alexandri II Sedem

Ecclesia Mediolanensis.

[1]) De mirac. s. Benedicti dial. L. III init. — Quod de Urbe dicit, non videtur ad litteram admittendum esse, nisi agatur de tempore quo Benedictus IX S. Sedem tenuit.

[2]) Heribertum archiepiscopum, Guidonis praedecessorem, uxorem duxisse, refertur in Chronico manuscripto *Flos florum* Gualvanei qui vixit saeculo decimo quarto. „Hic archiepiscopus habuit Uxeriam nobilem mulierem uxorem: quae donavit dotem suam monasterio s. Dionysii quae usque hodie Uxeria dicitur.“ V. Puricelli in Dissertatione: *Utrum s. Ambrosius Clero suo Mediolanensi permiserit, ut virgini nubere semel posset:* ap. Muratori Script. rer. Ital. IV. p. 122. — Merito tamen advertit Puricelli, nullatenus verisimile videri, Heribertum uxorem habuisse. Scriptores videlicet Mediolanenses illius temporis Arnulphus et Ludolphus senior. qui Heriberti gesta fusius enarrant, nihil ea de re habent Quum tamen ipsi pro liceitate connubiorum cleri acriter decertarent, Heriberti, clarissimi praesulis, exemplum pro sententia sua facile attulissent. Neque s. Arialdus, clericorum uxoratorum adversarius, ejusque fautores unquam de matrimoniis archiepiscoporum Mediolani conquesti sunt. „Denique vero dicamus etiam, ita Puricelli, de sacris ecclesiae Mediolanensis ministris, qui per haec tempora uxores haberent, non aliter censendum videri, quam secundum eas generis hujus leges, quae per eadem pariter tempora in usu communiter apud Graecos essent, apud quos tamen sancitum erat et inviolabiliter servabatur, ut episcopi non haberent uxores, quibus utique cohabitarent.“ L. c. p. 135 sqq.

Apostolicam tenuit. Arialdus autem presbyter et Landulphus factionem civium formarunt, quae magno cum vigore exstirpandis abusibus adlaboravit. — Ecclesiae Taurinensis eamdem fuisse conditionem, colligitur ex epistola s. Petri Damiani ad Cunibertum episcopum illius ecclesiae: *Inter nonnullos virtutum flores, venerabilis Pater, quibus tuae sanctitatis vernat ingenium, unum mihi fateor, valde displicuit. Permittis enim, ut ecclesiae tuae clerici, cujuscumque sint ordinis, velut jure matrimonii confoederentur uxoribus.... Praesertim quum et ipsi clerici tui, alias quidem satis honesti et litterarum studiis sint decenter instructi. Qui dum ad me confluerent, tanquam chorus angelicus, et velut conspicuus ecclesiae videbatur enitere senatus.*[1])

21. Ad Germaniam et Galliam quod attinet, invenitur primum mentio illius incontinentiae in *epistola Leonis VII* (a. 939) *ad Gallos et Germanos*, in qua de variis abusibus agit, quos ipsi indicaverat Gerardus sanctae Lauriacensis ecclesiae archiepiscopus qui ad limina Apostolorum venerat. *De hinc*, scribit Pontifex, *intulit lamentabile et nimis lugendum, ut domini sacerdotes publice ducant uxores, et si filii eorum valeant promoveri. Quod scelus quia omnis sacra scriptura contradicit, quia sanctum Nicaenum concilium vetat, ne sacerdotes cum feminis habitare praesumant, multo magis ne copulari vel sociari mulieribus debeant, juxta sacros canones modis omnibus prohibemus. . . . Et qui in tali scelere fuerint reperti, nostra apostolica auctoritate ab omni priventur honore. Filii vero eorum immunes ab eorum* Germania et Gallia.

[1]) Petr. Damiani Opusc. XVII. — Animadvertendum est, quod jam supra diximus, hujus labis ingens periculum in eo fuisse, quod vigor, dignitas et sanctitas specialis cleri penitus in Ecclesia pessumdarentur, dum eo praetextu, antiquam disciplinam obsoletam esse et consuetudine abrogatam, matrimonium clericorum inducerent. Laudes quas s. Petrus quoad reliqua tribuit hoc loco clero Taurinensi, partim benevolentiae gratia datae habendae sunt; caeterum potuit cum ejusmodi abusu dudum introducto, quaedam honestas cleri consistere. Etiam de clero Mediolanensi dicit Anselmus Lucensis: „Certe nisi feminas haberent, omnes hujus urbis sacerdotes et levitae in praedicatione et in aliis bonis moribus satis congrue valerent.“ Landulph. Hist. Mediol. III. c. 4.

peccato sunt, dicente propheta: Filius non portabit iniquitatem patris; et in sacro baptismate omnia dimittuntur peccata.[1] Videtur autem dein per aliquod temporis intervallum in Germania et Gallia generatim disciplina ecclesiastica sat bene observata fuisse. Etenim ex Ratherii Veronensis scriptis colligitur, abusum incontinentiae, quem in suis clericis castigabat, in Gallia ac Germania saltem gradu valde notabili non exstitisse. Attamen saeculo undecimo in variis Germaniae dioecesibus clericorum conjugia admodum propagata sunt, et fere communia facta, ita ut contra Gregorii VII decreta in archidioecesi Moguntina vehementissima oriretur oppositio, cui Sigefridus archiepiscopus cessit. Otto vero Constantiensis episcopus eo progressus est, ut clericis suis ejusmodi conjugia plane permitteret, eosque excitaret ad spernenda decreta Gregorii VII. — Etiam in Burgundia ac Normannia versus finem saeculi decimi clericorum matrimonia passim occurrunt.[2] In Lotharingia incontinentiam sacerdotum pariter invaluisse, colligi potest ex Vita Alberonis II (984—1005), quam scripsit Constantinus Abbas; laudat is Alberonem, quod filios sacerdotum ab ordinibus non excluserit. *Episcopi sui temporis,* scribit, *aliqui fastu superbiae, aliqui simplicitate cordis, filios saecularium sacerdotum ad sacros ordines admittere dedignabantur, nec ad clericatum eos recipere volentes; hic vero beatus neminem despiciens, neminem spernens, passim cunctos recipiebat, neque personam neque genus eligens aut praejudicans.*[3]

Episcopi incontinentes.

22. Inter episcopos quoque videntur fuisse qui uxores habuerint, pessimo sane exemplo et nefasta disciplinae violatione. Quum tamen etiam apud Orientales inauditum esset episcopos conjugia inire, difficile crederem, matrimonio plane publico illas mulieres praesulibus junctas fuisse. In Gulielmi Gemetensis Historia Normannorum legitur: *Robertus, filius primi Richardi ducis Normanniae,*

---

[1]) Labbe, C. Conc. IX. 698.
[2]) Cfr. Gfrörer Greg. VII. B. VI. Cap. 13.
[3]) Pertz M. G. Scr. IV. 667. Vita Alberonis II. n. 24.

archiepiscopus Rothomagensis (a. 989—1037) *et comes Ebroicae civitatis, contra morem ecclesiasticum uxoratus, quasi quilibet laicus, genuit duos filios, Richardum, qui ei successit in comitatum, et Rodulphum de Waceio.*[1]) Atque in Actis episcoporum Cenomanensium habetur: *Segenfredus* (a. 960—995), *vir infelicis vitae et per omnia vituperabilis, ad cumulum damnationis suae accepit mulierem, nomine Hildeburgam, in senectute, quae ingresso illo ad se concepit et peperit* (filios et) *filias. (Quibus mortuis, unus superstes, nomine Albericus, remansit, quem adultum ditavit pater rebus ecclesiae.*[2]) Apud Gregorium VII a. 1074 accusatus fuit episcopus Tullensis (Poppo) a clerico illius dioecesis, quod *cum muliere quadam in publica fornicatione jaceret, de qua filium genuisset, quamque rumor esset sacramento et desponsatione, laicorum more, sibi desponsasse.*[3])

23. In Anglia etiam abusus contra cleri continentiam sese saeculo decimo et undecimo propagarunt, quamvis viri sancti eos strenue impugnarent. Eadmerus (c. 1122) scribit in Vita s. Oswaldi archiepiscopi Eboracensis: *Per id temporis ex sanctione et auctoritate Johannis apostolicae Sedis Antistitis B. Dunstanus archiepiscopus Cantuariae et primas totius Britanniae coacto generali concilio* (a. 969) *statuit, et statuendo decretum confirmavit, videlicet ut canonici omnes, presbyteri omnes, diaconi et subdiaconi omnes, aut caste viverent, aut ecclesias quas tenebant una cum rebus ad eas pertinentibus perderent . . . Ut de aliis taceam, B. Oswaldus septem monasteria in sua dioecesi regulari dis-* Anglia.

[1]) L. VIII. c. 15, ap. Bouquet XI. 56.

[2]) Ap. Bouquet X. 384. Inferius et *episcopissa* illa mulier nominatur; publice tamen eam ut praesulis uxorem se gessisse, aegre crediderim. Advertendum quoque, Acta Epp. Cenomanensium passim falsificata esse. V. Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen II. 402.

[3]) Registri L. II. ep. 10 — In documentis Helvetiae pariter quaedam exempla uxorum episcoporum inveniuntur. Sic Burchardus episcopus Lausanensis, *vir ferus et bellicosus uxorem legitimam habuit.* (Ita in Chartular. Lausann., ap. Müller Schweizer-Geschichte I. 318.) Commemoratur etiam Aesopeia uxor Paschalis episcopi Curiensis, quae episcopa et antistita Curiensis dicitur. (Meier v. Knoraus Schweizer-Geschichte I. 29; ap. Gieseler K. Ges. II. I. p. 324.)

ciplina, ejectis clericis feminarum consortium ecclesiis anteponentibus, instituit. Post haec in aliis Angliae partibus ad parochiam suam nil pertinentibus insignes ecclesias ob praefixam causam clericis evacuavit, et eas viris monasticae institutionis sublimavit.[1]) Post mortem vero regis Eadgeri (a. 975) abusus iterum inolevit. Scribit Matthaeus Westmonasteriensis (c. 1307): *Sicque post decessum regis pacifici regni status perturbatus est et in execrationem mutatus. Nam principes plurimi et optimates abbates cum monachis de monasteriis, in quibus rex Eadgerus eos locaverat, expulerunt, et clericos, ut prius, loco ipsorum cum uxoribus introduxerunt*[2].) In synodo Aentramensi a. 1009 iterum clericorum continentia inculcatur c. II: *Omnes ministros Dei,* inquiunt praesules, *praesertim sacerdotes rogamus et docemus, ut Deo obedientes castitatem colant, et contra iram Dei se hoc modo muniant et tueantur. Certius enim norint, quod non habeant debite ob aliquam coitus causam uxoris consortium. In more tamen est, ut quidam duas, quidam plures habeat, et nonnullus, quamvis eam dimiserit quam nuper habuit, aliam tamen ipsa vivente accipit, quod nulla Christianorum lege est permissum. Dimittens autem et castitatem recolens e coelo assequetur misericordiam, in mundo etiam venerationem.*[3]) Quamvis vero praesules sese incontinentiae opponerent, nec ita ea invaluisse videatur, uti in quibusdam aliis regionibus, perdurarunt tamen abusus, donec aetate Gregorii VII, Guillelmus I et Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis magno cum vigore eos exstirparunt.

Causae speciales abusus.

24. Ex hisce colligitur, quantopere in variis regionibus inoleverint clericorum conjugia. Videntur autem in Italia atque Germania praeter incontinentiam, quaedam alia exstitisse motiva, quibus abusus ille promotus est. Clerici inferiores saepissime erant ex *familia* alicujus ecclesiae, seu ex familiis quae bonis ecclesiae addictae erant

---

[1]) Wharton, Anglia sacra, II. p. 200, ap. Gieseler K. G. II. I. p. 325.
[2]) V. Gieseler l. c. col. 790.
[3]) Ap. Harduin. Coll. Conc. VI. col. 775.

tanquam mancipia sive servi. Illi igitur clerici studebant liberas mulieres in uxores ducere, neglectis *ancillis* ecclesiae, i. e. feminis quae ad possessiones et famulatum ecclesiae pertinebant. Ea ratione clerici ipsi eo perveniebant, ut bona a muliere libera allata, agros et vineas, possiderent. Filii autem, quos cum libera genuerant, abusu quodam conditionem matris sequebantur ac liberi erant, illisque ex bonis ecclesiae haereditatem procurabant patres. Atque sic bona illa ecclesiae diripiebantur, et in proprietatem transibant familiarum. Praeterea vero filii isti clericorum frequenter sese addicebant servitio alicujus principis vel proceris, dumque cum bonis sibi acquisitis *milites* seu feudatarii ipsius fiebant, potentia et possessiones baronum atque comitum augebantur. Nobiles autem ad hoc vehementer inhiabant, adeoque nuptiis cleri favebant, tum ut filias suas in matrimonium collocarent, tum ut ecclesiarum possessiones suae ditioni acquirerent.

25. Direptionem illam bonorum ecclesiae, quae ex nuptiis clericorum proveniebat, maxime condemnat Benedictus VIII in concilio Ticini anno 1018 habito, in quo varia contra clericorum incontinentiam statuta sunt, inhibitumque, quominus filii clericorum servitio ecclesiae subtraherentur. Ait Pontifex: „Reges utique et Imperatores Christum secuti et populus catholicus armis fidei acquisitus, amplissimis patrimoniis ecclesiam ditaverunt, et exquisitissimis eam possessionibus ad mare usque ampliaverunt. Sed bene parata, male sunt conservata. Omnes enim eam pertranseuntes diripiunt; et hi maxime, qui videntur esse rectores, modis omnibus quibus possunt conculcant et paupertant. Praedia enim et possessiones aut tollunt, aut minuunt, aut quibusdam titulis et scriptis colludio fabricatis, a nomine et a jure ecclesiae alienant; servos libertant licet non possint; filiis congerrones infrontati omnia congerunt. Ipsi quoque clerici qui sunt de familia ecclesiae, si sunt dicendi clerici qui vivunt ut ethnici, cum sint ab omni muliere legibus exclusi ex liberis mulieribus filios procreant, ancillas ecclesiae hac sola fraude fugientes, ut matrem liberam filii

Benedictus VIII.

quasi liberi prosequantur. Ampla itaque praedia, ampla patrimonia, et quaecumque bona possunt, de bonis ecclesiae, neque enim aliunde habent, infames patres infamibus filiis adquirunt. Et ut liberi non per rapinam appareant, volunt enim in terra rapere libertatem ut diabolus in coelo voluit deitatem, in militiam mox eos faciunt transire nobilium ... Sic filiis servorum in libertatem, ut falso commentantur, remanentibus, ecclesia utrumque, et servos perdit et conquisita. Sic ecclesia olim ditissima, incuria et malignitate praesidentium, et incorrecto ausu clericorum, pauperrima est effecta nostris temporibus. Sic annullatur ecclesia, sic mendicat. Sic aut perrarus, aut ex familia ecclesiae nullus jam invenitur qui valeat: quia hac fraude omnes filii servorum ecclesiae ad clericatum adspirant, non ut Deo serviant, sed ut scortati cum liberis mulieribus, filii eorum de famulatu ecclesiae cum omnibus bonis ecclesiae raptis quasi liberi exeant. Sic jam nonnullae ecclesiae pauperes sunt in familiis, quod jam pretio servientes ecclesiarum ministri conducant, et in annuam mercede solvenda transeant necessitatem."[1])

Alia incontinentiae vitia. 25. Non est mirum, ea aetate etiam alia incontinentiae vitia in quibusdam regionibus irrepsisse in clerum;

[1]) Labbe Coll. Con. IX. 820. — Colligitur ex his, in famulatu ecclesiae (servos) fuisse familias in latifundiis ecclesiae viventes. Ex his familiis multi clerici proveniebant, sed ea aetate provolabant isti ad clerum, ut, uxore libera ducta, familiam liberam conderent seu filios liberos redderent. His tanquam praedam bona ecclesiae distribuebant patres, simulque filii ut milites sese addicebant nobilium famulatui. — Videmus etiam ex Benedicti Decreto, voluisse eum ut ecclesiae clericos etiam inferiores ex illis familiis servientibus haberent, sed ea conditione ut clerici *omnes* coelibes remanerent, non solum qui in ordinibus majoribus constituti erant. Dicit enim Pontifex: „Quodsi inimici sanctae continentiae garriunt, episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, et non caeteris qui sunt in clero abstinendum esse; legant aliquando Leonem papam ad Rusticum Narbonensem episcopum scribentem ita: legem continentiae eamdem esse altaris omnibus ministris, quam episcopis et presbyteris constat esse impositam." Id quidem conveniens erat in illa rerum conditione, ne per connubia inferiorum clericorum bona ecclesiarum diminuerentur. Sed postea lex accuratius ad clericos in Ordinibus majoribus determinata est; atque ex eo quod lex urgeretur etiam pro clericis inferioribus, liquet, legislationem aliquanto vagam fuisse.

quum enim inter laicos magna morum relaxatio obtineret, in clero quoque peccata turpia se propagarunt. Objiciebant talia ii sacerdotes qui connubium clericorum tuebantur adversariis suis, uti Andreas presbyter Mediolanensis (a. 1065), quem Landulphus sen. in sua Historia Mediolanensi ita inducit loquentem: *Quid vero per homines fieri potest stolidius, quid divinae maledictioni obligatius, quam cum aliqui, vel episcopi videlicet, vel archidiaconi, ita praecipites sint in libidinem, ut neque adulteria neque incestus neque masculorum (proh pudor!) turpissimos amplexus sciant abhorrere, quod casta clericorum conjugia sibi dicant foetere, et ab eis non verae justitiae compassione clericos, ut conservos rogent vel moneant continere, sed ut servos jubeant ac cogant abstinere. Ad cujus imperii tam fatuam tamque turpem addunt suggestionem, ut dicant: honestius est pluribus occulte implicari, quam aperte in hominum vultu et conscientia cum una ligari . . . Hi sunt homines, qui prius deberent nobis persuadere, ut in conspectu ejus cui omnia nuda et aperta sunt erubescamus peccatores esse, quam in conspectu hominum studeamus mundi esse.*[1]) Ista manifeste exaggerata sunt, et passionem spirant defensoris connubiorum cleri. Et quamvis interdum apud clericos vitia turpia invenirentur, falso tamen inde argumentum petebatur, permittendas esse nuptias clericorum. Etenim tum ex principiis fidei, tum ex experientia praecedentium temporum jam constabat, servata ecclesiastica disciplina etiam continentiam a clericis haud difficulter posse servari. Idem vero posterioris aetatis experientia splendide confirmatum fuit. Immerito autem Protestantium scriptores (Gieseler, Mosheim,) ejusmodi facta et dicta congerunt, eisque horrendos coelibatus effectus fuisse inferre nituntur. Nihil aliud enim inde colligi potest, nisi clericos, quando disciplinam non servant, exercitiis pietatis non insistunt, suam negligunt vocationem, ac periculis se exponunt, in vitia ruere posse, adeoque ipsis orandum esse et vigilandum, ne intrent in tentationem.

---

[1]) Ap. Muratori Script. rer. Ital. IV. 112.

Liber Gomorrhianus.

26. Quum vero ob Protestantium impugnationem haec tangenda sint, commemorare etiam convenit, medio saeculo undecimo, s. Petrum Damianum librum scripsisse *Gomorrhianus,* atque ad s. Leonem IX direxisse. In isto opusculo agit de flagitiis contra naturam commissis per clericos, ac postulat a Pontifice, ut tales clerici ad ordines non admittantur, deponantur, vel pro merito gravibus poenis afficiantur. *Quoddam nefandum,* scribit, *et ignominiosum valde vitium in nostris partibus inolevit, cui nisi districtae animadversionis manus quantocius obviet, certum est, quod divini furoris gladius in multorum perniciem immaniter grassaturus impendet . . . Vitium igitur contra naturam velut cancer ita serpit, ut sacrorum hominum ordinem attingat; et interdum ut cruenta bestia in ovile Christi cum tantae libertatis saevit audacia, ut quam pluribus multo salubrius fuerit in mundanae militiae jugo deprimi, quam sub religionis obtentu tam libere ferreo juri diabolicae tyrannidis mancipari, praesertim cum aliorum scandalo . . . Et nisi quantocius Sedis Apostolicae rigor occurrat, non est dubium, quin effraenata nequitia cum restringi voluerit, a cursus sui impetu desistere nequeat.* — Dein flagitiorum istorum reatum fusius describit.[1]) — Leo IX s. Damiani zelum epistola data laudavit, atque etiam qua ratione in reos agendum sit, statuit. Brevi post tamen Petrus Damiani ex favore Leonis IX excidit. Haud desunt qui existimant id factum esse, quod Pontifex aures praebuerit querelis quorumdam de libro *Gomorrhianus*, quo vitia turpia tam aperte recensebantur. Epistola ad s. Leonem IX data Petrus Damianus de Pontificis imminuta benevolentia humiliter conquestus est, (L. I. ep. 4.). Pontifex vero mox ei reconciliatus fuit.[2])

---

[1]) Opp. s. Petri Damiani. Opusc. VII. praefatio.

[2]) Baronius ad a. 1049 n. 15, et inter recentiores Werner ac Montalembert existimant, Gomorrhiani librum esse illud opusculum, quod postea Alexander II arte pia s. Petro Damiano surripuit, suoque scrinio inclusit. Qua de re agit Damianus in epistola ad Hildebrandum et Stephanum Cardinales (L. II. ep. 6). Sed alii censent, opusculum ab Alexandro II surreptum fuisse illud *De paupertate inopis ingenioli*

26. Advertendum est, s. Petrum Damianum de propagatione illorum vitiorum haud loqui tanquam de turpi consuetudine jam communi, sed ut de flagitio monstroso quod tunc in istis regionibus serpere coeperit, et etiam clerum affecerit. Optat vero, ut severitate adhibita tempore Apostolatus Leonis IX hujus vitii monstrum prorsus intereat. — Ineptum vero est, quod ex corruptione morum se propagaverat vitium ut effectum coelibatus clericorum exhibere, uti auctores protestantes facere consuescunt. Per accidens quidem iis qui vocationem non habebant, vel qui disciplinam negligentes otio, nugis ac vitae liberiori se dabant, coelibatus occasionem lapsus praebere potuit; nihil vero contra praeclaram coelibatus institutionem ex ejusmodi factis consequebatur. Idque optime cujusvis aetatis viri vere sapientes et Ecclesiae addicti conspexerunt, qui ut sanctitatem cleri promoverent, simul vitam continentem ac coelibem encomiis suis evexerunt et inculcarunt, simul vero graviter monuerunt, ne neglecto disciplina, temperantia, gravitate, ac ea vitae severitate quae clericis convenit, variorum lapsuum discrimini ipsi sese exponerent.

II.

De Simoniae labe.

27. Alterum quod saeculo XI sese valde propagaverat vitium, erat *Simoniae* labes perniciosa, qua in episcopatuum, abbatiarum, beneficiorum, ordinum sacrorum collatione, pecuniae pretium solvebatur. — Inde a primis saeculis invenimus Ecclesiam sedulo operam dedisse decretis et praescriptis canonum ac conciliorum, ne pretio temporali spiritualia prostarent, ac praesertim id jussisse quoad collationem sacrorum ordinum. Cum enim ordinatione evehantur homines ad longe praestantissimam om- Simoniae vitium.

(op. 28), in quo clericorum ignorantiam Damianus acrius carpebat. V. Kleinermanns l. c. p. 101 nota 2.

nium dignitatem et a qua caeterae quoque derivantur sacrae dignitates, diligentius etiam muniendi fuere obstruendique aditus omnes, ne quos eo vel ambitio protruderet, vel admitteret avaritia. Pariter etiam beneficia, quae ordinibus valde connexa sunt, ne intercedente simonia conferrentur vel obtinerentur, multoties prohibitum fuit.

Invalescit ea aetate.

28. Sed saeculo undecimo valde invaluit illud vitium. Scribit jam circa annum 1000 Abbo Fleuriacensis in *Apologetico §. 9: Nihil paene ad Ecclesiam pertinere videtur, quod ad pretium non largiatur, scilicet episcopatus, presbyteratus, diaconatus, et reliqui minores gradus, archidiaconatus quoque, decania, praepositura, thesauri custodia, baptisterium, sepultura et si quae sunt similia. Et hujusmodi negotiatores subdola responsione solent adstruere, non se emere benedictionem, qua percipitur gratia Spiritus sancti, sed res ecclesiarum, vel possessiones episcopi.*[1]) Exercebatur autem ista simonia tum a regibus, principibus, patronis, quando episcopatus vel beneficia ecclesiastica clericis procurabant, tum ab episcopis aliisve superioribus ecclesiasticis in collatione ordinum et dignitatum. Fusius et accuratius haec exponere longum esset; sufficiat igitur pauca citare, ut hujus mali extensio intelligatur et indoles, ob quam difficile erat illud exstirpare.

Henrici III. oratio.

29. Henricus III Imperator anno 1046 Aquisgrani conventum habuit episcoporum Germaniae et Galliae, in quo ipse simoniae labem eis exprobrat atque etiam fatetur, Conradum Imperatorem ipsius patrem hujus vitii reum fuisse. „Dignoscens igitur idem Henricus, scribit Radulphus Glaber, per universam Galliam atque Germaniam simoniacae phylargyriae grassari cupiditatem, coadunari fecit ex omni Imperio suo tam archipraesules, quam caeteros pontifices, et tale eis intulit colloquium: Lugens vobis incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis, quam ipse sibi desponsavit, ac pretio sui sanguinis redemit. Sicut enim ipse gratuita bonitate de sinu Dei

[1]) Ap. Mabillon, Analecta vetera, p. 105.

Patris per virginem ad nos natus est redimendos, ita suis praecepit, mittens eos in orbem universum Apostolis: Gratis accepistis, gratis date. Vos autem avaritia et cupiditate corrupti, qui dum conferre deberetis, in hujusmodi transgressione, dando et accipiendo canonem, maledicti estis. Nam et pater meus, de cujus animae periculo valde pertimesco, damnabilem avaritiam in vita nimis exercuit. Idcirco quicumque vestrorum hujusce criminis se norunt contaminatos, oportet ut sacro ministerio secundum dispensationem canonicam arceantur. Patet ergo manifestissime, quoniam propter hanc offensam venerunt super filios hominum diversae clades, fames videlicet atque mortalitas necnon et gladius. Omnes quippe gradus ecclesiastici, a maximo Pontifice usque ad ostiarium, opprimuntur per suae damnationis pretium, ac juxta vocem dominicam, in cunctis grassatur spirituale latrocinium. — His denique ab Imperatore acerrime prolatis stupefacti pontifices, quid illi responderent non habebant. Pertimescebant enim carere ob hanc culpam propriis episcopatuum sedibus. Et quoniam non solum in Gallicanis episcopis haec pessima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam, (omnia quippe ministeria ecclesiastica ita eo tempore habebantur venalia, quasi in foro saecularia mercimonia), cernentes quippe episcopi gravi se invectione irretitos, misericordiae opem implorabant. At ipse princeps misericordia motus, tale consolationis protulit verbum: Ite, et quod illicite accepistis, bene disponere satagite, ac pro anima patris mei, qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam hujus facinoris a Deo possitis acquirere.[1])

30. Haec Baronius refert ad annum 1047, ac postquam Henricus III Roma redierat existimat ea accidisse. Sed Gfrörer censet, ante expeditionem in conventu Aquisgrani a. 1046 habito, Imperatorem ita locutum. Id inde confirmari videtur, quod Henricus etiam Pontificem maximum simoniae accuset, adeoque haec dixisse videatur,

---

[1]) Hist. L. V. c. 5, ap. Baronium ad a. 1047 n. 6.

antequam Gregorius VI, quem opinabatur Imperator reus esse illius labis, pontificatum abdicasset. Existimat praeterea auctor citatus, Henricum quum dominari vellet Ecclesiae, arte politica tunc ita locutum esse, quo terreret episcopos eosque adigeret, ut cum ipso susciperent expeditionem Romanam, in qua Gregorium VI coëgit ut Sedi renuntiaret, ac dein arbitrio suo Clementem II creavit Pontificem.[1]) Istam quaestionem expendere modo non vacat; id certe ex Henrici allocutione colligitur, simoniam valde communem fuisse. Ad Conradum Imperatorem quod attinet, ejus tempore ille usus fuisse videtur, ut episcopus cui ecclesia conferebatur fisco aerario imperiali tanquam taxam magnam summam pecuniae solveret. Sed praeterea aliquando etiam Imperator, qui pecuniae penuria laborabat, ulterius processit, ut quantam posset pecuniae vim in episcoporum creatione obtineret. Refert enim Wipo ejus capellanus, regem vendidisse episcopatum Basileensem multa obtenta pecunia clerico nobili Udalrico; postea tamen hujus rei eum poenituisse atque ipsum vovisse, se pro episcopatibus et abbatiis jam amplius pecuniam non accepturum esse, illudque votum fere semper observasse. Henricum III vero Conradi successorem a simonia penitus abstinuisse.[2])

Henrici IV. tempora.

31. Post mortem vero Henrici III, sub ejus successore Henrico IV, simoniae vitium omnino invaluit. Etenim dum Henrico adolescente Wernerus comes et alii regis

---

[1]) Gfrörer Gregor VII. B. VI. c. 46. — Auctor acri stylo characterem Henrici III describit, ut hominis perfidi, qui callida arte ac vi dominationem in Ecclesiam arripere voluerit Plerique tamen hujus Imperatoris virtutes atque vigorem laudant, quamvis nimium dominari studuerit in rebus ecclesiasticis. — Radulphus Glaber generatim principis virtutes ejusque fortitudinem bellicam commendans, aliud vitium deplorat scribens: „Tamen, proh pudor! unum in eo erat nimium reprehensibile, quod incontinentia et carnis luxuria infamabatur.“ Ap. Baron. a. 1047. n. 9.

[2]) „Sed filius ejus tertius Heinricus . . . in omni vita sua pro omnibus dignitatibus ecclesiasticis unius oboli precium non dicitur accepisse.“ In Vita Conradi Imperat. ap. Pertz M. G. Scr. XI. 263.

consiliarii regnum administrabant, ex episcopatuum et abbatiarum largitione magna emolumenta obtinere studuerunt, atque turpius etiam ipse Henricus simoniae deditus fuit. Sufficiat hic citare quae habet Lambertus Hersfeldiensis ad annum 1071: „In locum Meginvardi Auguensis Abbatis qui se abdicaverat, non per electionis ostium, sed per simoniacae haereseos cuniculum, protinus irrupit Robertus abbas Babenbergensis, cognomento Nummularius, annumeratis in aerarium regis mille pondo argenti purissimi.[1] Hic sordidissimis quaestubus et usuris, quas etiam privatus adhuc in monasterio exercuerat, infinitam sibi pecuniam conflaverat, et propterea mortes episcoporum et abbatum anxia exspectatione jam dudum suspiraverat. Cumque eos diutius vivendo vota sua et effrenatae ambitionis impetum quo praeceps rapiebatur, morari graviter et impatientissime ferret, eo vesaniae evasit, ut praeter occulta munera, quibus auriculariorum favor redimendus erat, regi centum pondo auri[2] promitteret, ut ejecto eximiae sanctitatis viro abbate Widerado, sibi abbatia Fuldensis traderetur. Et profecto quod nefarie concupiverat flagitiosissime obtinuisset, nisi pauci quibus leges ecclesiasticae pecunia chariores erant, in faciem regi ne id faceret obstitissent. Is pseudomonachus, dicam expressius vi doloris impulsus is angelus satanae transfiguratus in angelum lucis, ita sanctam et angelicam monachorum professionem infamavit, corrupit, vitiavit, ut monachi nostris temporibus atque in his regionibus non innocentia aestimentur atque integritate vitae, sed quantitate pecuniae: nec quaeratur in abbatibus eligendis, quis dignius praeesse, sed quis carius abbatiam possit emere. Ita proprio hujus in-

---

[1]) „Pondo i. q. libra, marca. Libra argenti constabat tunc temporis adhuc viginti nummis sive solidis, quorum unus aequiparandus minimum dimidio thalero (adeoque fere duobus francis).“ Pertz l. c. nota 57. Solvit itaque Robertus pro abbatia Augiensi circiter 40000 francos; sed multo major erat valor pecuniae eo tempore quam nostro.

[2]) „Decuplo plus erat pondo auri quam argenti.“ Pertz l. c. — — Centum pondo auri igitur valebant mille pondo argenti, seu uti diximus circiter 40000 francos.

vento, novo atque infausto hujus aucupio, haec in Ecclesiam introducta est consuetudo, ut abbatiae publice venales prostituantur in palatio, nec quisquam tanti venales proponere queat, quin protinus emptorem inveniat, monachis inter se non de observantiae regula zelo bono, sed de quaestibus et usuris zelo avaro contendentibus. Sed haec ut digne defleri possint pro magnitudine sua, et proprio volumine, et prolixiore opus habent tragoedia."[1])

Quorumdam excusatio.

32. Usque adeo autem post medium saeculum undecimum pervagata fuit episcopalium cathedrarum aliorumque beneficiorum nundinatio, ut etiam patronos habuerit varios qui contendebant, temporalia tantum emi beneficia, spiritualem potestatem et ordinem gratis donari. Hanc argumentationem exhibet et refutat s. Petrus Damianus in epistola (13.) ad Alexandrum II, in qua de nova simoniaca haeresi agit. *Nonnulli*, scribit, *plane clericorum vitam per exterioris habitus speciem mentientes, prorsus Dei frigidi, ambitionis ecclesiasticae facibus inflammati, hoc pertinaciter dogmatizant: Non ad simoniacam haeresim pertinere, si quis episcopatus a rege vel quolibet mundi principe per interventum coëmptionis acquirat, si tantum consecrationem gratis accipiat. Unde cum nuper in excellentissimi ducis Godefredi versaremur alloquio, duo quidam ex capellanis ejus, unus ut erat barbarus, barbarico nomine Tudetchinus, alter vero natione Venetus Joannes vocabatur. Hi nimirum tanquam Hermogenes et Philetus in praedicatione Pauli . . . resistentes veritati hanc non cessabant seminare doctrinam hominibus, catholicamque atque canonicam fatebantur esse sententiam: videlicet ut jure simoniacus non dicatur, quisquis absque manus impositione episcopatum comparasse convincitur. Dicebant enim, quia quum hoc fit, non distrahitur ecclesia, sed facultas, nec emitur sacerdotium, sed possessio praediorum. Sub hac enim praestatione pecuniae, opes tantum, non honoris vel ecclesiae redimitur sacramentum. Venalia siquidem sunt, sicut aiunt, unde sint divites, gratis accipiunt, unde fieri debeant sacerdotes.*

---

[1]) Chron. ad a. 1071; V. Baron. a. 1072. n. 2.

33. Multis hanc fallacem distinctionem et argumentationem Petrus refutat rationibus, quae omnes fere eo redeunt, ita hac in re connexa esse et inter se cohaerere in concreto ac de facto temporalia et spiritualia, atque ita spiritualia sequi temporalia, ut unius emptor quis esse nequeat, quin et alterum (spirituale) reddatur venale. Exemplis rem illustrat, quo illud maxime pertinet quod ex generatione hominis petit. *Ea ratione*, inquit, *quum homo tantum carnem producat et corpus, Deus vero statuto tempore anima corpus informet, dici etiam posset, patrem carnem tantummodo genuisse, non prolem quae ex anima constat et corpore. Quod cum penitus absurdum sit, et merito pater ille dicatur, ex cujus femore sola caro sit egressa non anima: sic ille proculdubio dicendus est mercator ecclesiae, qui per terrena quae redemit ad honoris culmen ascendit, et per corporalis commercium lucri emptor efficitur nihilominus sacramenti.* — Confirmat rem ex ratione investiturae: *Si saecularis ille princeps*, ait, *accepta vel promissa pecunia, pastoralem tibi tradidit baculum, qua fronte poteris episcopalis ordinis excusare commercium? Enimvero nisi per hanc investituram ille secuturi sacerdotii tibi prius imprimeret titulum, futurus ordinator nequaquam per manus impositionem sacerdotii tibi traderet sacramentum. Per hoc enim quod venaliter accepisti, consequenter ad sacerdotium promoveris; atque ideo licet illa manus impositio non venalis sit, sed gratuita, nequaquam tamen quantum ad te spectat, a venalitatis est sordibus aliena . . . Consecrationem evidentissime coëmisti, quum id propter quod ad consecrationem promovendus eras, venaliter accepisti. Sic enim pendet unum ex altero, ut qui terrena ecclesiae bona suscipit, ad gratiam consecrationis aspiret.*[1] — Saepe videntur principes simoniam etiam ea ratione palliavisse, quod taxam permagnam, reditus unius vel alterius anni ab episcopis exigerent, vel quod promissionem requirerent, partem proventuum ad ipsorum manus cessuram.[2]

Responsa P. Damiani.

---

[1]) Opp. s. Petri Damiani Tom. I. p. 16 sqq.

[2]) Id Hugo rex a Ratherio Veronensi postulavit, quum jam esset episcopus. „Misit in pitaciolo (libello) certam quantitatem stipendii

Simonia quoad ordines.

34. Quo vero modo se habuerit simonia quae in ordinibus conferendis exercebatur, in iis regionibus in quibus abierat in usum, et speciem quandam honestam acceperat, discimus pariter ex s. Petro Damiano, qui hac de re loquitur in Actis Mediolanensibus.[1]) *Erat*, scribit, *genuinus, imo inordinatus ordo, et inevasibilis regula illius ecclesiae, ut quicumque ad quemlibet ordinem, vel etiam ad episcopatum consecrandus accederet, praefixum prius absque ulla controversia canonem daret.* Accuratius autem Guido archiepiscopus in Sponsione qua simoniae renuntiat, hac de re ad clerum et fideles ait: *Non ignorat sancta devotio vestra, dilectissimi fratres et filii, quam reproba, quam damnabilis, quam detestabilis, Deo odibilis, ignominiosa atque perversa, omniumque sanctorum canonum auctoritate damnata consuetudo in hac sancta ecclesia . . . antiquitus inoleverit, quamque lethalis atque pestiferae leprae animas innocentum contaminatione perfuderit, simoniacae videlicet haeresis damnata semperque damnanda venalitas et perniciosa negotiatio hujusmodi, quae in hac sancta ecclesia consuetudinaliter obtinebat, ut quisquis ad clericales ordines provehendus accederet, de subdiaconatu quidem duodecim nummos, de diaconatu vero decem et octo, postremo de presbyteratu suscipiendo viginti quatuor per praefixam conditionis regulam daret. Hoc igitur modo Simon Magus, heu proh dolor! hanc sanctam Ambrosianam ecclesiam perversitatis suae velut officinam effecerat.*

Ejus reatus.

35. Ista in re menti obvenire possit, quare tanta cum severitate hic ea consuetudo ut simoniaca damnetur, ut in ordinationibus certus quidam canon seu taxa solvatur, quum tamen quae dicuntur *jura stolae* in aliis sacris officiis administrandis non damnentur ab Ecclesia. Advertendum igitur est, peculiari severitate Ecclesiam, Pontifices, Concilia semper invigilasse, ne in ordinibus con-

---

quod tenerem de rebus ecclesiae, de caeteris exigens jusjurandum, ut diebus illius filiique sui amplius non requirerem. Ego intelligens, quanta absurditas hoc consequeretur, non consensi." Ep. ad Joannem XII. n. 4.

[1]) Opusc. V.

ferendis quid tribuatur, ne in ea re in qua dignitas electorum unice spectanda erat, prava lucra appeterentur. Porro quum ea aetate adhuc antiquissimus ille usus persisteret, ut nec beneficium sine ordine, nec ordo sine beneficio conferretur, veluti ex indole sua illa pecunia rationem habebat pretii dati pro ordine et beneficio acquisito. Nec alius titulus convenienter allegari poterat pro pecunia accipienda, quum sustentationi episcopi et cleri provisum esset illis bonis et beneficiis quae ab ecclesiis possidebantur. Quumque in aliis rebus sacris pias oblationes fidelium, consuetudinemque aliquid libere erogandi in bonum clericorum, Ecclesia facilius admitteret, semper valde severam se praebuit quoad ordines et beneficia conferenda, et ex antiquissimo tempore taxas et exactiones hac in re ut simoniaca lucra proscripsit. Intelligitur tamen, quomodo in multas ecclesias tales abusus irrepere potuerint, quin eorum perversitas clare ab omnibus perciperetur. Sed mulierositas clericorum seu incontinentia, atque ista ordinum, beneficiorum, episcopatuum venalitas in Ecclesiam magis magisque inducebant statum quemdam et indolem profanam, saecularem, carnalem, qua vita supernaturalis et spiritualis pessumdabatur; idque perspicientes sancti viri tanto cum vigore mala illa impugnaverunt.[1])

Orientalium mores.

36. Quae diximus prae oculis habenda sunt, ut intelligatur, quomodo ea, quae in Occidente merito ut simoniae abusus pessimi a viris sanctis redarguebantur et a Pontificibus prohibebantur, alibi aliisve in adjunctis excusari potuerint. „Non potest, scribit apprime ad rem Thomassinus, non plurimum ab Occidente Oriens discrepare, quod ad res ecclesiasticas et exactiones antistitum

---

[1]) S. Petrus Damiani aliique illius aetatis scriptores pii persaepe nomen *haeresis* Nicolaitarum et Simoniacorum adhibent, ut eos sugillarent, qui non tantum abusus illos committebant, sed etiam ut licitos propugnabant. Advertendum tamen est, non directe et formaliter propugnatum fuisse licere simoniam. — Qua ratione sese defenderint, qui conjugia clericorum vindicabant ut licita, jam superius vidimus.

attinet. Ex decimis et primitiis permagna potest ex parte clerus ali et foveri latinus. Earum ne vestigia quidem apparent in ecclesia graeca aevi hujus posterioris. Itaque alii ibi fontes aperiendi fuere ad clericos procurandos. Fundos ingentes, et haereditates obtinent ecclesiae Latinorum: ejusmodi opes graecis antistitibus, aut his finitimas, communicatas fuisse diffidimus. Et quam non injuria, liquebit ex Constitutione, qua anno 1057 Isaacus Comnenus Imperator antiquos confirmavit canones exactionum episcopalium, tum ex ordinationibus, tum ex canonico per focos et domos persolvendo. *Majestas mea sanxit, ut tam in ordinatione sacerdotum quam in canonico antiqua sanctio vigorem obtineat. Neve quid amplius in ordinatione capiat episcopus, qui sacerdotem ordinat praeter septem nummos aureos praestantioris monetae Majestatis meae; videlicet unum quando eum simplicem papam vel lectorem facit, tres quando diaconum, et alios tres quando sacerdotem.* — Jam de canonico in fumaria et domos vicorum. *Similiter nomine canonici a vico habente triginta fumaria, similis unus aureus exigatur, argenti duo, aries unus, hordei modii sex, triginta gallinae. Ab eo qui fumaria viginti habet etc.* Facile suspicamur, non aequo passurum fuisse animo Imperatorem, vicos, vicorumque domos omnes vectigales episcopis et clericis fieri, si qua alia sacris ministris tolerandae vitae praesidia affuissent. A Michaële et Nicolao patriarchis testatur Blastares monachus id diploma confirmatum fuisse. Retulimus etiam supra ex Curopalate, ab hoc eodem Imperatore complura monasteria praediis suis exuta fuisse; quo plus satis proditur, quo ille animi aestu arderet, ad exhauriendum Ecclesiae, exaggerandum Imperii aerarium. Ut hinc merito id concludatur, ab eodem hoc ipso principe non potuisse episcopis permitti illas in laicos exactiones, nisi hoc uno tum maxime fundo clerus orientalis sustentaretur. Ex quo et illud nascitur, ut aequioribus auribus animisque audiamus, graecos episcopos permissos esse, certas pecuniae summas ab ordinandis accipere. Eae videri possint laudabiles consuetudines Orientis, sicut et in occidentalibus quibusdam

ecclesiis concessum est parochis civitatum, ubi decimarum nihil, nihil primitiarum colligunt, ex administratione ipsa sacramentorum spontaneas oblationes accipere, jussis etiam per sanctiones canonicas episcopis, ut plebem cogant pastores suos his necessariis erogationibus alere."[1]) Vides igitur, in Occidente canonem pecuniae ab ordinandis recipiendae, propterea maxime ut abusum simoniacum proscriptum fuisse, quod nullus titulus adesset, sub quo ejusmodi taxa recipi potuisset. Unde merito ut pretium ipsius ordinationis traducebatur. — Sed haec de simoniac labe saeculo undecimo adeo propagata sufficiant.

III.

De oppressione libertatis Ecclesiae.

37. Jam agamus de *oppressione libertatis* Ecclesiae quoad electiones episcoporum atque abbatum, quae tempore Gregorii VII invaluerat, ac de *Investiturae* usu, quo maxime dependentia ecclesiarum a regibus et principibus firmabatur et conservabatur. — Iterato advertimus, temporibus Caroli Magni et subsequentium Imperatorum ac regum permagnam factam fuisse potestatem politicam episcoporum, atque etiam iisdem seu ecclesiis ab Imperatoribus et regibus non solum latifundia ampla tanquam *allodia* data, sed etiam comitatus, ducatus, provincias, tanquam feuda concessa fuisse. Id vero principes faciebant non tantum religionis gratia, sed maxime ob rationes politicas. Confidebant videlicet principes fore, ut praelati ecclesiastici qui feudorum possessione fiebant eorum vasalli, religiosius quam laici, fidem eis juratam servarent, eosque adversus hostes vel rebelles proceres, sive duces, sive comites, non tantum militia, sed etiam poenis ecclesiasticis adjuvarent. Ita de Carolo M. scribit Gulielmus Malmesburensis: *Carolus Magnus pro contundenda*

Ecclesiae bona.

---

[1]) De Eccles. discipl. P. III. L. I. c. LX. n. X.

gentium illarum (Germanorum) *ferocia, omnes pene terras ecclesiis contulerat, consiliosissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile quam laicos, fidelitatem rejicere.*[1]) Praeterea advertendum est, episcopatus non paucos ab ipsis Imperatoribus et principibus fundatos, et bonis necessariis ad subsistentiam locupletatos fuisse. Qua in re sane ea quae requirebatur canonica Sedis Apostolicae auctoritas simul interveniebat.

Episcoporum creatio.

38. Profluebat quidem ex illa potestate politica praesulum eorumque intimo cum Imperio nexu splendor permagnus externus Ecclesiae atque episcoporum, sed ex altera parte pericula quaedam imminebant non minima. Ambitioni ac profanis nisibus passim locus erat, vasallorum illa conditio, atque juramentum homagii quod principibus ab episcopis praestabatur et servitia inde debita nimiam saepe dependentiam praesulum implicabant, ac maxime periclitabatur electionum libertas vel jus ipsius Ecclesiae, ut fidelium pastores juxta disciplinae normas ipsa constituat. Sane per se non erat inconveniens et iniquum, ut in episcoporum constitutione principibus aliquid deferretur, sed res eo devenit, ut ipsi penitus praesulum creationem sibi vindicarent. Erat illa aetate ea disciplina ab Ecclesia sancita, ut episcopi eligerentur a clero, concurrente aliquo suffragio laicorum praeeminentium;[2]) jamque Ecclesia suas partes convenientes principibus concesserat. Is videlicet erat legitimus usus, ut post mortem alicujus episcopi, metropolita consentiente rege nominaret *visitatorem* seu delegatum episcopum, quo praesente electio per clericos et laicos competentes fiebat. Dein petebatur consensus regis, metropolita inquirebat in dignitatem electi, eumque, si dignus erat, confirmabat et consecrabat. Si quis electus non erat dignus, metropolita eum rejicie-

---

[1]) De gestis reg. Angliae, l. V.

[2]) Accuratius de electione Episcoporum agunt Thomassinus, De discipl. Eccles. Tom. II. P. II. L. II., et Devoti Institut canon. L. I. Tit. V.

bat, aliumque simul cum episcopis comprovincialibus constituebat, vel etiam regi praesentationem personae gratae committebat. Pontifices quoque Romani saepe interveniebant, si electio non fiebat modo canonico. Sed persaepe reges et principes ita libertatem coarctarunt, ut electio vel nullatenus vel non nisi specietenus locum haberet. Ludovicus Pius passim commendatione certarum personarum electionis libertatem restringebat; successores ejus saepe postulabant, ut ab ipsis permissio electionis et electi confirmatio peteretur. Carolus Calvus aliique principes Carolingii etiam directe interdum episcopos nominabant, et quamvis in Gallia passim aliqua concilia vel metropolitae resisterent, tamen jam versus initium saeculi decimi ille usus invaluit, ut reges nominationem vel saltem confirmationem episcoporum pro illius regni sedibus sibi tribuerent. Imo etiam duces et comites sibi arrogabant illud jus, ut quibus vellent, propinquis vel viris sibi deditis, episcopatus vacantes sui territorii concederent, atque interdum, uti in Italia superiore id accidit, pueris dioeceses comittebantur.[1])

---

[1]) Hergenröther K. G. I. S. 631. — Ista de re scribit Atto Vercellensis in libro *de pressuris ecclesiasticis* (D'Achery Spicil. I. 414): „Irreligiosi principes haec omnia parvi pendentes, suum tantummodo in his (electionibus episcoporum) parant praevalere edictum. Solent etiam admodum indignari, si vel ab aliis aliquis, cujuscumque meriti sit, episcopus eligatur, vel si a se electus, cujuscumque pravitatis sit, ab aliquo reprobetur. Illorum sane quos ipsi eligunt vitia, quamvis multa et magna sint, velut nulla tamen reputantur. Quorum quidem in examinatione non charitas et fides vel spes inquiruntur, sed divitiae, affinitas, et obsequium considerantur . . . Quidam autem adeo mente et corpore obcaecantur, ut ipsos etiam parvulos ad pastoralem curam promovere non dubitent, quos nec mente nec corpore idoneos esse constet. Rident plurimi, alii quasi de infantis honore gaudentes, alii tamen clarum et manifestum praestigium deridentes. Ipse quoque parvulus de aliquibus interrogatus capitulis, quae si praeparare poterit memoriter reddet, vel in aliquo tremens legit pittacio, non episcopalem timens perdere gratiam, sed magistri incurrere virgam" (pp. 421—422). — Sortem praesulum his deplorat Atto: „Irreligiose eliguntur, inaniter ordinantur, injuste opprimuntur, perfide dejiciuntur, crudeliter aliquando et necantur." p. 424.

39. Dependentia illa creationis episcoporum ab arbitrio principum, praecipue firmabatur mediante saeculo undecimo *Investiturarum* ritu et usu, cui etiam jungebantur hominii et fidelitatis sacramenta, quae episcopi principibus praestabant. — Primum breviter commemoremus, unde Investiturae consuetudo exorta sit. Videlicet quum episcopi et abbates in Germania praesertim praeter ea bona, quae erant allodia seu proprietas perfecta ecclesiarum et monasteriorum, etiam plurima possiderent bona quae erant feuda regni Imperiive, praedia quidem et silvas, castella, urbes, comitatus atque ducatus: aequum erat, ut cum illi in iis locis dominari inciperent, Imperatorem vel principem adirent, atque ab eo dominium in eas regiones impetrarent. Sed hunc in finem invaluerat consuetudo Investiturae, quae initio quidem, quamvis Ecclesiae principiis non esset conformis et periculi plena, tamen tolerari poterat, quum abusus et detrimenta prudentia praesulum et principum pietate caverentur. Sed decursu temporis arrogans et illegalis dominatio principum eâdem maxime firmata, et dependentia ecclesiarum et monasteriorum ab illorum arbitrio corroborata est.

Investiturae origo.

40. Vasalli laici ut suorum feudorum dominium acquirerent, solebant genuflexi coram principe manibusque suis insertis illius manibus, homagium seu juramentum fidelitatis vasallitiae praestare, ac dein symbolice per traditionem vexilli verbaque convenientia feudi possessione investiri. Inde provenit consuetudo, ut etiam episcopi antequam consecrarentur ad principem accederent, ut investituram acciperent. Quumque vexilli bellici symbolum minus conveniens videretur pro viris ecclesiasticis, invaluit usus, ut praestito homagio investitura fieret per traditionem annuli et baculi pastoralis, adjecta formula quae his signis respondebat. Per se quidem cum ejusmodi investitura electionis libertas, seu Ecclesiae jura in creationem episcoporum consistere poterant, atque passim satis ea servata sunt, quando electio libera investituram praecedebat. Sed mediante saeculo undecimo principes maxime hujus investiturae ope auctoritatem suam et arbitrium in

Modus.

creationem episcoporum exercuerunt, eaque ratione egerunt, ac si ab ipsis solis nominatio eorum atque etiam commissio regiminis et collatio potestatis dependerent.

41. Quaenam in investituris, uti fieri solebant, tunc sese manifestaverint pericula et detrimenta pro Ecclesia, jam paucis exponamus. Investitura per se non nisi ad eorum se extendere poterat possessionem bonorum, quae erant regni feuda, non vero pertinebat ad reliqua bona temporalia quae allodia erant monasteriorum et ecclesiarum, vel ad alios ecclesiarum reditus; sed ejusmodi distinctio plane evanuit. Quumque nullo modo auctoritas gubernandi fideles, seu jurisdictionis potestas, a principe episcopo tradi posset, tamen eo pertinebant annuli et baculi symbola, et tali ratione principes agebant, ac si ipsi ecclesiam ejusque regimen praesulibus committerent Consecrationem quidem requiri pro episcopis nemo infitiabatur; sed ea fere videbatur quid *secundarium* esse, ita ut princeps juberet eam fieri, ut persona cui ipse committebat ecclesiam, qualitatem illam spiritualem haberet quae conveniebat. — Porro principes exigebant eo tempore, ut mortui cujusque abbatis vel episcopi baculus pastoralis et annulus ad ipsos deferrentur. Haec vero sacrae potestatis insignia frequenter, neglecta vel posthabita electione, illis tradebant, quos promovere vellent, atque ii continuo episcopi et abbates creati existimabantur. Ita factum est, ut in hac arbitraria investitura momentum acquisitionis alicujus ecclesiae vel beneficii poneretur. „Ea sane principum agendi ratio efficiebat, inquit Palma, ut sublata cleri et monachorum legitima electione, tota eligendorum episcoporum et abbatum potestas ad Imperatorem delata censeretur, ut episcopatus atque abbatiae turpissimo quaestu vendi quodammodo solerent, ut, quemadmodum maxime positum erat in eorum temporum communi opinione, per sacrae potestatis insignia, quae principes tradebant, ipsa sacra auctoritas tradi existimaretur.“[1]) Pericula.

[1]) Praelect. in saec. XI. c. III.

Episcoporum creatio.

42. Tempore igitur trium Ottonum interdum praevia aliqua electione, interdum pro voluntate principis vacantes episcopatus et abbatiae per investituram principis tradebantur. S. Henricus II quamvis concordiam cum episcopis coleret, et ipsis vel ecclesiae canonicis obsequi passim non abnueret, tamen frequenter capellanos vel propinquos suos, dignissimos quidem viros, ecclesiis sua voluntate praeposuit. Rationem agendi ejus ad vivum describit Thietmarus in Chronico suo.[1]) Exempla aliqua afferamus; ex eis enim apparet, quomodo sub sequentibus Imperatoribus minus piis ad arbitrariam et iniquam praesulum creationem res devenerit. Mortuo Gislero archiepiscopo Magdeburgensi, Henricus misso Magdeburgum Guiberto capellano suo canonicos, quibus ab Ottone II regio rescripto libertas electionum concessa fuerat, hortabatur, ut eligerent Taginonem virum egregium, discipulum s. Wolfgangi Ratisbonensis episcopi, qui eum virtutibus informaverat et sibi successurum speraverat. Sed interim donatus est episcopatu Ratisbonensi Gebehardus capellanus regis. Tagino autem electus est a canonicis Magdeburgensibus, quibus integrum non erat preces frustrare Imperatoris, quamvis in praepositum ipsi suum oculos et vota sua convertissent. *Rex*, ait Thietmarus, *baculo Arnulphi praesulis clerum et populum Taginoni . . . commisit, eundemque in cathedram episcopalem ipse constituit.*[2])

S. Henricus II.

43. Non multo post idem Imperator episcopatum Merseburgensem restituit, quem ab Ottone I fundatum suppresserat Otto II. Eo episcopatu s. Henricus Guibertum capellanum suum investivit; *dedit episcopatum capellano suimet Wigberto, cum archiantistis baculo Taginonis.*[3]) Episcopatum Bambergensem ab ipso fundatum Henricus, consentiente synodo episcoporum quos Francofurti convocaverat, cancellario suo Elerardo contulit. Vivis erepto Ludolpho archiepiscopo Trevirensi, electio celebrata

---

[1]) V. Thietmari Chronicon M. G. Scr. III. 723—871.
[2]) L. V. n. 24. 25. [3]) L. VI. n. 1.

est, sed ita praeceps, ut Imperator ejus rationem non habuerit, et Menigardum camerarium Willegisii archiepiscopi Moguntini nominarit, quem et ipse venit missurus in Sedis suae possessionem. — Narrat Thietmarus etiam, ut ipse ad episcopales infulas venerit Merseburgenses post Guiberti obitum. Jussus est Augustam proficisci ubi tunc Curia versabatur; ibi ad capellam episcopi statim ductus, a rege pedo pastorali ante missarum solemnia donatus est, adstantibus episcopis et magnatibus, quorum in conspiratione et applausu quoddam erat instar electionis. *Me ad capellam episcopi, ubi rex expectabat, duxit. . . . Rex cum electione praesentium pastoralem mihi curam commisit cum baculo.*[1]) — Mortuo Taginone Magdeburgensi praesule, rex a praeposito capituli interrogatus de sua voluntate, renuntiari fecit, ut in aliquem clam consentirent, idque sibi significarent, *ut electio a nobis non fiat, sed tantum consensus unanimis, et hoc indicetur ei.* Capituli vota in praepositum Walterum convenere: *Si Dominus consentit et si vult rex.* Sed superveniens Thietmarus suffraganeus sedis Magdeburgensis, qui et ipse votum habebat, monuit capitulum, ut jura sua tuerentur et canonicam facerent electionem. *Senior,* dixit, *meus* (Imperator) *imperet quod velit, vos autem quod accepistis a Deo et antecessoribus suis, videte ne perdatis.* — Elegerunt dein canonice Walterum praepositum, quumque in curiam is venisset, acquievit facile s. Henricus, et imagine quadam electionis coram ipso renovata, illum investivit. Quum Walterus post duos menses obiisset, canonici elegerunt Theodoricum Thietmari nepotem; sed Imperator mox blanditiis eos adduxit, ut eligerent Geronem capellanum ipsius, qui dein baculum pastoralem ab eo recepit[2]). Bremis paulo ante obitum Lievisi archiepiscopi, ipso curante a capitulo electus fuit in successorem Oddo canonicus. Post obitum Lievisi ad Curiam *Oddo clericis comitantibus et laicis supplex venit et regis gratiam, sicut prius, ad completionem electionis per fidos intercessores postulat. Quos rex nullatenus audit, sed*

[1]) L. VI. c. 27. [2]) Ibidem cc. 42 sqq.

capellano suimet Unvano cum laude advenientium, etsi non spontanea, episcopatum dedit.[1])

44. Cum Romae s. Henricus imperatoria corona ornatus fuisset, fratrem suum Arnoldum Ravennatensem creavit archiepiscopum, priore archiepiscopo, qui utique merito exauctorandus fuisset, Aricinum in episcopatum translato. Redux in Germania ad Trevirensem et Misnensem ecclesias vacantes nominavit, ne verbum quidem ullum de electionibus faciente Thietmaro. Nominavit et ad ecclesias Verdensem, Constantiensem et Pragensem. — Invisus est in Germania Henricus a Rodulpho Burgundiae rege, cujus effeminatos mores et vitam mollitie diffluentem descripsit Thietmarus. Illum ait solo nomine regem fuisse et episcopatus eis dedisse, qui a principibus aulicis eligerentur. *Nomen tantum et coronam habet, et episcopatus his dat qui a principibus his eliguntur.*[2]) Vides igitur, etiam in aliis regnis pariter jam invaluisse, ut principes pro arbitrio de episcopatibus disponerent. S. Henricus sane cum prudentia magna in creatione episcoporum procedebat, optima agebat fide, ac censuisse videtur, melius provideri ecclesiis quum ipse viros dignissimos episcopos nominaret, quam si capitulis relinqueret electionem, saepe litigiosam. Illud tamen patet, hac ratione paulatim Ecclesiam ad servilem potestatis laicae subjectionem redactam fuisse.

Augentur mala.

45. Sub successoribus s. Henrici, Conrado I, Henrico III et Henrico IV iste rerum status continuavit, quumque haud adeo pii essent illi principes, mox, uti jam advertimus, maxima damna ex illa servitute Ecclesiae provenerunt. Ad tempora Henrici IV pertinent quae scribit Auctor Vitae s. Ebbonis episcopi Bambergensis, qui auctor in aula ipsius Imperatoris vivebat. *Hoc tempore Ecclesia liberam electionem non habebat; sed cum quilibet antistes viam universae carnis ingressus fuisset, mox capitanei civitatis illius annulum et virgam pastoralem ad palatium*

---

[1]) Thietm. L. VI. c. 53. 54.

[2]) Thietm. L. VII. c. 21. — Vide exempla allata ap. Thomassini Disipl. Eccl. P. II. L. II. c. 38.

transmittebant, sicque regia auctoritas, communicato cum aulicis consilio, orbatae plebi idoneum constituebat praesulem.[1] Advertere autem juvat, ea aetate plane obliteratam videri investiturae genuinam notionem, quatenus ipsâ tantum *regalia* a principe conferrentur. Eâdem rex totam suam auctoritatem in constituendis episcopis exercebat, videbaturque omnia tradere, ecclesiam, bona ipsius, curam pastoralem et jurisdictionem, praeter characterem episcopalem, ad quem requirebatur consecratio, quae *jussu* regis ab aliquo archiepiscopo conferebatur. Ipse Thietmarus: *Rex*, inquit, *cum electione praesentium pastoralem mihi curam commisit cum baculo.* — Et s. Petrus Damianus contra Simoniacos, uti jam vidimus, ita disputat: *Si saecularis ille princeps accepta vel promissa pecunia, pastoralem tibi tradidit baculum, qua fronte poteris episcopalis ordinis excusare commercium! Enimvero nisi per hanc investituram ille secuturi sacerdotii tibi prius imprimeret titulum, futurus ordinator nequaquam per manus impositionem sacerdotii tibi traderet sacramentum . . . Adhuc autem ad investituram redeo, et a te, qui non ecclesiam, sed ecclesiae praedia te accepisse gloriaris, inquiro. Sane cum baculum ille tuis manibus tradidit, dixitne: Accipe terras atque divitias illius ecclesiae! an potius, quod certum est: Accipe ecclesiam.*[2]

46. Episcopi quidem et theologi si accuratius res discutiebant, distinguebant profecto principum influxum et auctoritatem in collatione ecclesiarum, atque jurisdictionem spiritualem et pastoralem in fideles, quae ab Ecclesia seu a Romano Pontifice dependebat. Sed eo majus fuit periculum, quominus in aestimatione communi omnia confunderentur et auctoritas quaedam summa in ecclesias principibus vindicaretur, quod Romani Pontifices ea aetate jurisdictionem suam in creandis episcopis haud ita immediate atque directe exercerent, sicuti nostro tempore. Etenim eo tempore secundum leges decretalium electio episcoporum fiebat a metropolitanis, synodis provincialibus, Usurpatio principum.

[1]) Acta Sanctorum Julii Tom. I. p. 426.

[2]) Epist. XIII. ad Alexandrum II.

ac clero, suffragantibus laicis. Confirmatio electi episcopi a metropolita fiebat, et cum eam ut plurimum statim exciperet consecratio, vix una ab altera distinguebatur. Metropolitae a Sede Apostolica confirmandi erant; attamen metropolitani extra Italiam constituti, poterant, si unanimi consensu electi erant, jam ante confirmationem ecclesias suas administrare. Quum leges illae, quibus electiones et confirmationes episcoporum moderabantur, a Sede Apostolica statutae vel firmatae fuissent, suumque inde haberent valorem juridicum, quumque haec Sedes in electionibus dubiis vel litigiosis sententia sua rem dirimeret, patet, etiam tum pleno vigore jura sui primatus Pontifices sibi vindicasse. Attamen quando modo exposito in creatione episcoporum omnia sibi usurpaverant principes, Romanorum Pontificum Ecclesiaeque auctoritas et influxus maxima parte obliterata videbatur,[1] laicorum dominationi et arbitrio Ecclesia subjecta erat, et mala maxima invalescebant, quum in ista Ecclesiae servitute etiam incontinentia sacerdotum et simonia impune possent pullulare.

Tempora Henrici IV. 47. Describit Anselmus Lucensis in suo *Apologetico pro Gregorio VII* contra Guibertum seu Clementem III antipapam[2]) tetris coloribus abusus ex ista regum usurpatione tempore Henrici IV scaturientes. *Rex tuus,* inquit, *sine intermissione vendit episcopatus, edicta proponens, ut nullus habeatur episcopus qui a clero electus, vel a populo fuerit expetitus, nisi praecesserit honor regius, quasi ipse sit hujus ostii ostiarius.*[3]) .. *Vos Ecclesiae catholicae quam invasistis per totum regnum . . . membra distrahitis, et in servi-*

[1]) Manifestum est, conditionem illam rerum conferri non posse cum usu qui nostro tempore in multis regnis catholicis obtinet, ut videlicet gubernium *praesentet* viros ad sedes episcopales. Romanus enim Pontifex libera auctoritate sua dein eos confirmat et constituit episcopos, nec ante consecrari possunt. Ita influxus et auctoritas Ecclesiae apte servantur.

[2]) S. Anselmi Lucensis episcopi Libri duo contra Guibertum antipapam, pro defensione Gregorii VII legitimi Pontificis. Bibliotheca magna Patrum, Tom. XI. p. 579. (Edit. Colon. a. 1618.)

[3]) L. I. l. c. p. 580.

tutem redacta quasi vile mancipium in vestrum dominium redigitis, et divini juris libertatem vestro obsequio mancipatis, dicentes, omnia Imperatoris juri esse subjecta, episcopatus, abbatias, omnes omnino Dei ecclesias. In parte tua quis praeficitur, nisi quem aut gratia exhausto foenore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obsequio attraxerit. Quis moribus, quis honestate, quis vitae integritate eligitur? [1]) .. *Quis enim non advertat, hanc pestem seminarium esse simoniacae haereseos et totius christianae religionis lamentabilem destructionem? Nempe quum dignitas episcopalis a principe adipisci posse speratur, contemptis suis episcopis ac clericis ecclesia Dei deseritur, et ab aliis quidem ingens pecunia aulicorum marsupiis infunditur, ut eorumdem suffragia ad tam nefariam promotionem mereantur; ab aliis infinitae pecuniae dispendio plus decennio in saeculari curia deservitur, aestus, pluviae, et frigora, et caetera incommoda patientissime tolerantur; ab aliis autem vel sui pastoris, vel cujus honorem ambiunt, mors incessanter optatur; ab alio alii vehementer invidetur, dum quod sibi sperat ab eo surripi putatur; imo, proh dolor! in tantam Dei injuriam interdum prosilitur, ut et servis et fornicariis dignitas ista praestetur. Tales quippe quum adepti fuerint quod taliter expetierunt, peccantes saeculi potestates nullatenus praesumunt redarguere, quoniam ab illis se promotos fuisse meminerunt, imo ne redarguere praesumerent, promoti fuerunt. Et hi lac quidem et lanam accipiunt; sed perditissime viventes omnium salutem negligunt. Sic quippe impletur quod scriptum est: Ruina populi, sacerdotes mali.* [2]) — Qua vero ratione etiam ipsa Sedes Apostolica seu electio summorum Pontificum procerum factionibus, ac dein arbitrio Imperatorum saeculo undecimo fuerit subjecta, modo videbimus, dum de iis Pontificibus agemus, qui ea aetate Ecclesiae praefuerunt.

---

[1]) L. c. p. 582.
[2]) L. II. l. c. p. 586.

IV.

De Romanis Pontificibus hujus aetatis.

48. Quo melius rerum ecclesiasticarum conditio perspiciatur, seriem et acta praecipua Pontificum, qui inde ab initio saeculi undecimi Ecclesiae praefuerunt, ex ordine commemorare juvabit. — Quoad *Silvestrum II* sufficiat hic advertisse, ab ipso Stephanum II ducem Hungariae, propter ejus praeclara de propagatione fidei merita, regis honore et nomine auctum fuisse. Obiit Pontifex, ob doctrinae et scientiae laudem valde clarus, die 11 Maji anni 1003. Benno pseudocardinalis sub Gregorio VII, eum praestigiis et artibus magicis deditum fuisse iisque pontificatum assecutum esse, calumniatus est. Eam calumniam postea quidam scriptores repetierunt, occasionemque ejus censent aliqui fuisse Gerberti peritiam in rebus mathematicis atque in arcanis philosophiae. Aetatis illius ignorantiam obscuram inde decantant auctores, qui proni sunt ad carpenda ea quae Ecclesiam spectant; sed ineptam illam opinionem de Silvestro Romae et universim apud viros ecclesiasticos aliosve homines cordatos nullatenus tunc viguisse, testantur tam scripta illius aetatis, quam epitaphium magnificum quo Sergius IV paucis post annis Silvestri memoriam celebravit.[1])

Silvester II.

49. Post mortem Silvestri II iterum proceres Romani ac nominatim Crescentiorum familia principatum temporalem Romae maxima parte usurparunt, sub suaque dependentia tenuerunt Pontifices. Defuncto videlicet Ottone III, a Romanis Joannes Crescentius, filius ejus quem ultimo supplicio affecerat Otto III, in Patricium creatus est, atque mox omnia munera publica et honores ab ista familia ejusque asseclis arrepta sunt. Successerunt Pontifices *Joannes XVII*, qui post sex fere menses die 3 Decembris anni 1003 jam

Joannes XVII.

[1]) Vide illud ap. Pagi Breviar. T. II. sub *Silvestro II.* et ap. Watterich l. c. T. I. p. 88.

ex hac vita migravit; *Joannes XVIII*, qui sedit usque ad annum 1009; *Sergius IV*, qui obiit die 18° Augusti anni 1012. Viri digni fuerunt illi Pontifices, ac documenta, quae restant quoad gesta Joannis XVIII et Sergii IV, ostendunt, de universali Ecclesia eos apprime sollicitos fuisse. Pontificatus brevissimi Joannis XVII nulla supersunt acta. Caeterum vero in ditione Romana praevalebat, uti diximus, auctoritas ac potestas Crescentiorum. Joannes XVIII. et Sergius IV.

50. Sed anno 1012 ineunte obiit Joannes Crescentius: influxus illius familiae valde imminutus est, atque exinde in disponendis rebus Romanis primas partes habuerunt comites Tusculani, qui pariter ex stirpe Theodorae et Theophylacti originem ducebant. Defuncto Sergio comites illi influxu suo effecerunt, ut eligeretur *Benedictus VIII* ex ipsa eorum familia oriundus. Erat enim Gregorii comitis Tusculani filius, Joannes antea dictus ac jam episcopus Portuensis. Factio contraria, quam dixeris fuisse Crescentiorum, ei opposuit Gregorium quemdam, atque uterque protectionem quaesivit s. Henrici II Germaniae regis, qui Ottoni III successerat. Favit Henricus merito Benedicto VIII, et ab eo Romam vocatus, ut Ecclesiae patrocinaretur coronamque imperialem reciperet, rex anno 1013 cum exercitu in Italiam profectus est. Ejus adventu factum est, ut Gregorius ab omnibus rejiceretur, Benedictus vero susciperetur. Anno 1014 Benedictus VIII s. Henricum ejusque conjugem s. Cunegundam imperiali cinxit corona, postquam Henricus spopondisset, se Ecclesiam defensurum et Pontifici in omnibus fidem servaturum esse. Strenue exinde Benedictus VIII pontificatum gessit, atque amico cum Imperatore foedere, tum ditionem Romanam resque civiles fortiter contra Saracenos et Graecos tuitus est, tum disciplinam ecclesiasticam moresque cleri reformare studuit. In hunc finem praesertim, versus annum 1018 Ticini synodum habuit, in qua contra clericos incontinentes et contra simoniacos varia decreta condita sunt, quae pariter ab Imperatore recepta et publicata fuere. In animo autem habebant Pontifex et Imperator, ut simul cum regibus Galliae et Burgundiae Benedictus VIII.

pacem generalem constituerent, et Concilium generale congregarent, quo efficacius abusus exstirparent et bono Ecclesiae providerent. At Benedictus die 28 Februarii anni 1024 ex hac vita migravit; eodem vero anno die 13 Julii etiam Henricus sancta morte quievit.

Joannes XIX. 51. Commiserat Benedictus VIII magnam rerum civilium partem fratri suo Romano, qui et consul creatus erat. Hic quamvis laicus esset, post mortem Benedicti VIII in Pontificem electus, cito omnibus ordinibus initiatus, et in Sedem Apostolicam evectus, *Joannis XIX* nomine insignitus est. Canonibus quidem severe interdicebatur evectio laici ad episcopatum; attamen uti prioribus saeculis, ita etiam eo tempore interdum rigor disciplinae hac in re mitigabatur, ubi id valde opportunum apparebat. Ita in Gallia ad sedem Rhemensem a. 1021 evectus est Ebulo laicus, ac Fulbertus Carnotensis, eo tempore episcopus doctrina clarus et sanctitate, illam evectionem gravibus rationibus defendit.[1]) Quapropter quum Romanus sub Benedicto VIII ut virum strenuum atque ad gubernium gerendum aptissimum se praebuisset, tali vero electione provideri videretur tum reipublicae tranquillitati tum Ecclesiae bono, illa disciplinae transgressio excusari et aequa ratione explicari potest. Rudolphus Glaber quidem *largitione pecuniae* dicit Joannem ad pontificatum pervenisse, sed auctor ille, vir irrequieti animi et stili acuti, plenam fidem dum

---

[1]) Scribit ad Guidonem Silvanectensem episcopum de ordinatione Ebuli: „Amor justitiae qui tuam, pater, animam imbuit ab nativitate, fecit eam offensam et ab excessibus cautam. Cujus rei fidem cum ex aliorum dictis, tum ex litteris tuis evidenter accepi. Sed ab ordinatione Ebuli Rhemensis archiepiscopi non valde tibi timendum puto esse, si est, ut dicitur, ab infantia christianus, sano sensu, sacris litteris eruditus, sobrius, castus, amator pacis et dilectionis, nullo crimine, nulla infamiae nota turbatus, tandemque a clero et populo suae civitatis electus. Magni etenim viri, ut optime nosti, Ambrosius Mediolanensis et Germanus Antisidiorensis aliique nonnulli, quia tales in laico habitu exstiterunt, subito nobis sancti praesules exierunt. Domnus vero Papa, cujus animadversionem te revereri significasti, non est quod tibi merito debeat succensere, si te graviter collapsae Rhemensi ecclesiae aliquam spem resurrectionis audierit providisse.“ Cf. Pagii Breviar. ad Joannem XIX.

talia refert sibi non vindicat. Juvat ipsius citare verba, quae agitatam et amaram mentem scriptoris satis redolent. *Erat quippe*, scribit, *Joannes iste cognomento Romanus, frater illius Benedicti cui in episcopatum successerat; largitione pecuniae, repente ex laicali ordine neophytus constitutus est praesul. Sed insolentia Romanorum hujusmodi adinvenit palliatae subdolositatis ridiculum, scilicet ut quemcumque pro suo libitu in praesentiarum ad pontificatus officium delegerint, mutato nomine quod illi prius fuerat, aliquo magnorum Pontificum nomine illum appellari decernunt, revera quem si non meritum rei, saltem nomen extollat.* [1]) — Potuit sane fieri, ut etiam largis muneribus familia Tusculanorum comitum Romanorum captivaret animos, quo iterum ex ipsa Pontifex eligeretur, ac difficile est discernere, an quid illicitum ista in re acciderit ex parte ipsius electi. Negligentiae et avaritiae pariter *injuste* accusari Joannem XIX, graves auctores censent;[2]) nulla enim certa indicia adsunt, imo varii scriptores encomiis hunc Pontificem celebrant. — Joannes XIX restitit Graecorum praesumptioni, quum ipsi legatis missis postularent, ut ecclesia CPtana in suo orbe, quemadmodum Romana in toto orbe christiano, *oecumenicae* titulum et honorem haberet. Anno 1027 ipse magna cum pompa Conradum II coronavit Imperatorem, simul cum ejus uxore Gisela.

52. Anno 1033 die 8 Novembris Joannes XIX e vivis excessit. Ex dictis colligitur, qui saeculo undecimo eousque Ecclesiae praefuerunt, dignos fuisse Pontifices. Sed in magnum discrimen tunc Ecclesia adducta est, eo quod Tusculani comites jam pontificatum veluti haereditarium suae familiae conservare studerent, quin ad digni

[1]) Chron. L. IV. c. 1. M. G. Scr. VII. 67. — Rudolphus Glaber, mortuus anno 1048, vir erat religiosus et doctus, sed irrequieti ingenii, qui in variis monasteriis commoratus est, ex quibus dein vel voluntarie vel coacte discessit. Postremo tamen usque ad vitae finem in monasterio Cluniacensi permansit. Quinque libris chronicum inde ab anno 900 usque ad annum 1047 confecit.

[2]) V. Hergenröther K. G. I. S. 612.

tatem personarum respicerent. Erat Alberico comiti, fratri praecedentium Pontificum Benedicti VIII et Joannis XIX, filius Theophylactus. Is a populo largitione pecuniae corrupto, postpositis Cardinalium votis, satis tumultuarie ad Sedem Apostolicam evectus est. Nomen assumpsit *Benedicti IX*. — Rudolphus Glaber de electione scribit: *Universalis papa Romanus, nepos scilicet duorum Benedicti atque Joannis, puer ferme decennis, intercedente thesaurorum pecunia electus exstitit a Romanis* (L. IV. c. 5). Et paulo inferius: *Fuerat ordinatus,* inquit, *quidam puer annorum circiter duodecim contra jus fasque, quem scilicet sola pecunia auri et argenti plus commendarit, quam aetas aut sanctitas.* — Desiderius autem abbas monasterii Cassinensis et Cardinalis, dein anno 1086 summus Pontifex Victor III, de ipso scribit: *Dum per aliquot annos nonnulli solo nomine Pontificum cathedram obtinerent, Benedictus quidam nomine, non tamen opere, Alberici consulis filius, (Magi potius Simonis, quam Simonis Petri vestigia sectatus), non parva a patre in populum profligata pecunia summum sibi sacerdotium vindicarit; cujus quidem post adeptum sacerdotium vita quam turpis, quam foeda, quamque execranda exstiterit, horresco referre.*[1])

Benedictus IX.

Ejus aetas.

53. Adolescentem fuisse Benedictum IX, haud dubium esse videtur, attamen puerum fuisse ferme duodecim annorum graves auctores nullatenus probabile censent. Baronius ista de re: *Quod pertinet ad aetatem,* scribit, *cum testetur de ipso Petrus Damiani, ab exordio suae creationis usque ad finem semper luxuriis inquinatum, plane possumus intelligere, haud adeo puerum adhuc impuberem fuisse, cui ex natura puritas inest, sed ejus aetatis qui stimulis concupiscentiae urgeretur. Sane quidem Hermannus Contractus qui hoc ipso scribebat tempore, dum hoc anno agit de obitu Joannis et Benedicti subrogatione, de ejus aetate nihil; quod non tacuisset, si adeo impar tanto oneri subeundo fuisset, sed haec tantum habet: Defuncto Joanne Benedictus qui et Theo-*

[1]) De miraculis s. Benedicti etc. L. III; ap. Mabillon Acta Sanctorum ordinis s. Benedicti Tom. VI.

phylactus ordinatus, licet indignus tanto ordine moribus et factis, sedit annis plus duodecim.[1]) Eodem modo silent Leo Ostiensis L. II. Chron. Cassin. c. 79, et Victor II. l. c., ubi de eodem Benedicto narrant. — Damberger existimat, forte in numeris mendum irrepsisse apud Rodulphum Glaber, quatenus loco decem (X) legendum sit viginti (XX), et loco duodecim (XII) scriptum fuerit duodeviginti (XIIX). Caeterum urget et ipse, alios auctores rem tam singularem tacere, referri Benedictum statim ordinatum, quod sane in puero non evenisset, nec ejusmodi factum censet potuisse accidere, quin a variis reclamatum fuisset; adeoque Rodulpho, *monacho vago* etiam in aliis dubiae fidei, haud esse credendum.[2]) Rationes has, licet non stringentes, tamen satis graves esse censemus; accuratius autem quaestionem discutere non vacat.

54. Benedictus IX quidem in rebus publicis administrandis ingenio et solertia non carebat, sed uti diximus, moribus Sedem Apostolicum dehonestavit. Anno 1044 seditione orta e Sede ejectus et ex urbe pulsus est, et in locum ejus intrusus Joannes episcopus Sabinensis, qui *Silvestri III* nomen assumpsit. Ista de re scribit Desiderius Abbas: *Denique quum rapinas, caedes, aliaque nefanda in Romanum populum aliquanto tempore sine ulla dilatione ageret* (Benedictus), *congregati in unum populi, quia ejus nequitiam amplius ferre nequibant, eum a pontificatus cathedra exturbantes, urbe pellunt, alterumque in loco ejus, Joannem videlicet Sabinensem episcopum, non tamen vacua manu, canonica parvipendentes decreta, substituunt.* — Videntur tamen in hisce turbis intercessisse nobilium motus politici, ita ut Silvester III in Sedem Apostolicam intruderetur a factione Crescentiorum, qui in territorio Sabinensi dominabantur.[3]) — Pergit Desiderius: *Qui* (Silvester III) *tribus*

Silvester III. antipapa.

[1]) Baron. ad a. 1033. n. 7.

[2]) B. VI. Kritik. s. 32. Etiam Hergenröther haud sequitur Rodulphum; adolescentem nondum viginti annorum dicit Theophylactum K. G. II. p. 612.

[3]) V. Gfrörer, Gregor. VII. B. VI. S. 475.

non amplius mensibus[1]) *Romanae usus cathedrae successione, Benedicto undique suis cum propinquis infestante urbem, quia ex consulibus terrae ortus erat, — et in eis maxima virtus, — urbe cum dedecore pulsus, suum ad episcopatum reversus est. Benedictus igitur quod amiserat sacerdotium recepit, pristinos tamen mores minime mutavit, secundum quod scriptum est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.*[2]) *Et quia durum est in corde veteri nova meditari, in iisdem pravis et perversis operibus, ut ante, perseverabat. Cumque se a clero et populo propter nequitias suas contemni respiceret, et fama suorum facinorum omnium aures impleri cerneret, tandem reperto consilio, qui voluptati deditus ut Epicurus magis quam ut Pontifex vivere malebat, cuidam Joanni archipresbytero, qui tunc in urbe religiosior caeteris clericis videbatur, non parva ab eo recepta pecunia, summum sacerdotium relinquens tradidit. Ipse vero in propriis se castellis recipiens, urbe cessit.*[3]) Evenit illa abdicatio die 1 Maji a. 1045.

Gregorius VI. 55. Videtur autem electione conveniente Joannes Gratianus pontificatum obtinuisse. Nam Romani eumdem Joannem *tanquam Ecclesiae liberatorem,* ait Otto Frisingensis Chron. L. VI. c. 32., *in summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium VI vocaverunt.*[4]) Confuse tamen gesta illius aetatis ab Ottone narrantur: opinatur videlicet tres fuisse Pontifices, quos Joannes Gratianus ad abdicationem permoverit. — Gregorius VI, quem Rodulphus Glaber appellat virum religiosum et sanctitate perspicuum, mala ecclesiae Romanae illata reparare conatus est, et contra sicarios ac praedones, contra factiosos et patrimoniorum ecclesiasticorum pervasores ac detentores, monita, excommunicationem et arma quoque adhibuit. Sese

---

[1]) Juxta Annales Romanos tantum 49 diebus. V. Watterich, Vitae RR. Pont. Vol. I. p. 72.

[2]) Vix intelligitur, quomodo ista Benedicto IX applicari potuissent, si ad Sedem pontificalem ut puer decennis pervenisset: etenim anno 1044 ferme viginti duos annos habuisset in hac suppositione.

[3]) L. c. L. III. [4]) Ap. Watterich l. c. I. p. 712.

ostendit ut Pontificem dignissimum, nec tamen omnino turbas componere valuit, atque ex scriptoribus illorum temporum colligitur, Silvestrum et Benedictum non penitus quievisse.

56. Interim in Germaniae regnum anno 1039, Conrado II defuncto, successerat ejus filius Henricus III. qui potentiam suam regnumque manu forti firmavit et ampliavit. Anno 1043 in comitiis Constantiae ad Rhenum habitis concordiam inter principes et magnates conciliavit, et *Treugam Dei* in Galliis institutam in Germaniam introduxit. Sicuti in res politicas, sic etiam in res ecclesiasticas dominationem exercebat fere illimitatam, ita quidem ut non solum episcopos nominaret in regno Germaniae, sed etiam in Italia: illudque dominium magis magisque roborare et dilatare studebat. Jam diximus, de Henrici indole et de consiliis ejus auctores haud consentire, dumque alii ejus pietatem ejusque in Ecclesiam merita celebrant, et quum jura sua excederet benigne eum excusant: alii perversae ambitionis variorumque criminum eum acriter arguunt.[1]) Pro tempore sufficiat facta praecipua quae res ecclesiae Romanae spectant paucis commemorare.

57. Circa annum 1046 suscepit Henricus III expeditionem in Italiam. Ticini rex Italiae coronatus est, dein Romam perrexit Quum venisset Sutrium, plurimorum episcoporum, abbatum, clericorum et monachorum illic synodum coëgit, ad quam Gregorium VI, ut ei praeesset, invitavit. Hanc synodum rex coëgit, ut componeret statum Romanae ecclesiae, cui tres simul pontifices praesidere videbantur. Nam complures mussitabant contra Gregorii electionem veluti simoniacam, eo quod Benedicti abdicationem pecunia data procurasset, et tunc ipse electus fuisset. Gregorius VI a rege rogatus est, ut synodo praesideret. Benedictus IX et Silvester III ab omnibus rejecti sunt. Causa quoque Gregorii VI ventilata est; is tamen nulla sententia est depositus, sed quum videret tempestatem Synodus Sutrina.

[1]) Cfr. Damberger, B. VI. p. 297 sqq. — Gfrörer, Greg. VII. B. VI. cc. 45 sqq.

adversus se esse commotam, sponte abdicavit et insignia pontificalia deposuit; forte moraliter coactus erat, ut tali modo ageret. Rem ita narrat Bonizo episcopus Sutrinus [1]: *De tertio vero* (Gregorio VI) *quid facerent, quo se verterent, quibus accusandi et testificandi adversus judicem non dabatur licentia? Cui cum ab episcopis supplicatum fuisset, ut causam electionis suae promeret: ut erat idiota omnem suae electionis pravitatem aperuit. Dixit, se Dei misericordia sacerdotem fuisse boni testimonii et famae, et casto corpore a pueritia semper vixisse, quod non tantum laudabile, sed etiam quasi angelicum tunc temporis videbatur apud Romanos. Hujus rei causa multas acquisivisse pecunias dicebat, quas servabat, ut sarta tecta ecclesiae restauraret, vel aliquid novi magnum quid faceret in urbe Roma. Cumque saepissime tyrannidem patritiorum secum tractaret, et qualiter sine ulla cleri et populi electione Pontifices constituerent, nihil melius putabat, quam electionem clero et populo per tyrannidem injuste sublatam, his pecuniis restaurare. Quod vero ut audierunt viri religiosi, coeperunt summa cum reverentia calliditates antiqui hostis ei insinuare, et nihil quod venale sanctum esse dicebant.* . . . Hisce Gregorius anxius redditus dixit: *Testem Dei invoco in animam meam, viri fratres, me ex hoc remissionem peccatorum et Dei credidi promereri gratiam.* Dein quum censerent episcopi, irrepsisse simoniam in acquisitione pontificatus, Gregorius eorum judicio cedens, sententiam in se protulit hujusmodi dicens: *Ego Gregorius episcopus, servus servorum Dei, propter turpissimam venalitatem simoniacae haereseos, quae antiqui hostis versutia meae electioni irrepsit, a Romano episcopatu judico me submovendum.* [2]) Hac ratione igitur

Gregorii VI abdicatio.

---

[1]) Scripsit Bonizo, Gregorii VII in certamine socius et episcopus primum Sutrinus, postea Placentinus, *Libros novem ad Amicum*, qui ei duas quaestiones proposuerat, unam: Cur Ecclesiam pati tamdiu Deus justus permitteret? — alteram: Num pro fide christiana liceret armis uti. De Pontificum et Imperatorum gestis permulta in his libris traduntur. A schismaticis occisus fuit anno 1091.

[2]) Lib. V ad Amicum; ap. Watterich l. c. I. 76.

Gregorius VI pontificatum dimisit, vel eo cedere moraliter coactus est.

58. Synodus illa Sutrina habita est die 20 Decembris anni 1046; dein Henricus Romam progressus et in Urbem solemniter receptus, vigilia Nativitatis Domini ad s. Petrum concilium celebravit, ut novus Pontifex constitueretur. Qua ratione electio peracta sit, ex auctoribus coaevis quantum ad omnia adjuncta non liquet. Manifestum tamen est, Henrici auctoritate factum esse, ut Pontifex crearetur Suidgerus episcopus Bambergensis, qui *Clemens II* appellatus est. Clemens II. Consentientibus clero et episcopis id factum esse, scribit Desiderius abbas[1]); Bonizo refert, ex laicis paucos tantum acclamasse, eo quod Gregorio VI fidem juraverant.[2]) Ratio cur non elegerint virum ex clero Romano ea adducitur, quod *languescente capite in tantum languida erant caetera membra, ut in tanta ecclesia vix unus posset reperiri, quin vel illiteratus, vel simoniacus, vel esset concubinatus.*[3]) Sed haec exaggerata sunt, et praeterea dum cleri Romani urgent ineptiam, haec forte ad clericos nobiles, ex quibus praecedentes Pontifices ortum habebant, referuntur. Etenim aderat e. g. jam tunc Hildebrandus Gregorii VI capellanus, vir quantum videtur ultra triginta annorum. Auctores illius aetatis zelo reformandae disciplinae ferventes, passim statum rerum cum pia quadam exaggeratione depingunt.[4])

---

[1]) Dial. L. III.

[2]) L. c. ap. Watterich I. 77. [3]) Bonizo l. c. p. 77.

[4]) Bene advertit cl. Balan, plures fuisse praesules Italos pontificatu certe dignissimos, sed voluisse Henricum III Pontificem Germanum. „Vivo e in Roma stessa era San Pier Damiani abate di Fonte Avellana, che aveva allora circa quarant' anni ed era noto a Roma per le sue virtù, ad Enrico per le lettere scrittegli nella causa del arcivescovo di Ravenna; vivo era quel Pietro Cardinale del quale ebbe così grande stima il Damiani; vivo, e pel suo passaggio per Lucca dovea averlo conosciuto il re, Giovanni II vescovo di Lucca zelante egli pure della ecclesiastica disciplina, e pio; vivo Giovanni II di Cesena che tanto aveva faticato a migliorare i costumi del suo clero. Altri ancora certamente vi erano etc.“ Storia d'Italia L. XX. n. X.

Henrici III dominatio.

59. Ea occasione Henricus III dominationem suam etiam ad electionem Pontificum extendit. Vel jam ante electionem Clementis II a Romanis, vel post electionem, a Pontifice ipse creatus est Patricius Romanus, magnaque ei auctoritas in electione Pontificum concessa. In Annalibus Romanis, opere coaevo, haec habentur de illis eventibus: *Pervenit itaque* (rex) *Romam cum tam magna multitudine, ut etiam non caperet urbs tantum et copiosum exercitum. Heinricus per misericordia Dei pius et benignus rex, congregata multitudine populi Romanorum in basilica B. Petri principis Apostolorum, cum episcopis et abbatibus et universo clero Romano, sanctam et gloriosam synodum celebravit, et mirabilem sanctum benignumque Pontificem sanctae ecclesiae Romanae nomine Clementem praeordinavit, vigilia natalis Domini. Die nativitatis Domini Nostri Jesu Christi ipse praenominatus rex a suo sancto benignoque Pontifice coronatus est, et tota Romana civitas omni gaudio repleta est, sancta denique Romana ecclesia exaltata et glorificata, quod tam magnam haeresim per misericordiam Dei inde eradicata est. Itaque serenissimus princeps cernens Romanorum omnium voluntatem, circulum, quod ab antiquitus Romani coronabant patricios, in capite posuit suo; et ordinationem pontificum ei concesserunt et eorum episcoporum regaliam habentium: ut a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur, almus Pontifex una cum Romanis et religiosis patribus. — sicut sanctus Adrianus papa et alii pontifices confirmaverunt per privilegii destestationem, — sic per privilegii destestationem in potestate regis Heinrici, qui in praesentia habetur, et futurorum regum, patriciatum et caetera, ut supra dictum est, sancivit, confirmavit et posuit.*[1])

60. Henricus III verno tempore, rebus in Italia compositis, in Germaniam reversus est, secumque Roma ab-

---

[1]) Ap. Watterich V. I. p. 73. — Ex Benzone Albensi episcopo, assecla Henrici IV et adversario Gregorii VII, a Romanis ante Clementis creationem Henricus III proclamatus est Romanorum patricius cum successoribus suis, ad eumque Pontificis electionem detulerunt. — Ibidem p. 78. in nota 2.

duxit Gregorium VI ejusque capellanum Hildebrandum. *Igitur Italicis rebus rite compositis*, scribit Bonizo l. c., *Imperator Heinricus patriam remeavit, ducens secum venerabilem Johannem, quem supra memoravimus, quem secutus est Deo amabilis Hildebrandus, volens erga dominum suum exhibere reverentiam; nam antea fuerat suus capellanus.* [1] — Ea hoc loco se offert quaestio, utrum Gregorius VI revera simoniaca ratione, (quamvis bona fide agens), ad Sedem Apostolicam provectus fuerit. — Auctores tum antiqui, tum recentiores hac in re dissentiunt. Cum Baronio, Thomassino, Papebrochio aliisque censemus, merito Gregorium VI a simonia vindicari insontem. Ab eo videlicet pecunia ista Ecclesiae libertas redempta fuit, varioque titulo illam pecuniam largiri potuit; haud vero ipse dignitatem pontificalem sibi coëmit, sed legitime electus fuit. [2] Magni momenti hac in re sunt testimonia variorum auctorum coaevorum, ut s. Petri Damiani et Rudolphi Glaber, de pietate et sanctitate Gregorii. Bonizo quidem *idiotam* eum dicit, fortasse ut significet eum pium quidem, sed in rebus administrandis parum versatum fuisse; eaque ratione eum hic auctor excusat, quum censeret, revera simoniam intercessisse in evectione Gregorii ad Sedem Apostolicam. Sed Gregorium in negotiis gerendis satis versatum fuisse, ex

An Gregorius VI legitimus.

[1] Ap. Watterich l. c. I. p. 77.

[2] Satis confuse referuntur ab auctoribus, quae in abdicatione Benedicti IX pacta sunt. Otto Frisingensis ait, Benedicto abdicanti *relictos esse reditus Angliae* (Chron. L. VI); ac Benno pseudocardinalis (Vita et gesta Hildebrandi), asserit, 1500 pondus argenti eidem data fuisse. Forte utrumque factum est, ut Benedictus tum illico haberet pecuniae summam, tum subsequenti tempore reditus. Sed in his per se non apparet simonia, quia poterant ista conferri ad redimendam libertatem et injustam vexationem Ecclesiae, et ad convenientem sustentationem Pontificis abdicantis. Damberger censet, Benedictum quidem pontificatui haud aptum fuisse, tamen nullatenus tot flagitiis obnoxium, eumque ac familiam ejus ob expensas ingentes factas debitis fuisse oneratos (B. VI. s. 302). — Gfrörer infert ex verbis Gregorii VI in synodo Sutrina, pecuniam etiam ad hoc inserviisse, ut a nobilibus obtineretur populo Romano participatio in electione Pontificis, quam proceres multitudini eripuerant (Gregor. VII. B. VI. p. 485 sqq.).

actibus ipsius apprime colligitur. Maxime autem movet, ut censeamus rationem agendi illius argui simoniae non posse, quod Hildebrandus fuerit Pontificis capellanus, eique amicitia ac veneratione magna junctus. Omnia suadent, in istis Gregorii factis intervenisse consilio et adjutorio suo Hildebrandum: is vero certe Gregorio haud tam intime adhaesisset, si simoniae quid subfuisset in illis actibus. — Otto Frisingensis de veneratione Hildebrandi quoad Gregorium scribit: *Hunc Gratianum Alpes conscendentem secutum fuisse tradunt Hildebrandum, qui postmodum summus Pontifex factus ob ejus amorem, quia de Catalogo Pontificum semotus fuerat, se Gregorium VII vocari voluit: et sicut in Lucano habet „Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni", ita et huic Hildebrando, qui semper in ecclesiastico rigore constantissimus fuit, causa ista in qua sententia principis et episcoporum praevaluit, semper displicuit.*[1])

Injuste depositus.

61. Caeterum Gregorium injuste depositum esse, eique Sedem Apostolicam esse restituendam varii videntur existimasse. Wazo episcopus Leodiensis, quum Henricus III post mortem Clementis II ab eo consilium petiisset de constituendo Pontifice, magna cum libertate Imperatori respondit: *Recogitet serenitas vestra, ne forte summi Pontificis sedes, depositi a quibus non oportuit, ipsi divinitus sit reservata, quum is quem vice ejus ordinari jussistis defunctus, cessisse videatur eidem adhuc superstiti. Quocirca quandoquidem nostram super his flagitare placuit sententiam, desinat sublimitas vestra aliquem in ejus locum qui superstes est velle substituere, quia nec divinas nec humanas leges certum est concedere hoc, adstipulantibus ubique sanctorum patrum tam dictis, quam scriptis, summum Pontificem a nemine*

[1]) Chron. L. VI. — Gregorius VII ipse, in Concilio Romano a. 1080 habito, se comitem fuisse Gregorii VI in exilium abducti, testatur alloquens B. Petrum verbis illis: „Vos scitis quia non libenter ad sacrum ordinem accessi, et invitus ultra montes cum domino papa Gregorio abii, sed magis invitus cum domino meo papa Leone ad vestram specialem ecclesiam redii, in qua utcumque vobis deservivi." Harduin. T. X. col. 383.

nisi a solo Deo dijudicari debere.[1]) Quum Wazonis litterae ad Imperatorem pervenirent, ipse jam alium Pontificem Clementi II subrogaverat. — In qua civitate Germaniae Gregorius VI reliquum vitae tempus peregerit, incertum est. *Non longo post tempore,* ait Bonizo, *quum ad ripas Rheni praefatus venisset Johannes, morbo correptus interiit.* Quo tempore S. Leo IX Pontifex designatus est, (mense Decembri anni 1048), merito supponitur Gregorius jam obiisse. — Caeterum non est mirum, si ex antiquis etiam viri pii, uti Desiderius abbas et Bonizo, existimarunt, simoniacum fuisse modum quo Gregorius VI ad pontificatum pervenit. Etenim quum ab ipsis ea aetate simoniae labes tanto cum ardore oppugnaretur magnoque eis esset horrori, quumque scirent largitione pecuniae Joannem Gratianum res composuisse, valde suspecta iis fuit ejus electio, ac proni fuerunt ut judicarent, simoniam in eam irrepsisse. -- Aliquot viri pii illius temporis, uti s. Petrus Damianus, etiam magnis encomiis celebrant Henricum III ob sua in Ecclesiam merita, id tantum considerantes, quod contulerit multum ad tollendos abusus.[2]) Minus adverterunt, animo dominandi ipsum Sedem Apostolicam ad servitutem quamdam redegisse. Eo enim jam res devenerant, ut quemadmodum episcoporum plurimorum, ita etiam Romani Pontificis creatio in manu esset Imperatoris: atque sic contra principia juris divini et ecclesiastici, praeeminentia potestatis civilis prae potestate ecclesiastica, seu praeeminentia Imperii prae Sacerdotio invaluit.

62. Conatus Romanorum Pontificum, ut disciplinam et mores in Ecclesia restaurarent ac firmarent, jam inde a pontificatu Gregorii VI inceperunt; etenim huic Pontifici ista maxime cordi erant. Sed ob rerum adjuncta, **Disciplina vindicata.**

---

[1]) Ex Anselmi gestis epp. Leodien. M. G. IX. 228: ap. Watterich l. c. I. p. 79.

[2]) V. s. Petri Damiani opusculum VI, *Gratissimus.* c. XXVI. Opp. tom. III. p. 136.

uti vidimus, non potuit multum proficere. Sequentes Pontifices efficacius prosecuti sunt bellum contra abusus, ac Gregorio VII vias praeparavere. *Clemens II* initio anni 1047 Romae synodum celebravit, in qua damnata simonia, qua sacrae ordinationes in multis provinciis contaminabantur, constitutum est, *ut quicumque a simoniaco consecratus esset, in ipso ordinationis suae tempore non ignorans simoniacum, cui se obtulerit promovendum, quadraginta dierum poenitentiam ageret, et sic in accepti ordinis officio ministraret.*[1] Dein Pontifex partim ut comes Imperatoris, partim post ejus discessum solus, varia suscepit itinera, ut etiam rebus civilibus valde turbatis in ditione ecclesiastica provideret. — Episcopatum Bambergensem retinuit, forte ne nimium premeretur proventuum penuria; nam ecclesiae Romanae patrimonia maxima parte in manus procerum pervenerant. Sed brevi tempore tantum hic Pontifex Ecclesiae praefuit; praematura enim morte abreptus die 9 octobris anni 1047 obiit, uti videtur, Pisauri in monasterio S. Thomae. Cujus mortui corpus Bambergam perlatum est, ibique tumulatum.

Damasus II. 63. *Tunc Romanorum plebs in unum collecta,* aiunt Annales Romani, *ad regem Henricum legatos cum litteris miserunt, precantes et obsecrantes, ut servi dominum et ut filii patrem, ut eis dirigeret pudicum, benignum, ornatum bonis moribus sanctae Romanae ecclesiae et universo orbi pastorem.*[2] Supponendum videtur, hoc praecipue factum ab ea parte Romanorum, quae Imperatori magis favebat; sine dubio enim alteri parti Romanorum hujus dominatio haud placebat. Interea Benedictus IX, qui Tusculi apud familiam suam degebat, pontificatum iterum invasit, atque a parte Romanorum receptus, eum per circiter novem

[1]) Testatur id s. Petrus Damianus opusc. VI. *Gratissimus* c. XXXV. Opp. T. III. p. 136.

[2]) Ap. Watterich I. p. 74.

menses tenuit. Hac de re Annales Romani l. c.: *Benedictus itaque Pontifex priscus talia facta cernens, quum esset in civitate quae vocatur Tusculana, per praemii cupiditatem divisit Romanum populum, et sic reinvasit sanctae Sedis apostolicae pontificium.* — Etiam Bonifatius Tusciae marchio ei hac in re favorem et auxilium praestitit. Legati vero Romani ad Imperatorem profecti petierunt, ut ad sacram Sedem veheretur Halinardus archiepiscopus Lugdunensis (Cluniacensis); is enim quum frequenter Romam venisset, et idioma populi calleret, simulque vitae sanctitate excelleret, Romanis acceptus erat. In vita S. Halinardi narratur, Halinardum, ne Pontifex fieret, declinasse curiam imperialem, donec alius nominatus esset.[1]) Sed probabilius est, Henricum noluisse virum hunc sanctum nominare, qui jura Ecclesiae ejusque independentiam intrepide propugnabat, ita ut nec hominium, uti inconveniens sacerdoti, voluerit regi exhibere, sed tantum fidelitatis promissionem. Vel forte Imperator tales proposuit conditiones, ut Halinardus declinaverit pontificatum.[2]) — Wazo Leodiensis episcopus, uti vidimus, magna cum libertate Henricum monuit, ut Gregorium VI in Sedem restitueret. Sed Imperator Pontificem nominavit Popponem episcopum Brixinensem, qui *Damasus II* vocatus est. Satis apparet, multis viris Ecclesiae deditis vehementer displicuisse Henrici III dominationem in Ecclesiam.

64. Plures menses elapsi sunt inter Clementis II obitum et Damasi II Romae adventum. Profectus quidem est Poppo in Italiam, ut ope Bonifatii Marchionis Tusciae Romam duceretur, sed Bonifatius declinavit ejusmodi negotium exequi, donec minis ab Imperatore cogeretur. Hac de re Annales Romanae: *Taliter eum* (Pontificem) *callide est affatus loquelis*: *Ego ad Romam non possum pergere tecum, quia* Difficultates.

---

[1]) V. Vita s. Halinardi c. 7. ap. Mabillon Acta SS. Ord. s. Benedicti IX 37.

[2]) Cfr. Gfrörer, Gregor VII. B. V. 445. 573.

Romani papam reduxerunt; et potestatem quam prius habuit recepit, et omnes pacificavit in se. Ideoque venire non possum; insuper ego jam senex sum. His auditis beatus Pontifex iter, quod ceperat rediit, et Imperatori universa narravit.[1] Imperator porro comminatus est Bonifatio, se ipsum venturum, ut conduceret Damasum, ejusque minis commotus Bonifatius, per legatum suum effecit, ut Benedictus Sedem Apostolicam relinqueret, et Damasus Romae reciperetur. Mense Julio Pontifex Romam pervenit, sed postquam sedisset tantum viginti tres dies, mortuus est Praenesti die 9 Augusti anni 1048. Fuere qui scripserunt, ope Benedicti IX eum veneno sublatum fuisse, sed plurimi fabulis id adscribunt; nec enim graves auctores illius aetatis supponunt, ejusmodi facinus commissum esse. Haud mirum, si Damasus difficultatibus multis anxiatus, itineris fatigatione infirmus, aestivi temporis ardoribus impetitus, luem contraxit et brevi exstinctus est. Virum praeclarum eum fuisse ex Bavaria oriundum, et pontificatu dignum, scriptores coaevi tradunt. Sed displicuit multis Imperatoris dominatio, ac propterea forte et ipse Pontifex; indeque factum esse videtur, ut Bonizo durius de Damaso loquatur. Scribit enim ipse: Imperator *patritiali tyrannide dedit eis ex latere suo quemdam episcopum, virum omni superbia plenum, mandans inclyto duci Bonifacio, ut eum Romam duceret, et ex parte sua inthronizaret. Quod et factum est. Quem et alio nomine Damasum vocaverunt. Is postquam sedem pontificiam invasit, antequam bis deni dies volverentur, corpore et anima mortuus est. Cujus tam celerem mortem audientes ultramontani episcopi de caetero timuerunt illo venire.*[2]

Mors Damasi II.

---

[1] Annales Rom. l. c. p. 74.

[2] Ad Amicum l. V. l. c. p. 78. — Ex ultimis verbis infert Gfrörer, (Gregor VII. V. 584), multis suspicionem fuisse de morte violenta Damasi II; sed aegre crederem, id a Bonizone insinuari. — Scripsit s. Petrus Damianus, Alexandro II Pontifice, opusculum (XXIII) *De brevitate vitae R. R. Pontificum.* Pericula mortis violentae iis imminere ibidem ne verbulo quidem indicat. Imo commemorata morte violenta variorum

65. Quum Romani iterum legatos misissent ad Henricum III, ut Pontificem novum mitteret, parumque proni essent Germaniae praesules ut munus illud obirent, ab Imperatore in conventu Wormatiensi Pontifex designatus est Bruno episcopus Tullensis in Lotharingia, ex comitibus Daspurgensibus oriundus. Diu restitit Bruno atque invitus pontificatum ea conditione recepit, *si audiret totius cleri ac populi Romani communem esse sine dissidio consensum*[1]: ea ratione videlicet libertatem electionis tueri nisus est. Per Galliam Romam profectus est, comitantibus pluribus episcopis. Sibi etiam adjunxit Hildebrandum; is in monasterio Cluniacensi degebat, ac Brunonem secutus est, quum hic ei jam ostendisset, se nisi ex electione unanimi Romanorum assumpturum esse pontificatum. — Urbem ingressus haud tanquam Pontifex, sed ut peregrinus, a Romanis vero maxima exultatione exceptus, et die 12 Februarii anni 1049 summo omnium cleri ac populi consensu in Petri cathedram evectus, *Leo IX* vocatus est. Leo IX.

66. Ex iis quae in hac Dissertatione exposuimus, satis, ni fallor, colligi poterit, quaenam et quanta fuerint mala quibus Ecclesia mediante saeculo undecimo affligebatur. In grave discrimen adducta erat ea libertas quae Ecclesiae propria est. Vehementer enim eadem investituris, quas principes saeculares in episcopis, abbatibus, aliisque Ecclesiae sacerdotibus eligendis conferebant, violabatur; imo et ipsa Romanorum Pontificum creatio in procerum Romanorum Imperatorumve arbitrio fere sita esse videbatur. Gravissime praeterea vexabatur Ecclesia labe simoniaca, cum in dignitatibus conferendis vel comparandis, imo et in ordinum sacrarum collatione passim turpis

Imperatorum, advertit, eo magis celeri Pontificum obitu stuporem moveri, quod ex solis causis naturalibus proveniat. „Papae vero vita, quia sola naturalis obitus lege concluditur, ejus ex hac vita transitus sine formidine non auditur“. c. 1.

[1]) Wibert. Vita S. Leonis IX L. II.

simoniae quaestus exerceretur. In communi praeterea morum depravatione, ecclesiasticus ipse ordo magnum detrimentum acceperat, cum veteris disciplinae sanctitate dimissa, a vitae licentia clerus non abhorreret. Eo graviora erant pericula illa, quod abusuum inveteratorum pravitas a multis haud perspici videretur, et quae illicita erant consuetudinis praetextu ac nomine comprobarentur vel excusarentur. — Sed jam videbimus, haud diu passum esse divinum Ecclesiae auctorem, ut ipsa discrimini tanto esset exposita, ac mox per Pontifices, episcopos, viros sanctos, spiritu Dei excitatos, luctam vehementem contra abusus esse susceptam et reportatam victoriam.

Dissertatio vigesima prima.

De S. Gregorio VII Romano Pontifice.

1. Altera saeculi undecimi parte in Sede Romana ex ordine successerunt complures Pontifices admodum insignes, quorum praecipue ope ac sollicitudine res Ecclesiae totiusque societatis christianae, repressis abusibus in melius versae sunt. Inter eos, uti omnes norunt, maxime eminet s. Gregorius VII. „Is enim sicut sol effulsit in domo Dei: nam potens opere et sermone, ecclesiasticae disciplinae reparandae, fidei propagandae, libertati Ecclesiae restituendae, exstirpandis erroribus et corruptelis, tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum aetate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit."[1] Dissertationis indoles.

2. Eo majorem vero influxum exercuit Gregorius VII in universam Ecclesiam societatemque christianam, quod principia quae ipse in gubernanda Ecclesia propugnavit et secutus est, etiam ab ejus successoribus vindicata fuerunt

---

[1] Breviar. Rom. lect. II. Noct. in festo s. Gregorii VII, die 25. Maii.

et applicata. Unde non solum pro illa aetate summi momenti fuit Gregorii pontificatus, sed eodem etiam conditio rerum quoad subsequentia saecula maxima parte determinata est. Ecclesiae videlicet Romanorumque Pontificum auctoritas eorumque influxus salutaris in res quoque civiles totius societatis, magis magisque firmata fuerunt et evoluta, prout temporum circumstantiae et vicissitudines id secum ferebant. Suum vero fastigium illa Sedis Apostolicae auctoritas attigit ineunte saeculo decimotertio, quando Innocentius III pari vigore et sapientia societatis christianae res moderabatur.

3. Sed advertendum quoque hoc loco venit, praedecessoribus suis inde a s. Leone IX, Gregorium seu Hildebrandum consilio suo et auxilio prudenti simul ac forti, continuo adfuisse. Hinc inde a medio saeculo undecimo magna ex parte in eo vertitur cardo rerum, eademque principia quae etiam Gregorii VII fuerunt, in illorum praedecessorum pontificatu invenimus expressa. Quapropter et hanc Dissertationem ita disponere opportunum videbatur, ut primum ageremus *de praedecessoribus Gregorii,* dein quae *ejus pontificatum* spectant exponeremus, demum subnecteremus *vindicias Gregorii VII.*

4. Praeter opera ad praecedentem Dissertationem citata consulenda veniunt: *Gregorii VII registri seu epist. libri XI.* ap. Jaffé, Monum. Gregor. Bibl. rer. Germ. tom. II. Berol. 1865; *Lamberti Hersfeldensis Annales,* M. G. Scr. III.; *Paul. Bernriedens. de vit. Gregorii VII* ap. Muratori Script. rerum Ital. III. 1.; *Bonizo lib. ad amic.* ap. Jaffé l. c.; Donizo, *Vita Mathildis,* M. G. Scr. XII.; *Goldast, Apologiae pro Henrico IV.* Hanov. 1611; *Bruno, Hist. bell. Saxon.* M. G. Scr. VII.; *Wid. ep. Ferrar. de scismate Hildebranti,* M. G. Scr. XII.; *Annales Altahenses,* M. G. Scr. XX.; Bianchi, *della potestà e polizia della Chiesa;* Roma 1745, Tom. I. L. 11. p. 200—431; Davin, *Gregoire VII,* Tournai 1867; *I destini di Roma,* Civiltà cattolica 1872, V. VI.; B. Lehmann, *Das Buch Wido's von Ferrara „Ueber das Schisma des Hildebrand“ im Zusammenhange des*

Gregorianischen Kirchenstreites, Freiburg 1878; Damberger *Gesch. VI. VII.*; Hergenröther, *K. G. I. 737 sqq.; III. 246*, ubi et alios auctores invenies citatos.

I.

De Praedecessoribus S. Gregorii VII.

5. S. Leo IX Ecclesiae praefuit quinque annis et mensibus duobus. Hildebrandum ipse initio pontificatus sui ad subdiaconatus ordinem promovit, eique administrationem bonorum ecclesiae Romanae commisit. Adjutus porro consilio Hildebrandi aliorumque virorum ecclesiasticorum indefesso labore abusus eradicare et disciplinam ecclesiasticam restaurare studuit, ita ut totus pontificatus ejus fuerit lucta contra abusus et certamen pro disciplina et Ecclesiae juribus vindicandis. Hic, scribit Ordericus Vitalis, *sanctorum scita canonum passim restituere conatus est, quae jam transactis temporibus nimis deciderant, et paene a notitia hominum defluxerant.*[1] Itinera suscepit in varias Italiae partes, in Galliam et Germaniam, atque congregatis episcopis ubique concilia celebravit, simoniam et clericorum incontinentiam proscripsit, poenis et censuris canonum observantiam vindicavit, episcopos delinquentes deposuit. Imperatorem Henricum in Germania convenit, ut negotia ecclesiastica ordinaret; Normannos in Italia meridionali ditionem ecclesiasticam invadentes, armata manu reprimere conatus est. Quamvis vero Normanni Pontificis copias contrivissent, tamen magna veneratione Leonem prosecuti, pacem cum eo ita composuerunt, ut tanquam feudum ecclesiae Romanae suum in Italia regnum a Pontifice susciperent ejusque vasallitio sese addicerent. S. Leo IX.

[1] Hist. Eccl. L. 1.

Expeditio contra Normannos.

6. Atque hoc loco advertamus, Leonem IX militaribus copiis in ea expeditione se miscentem, postea ea de re vituperatum fuisse a s. Petro Damiano in epistola ad Ordericum Firminum episcopum.[1]) Sed sancti Pontificis vindicias hac de re praeclare egit Baronius. „Quae Petrus Damianus, inquit, adversus Leonem militaribus copiis se miscentem scripsit, in his quae asserit examinanda sunt, an in omnibus veritate subsistant. Cum enim ipse esset moerens animo ac lugens eremi incola, quod frequenter audiret episcopos aliquos in Galliis atque Germaniis galeatos ac loricatos ad bella procedere, facinus execratus, scripsit epistolam ad Firminum episcopum, qua deplorans mundi hujus mala, praecipue vero discordias oboriri solitas inter imperatores atque pontifices, sic vult munera eorum esse distincta, ut nec imperatores attingant quae sunt sacerdotum, nec sacerdotes quae sunt imperatorum, ut bella tractare et aliud id genus, quae ipsis omnino reservat." Affert dein Baronius ipsa epistolae verba[2]), et addit: „Huc usque de his Petrus Damiani, cui catholica dogmata penitus adversantur, quibus haeresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana, cathedra Petri, e duobus alterum gladium auferunt, nec nisi spiritualem concedunt." Probat dein, hanc Ecclesiae esse doctrinam; et: „Errore igitur, inquit, lapsus convincitur Petrus, (excusare eum nec debemus nec possumus), quem (sc. errorem) communi catholicae totius Ecclesiae consensu constat esse damnatum."[3])

7. Etiam Bellarminus scribit de illa s. Petri Damiani epistola: „In epistola ad Firminum episcopum liberius,

---

[1]) Epp. L. IV. ep. 9.

[2]) Quae Leonem IX spectant sunt haec: „Ad haec si quis objiciat, Leonem bellicis usibus se frequenter implicuisse Pontificem, verumtamen sanctum esse: dico quod sentio, quoniam nec Petrus ob hoc apostolicum obtinet principatum quia negavit: nec David idcirco prophetiae meretur oraculum, quia torum alieni viri invasit, cum mala vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debeant qualitatibus judicari."

[3]) V. Baron. ad a. 1053. n. 10 sqq.

quam par esset, videtur auctor reprehendere sanctum Leonem IX propter bellum contra Northmannos: neque enim illicitum est summo Pontifici armis defendere civitates in quas dominium temporale habet, de qua re vide Card. Baronium ad a. D. 1053.“[1]) — Baronii tamen sententia in s. Petrum Damianum severior esse videtur. Conatur videlicet Cajetanus, qui opera Damiani edidit, ostendere in *Observatione* ad illam epistolam, s. Petrum tantum factum Leonis, qui expeditioni contra Normannos praesens adfuit improbasse, haud vero dissensisse a doctrina communi. Ita et Cardinalis Lambertini (Benedictus XIV): *Autumavit igitur* (B. Petrus Damiani) *competere quidem Romano Pontifici etiam materialem gladium, sed eum vel propria manu, vel aliorum se praesente, et tanquam belli duce mandante, non esse adversus hostes exercendum.*“[2]) — Sed merito potius vertendum esse censemus s. Leoni IX, cujus mansuetudo caeteroquin a coaevis celebratur, quod, etsi viribus infirmus, tamen militibus qui Ecclesiam ejusque jura defendebant, praesentia sua animum addere voluerit.[3])

8. Haeresim quoque Berengarii, qui transsubstantia- Varia gesta.
tionem et realem praesentiam corporis et sanguinis Domini in Eucharistia negabat, Leo IX anno 1050 in Romana et Vercellensi synodis damnavit. Auctoritatem vero et primatum Romanae Ecclesiae contra Graecorum superbiam

---

[1]) De scriptor. eccles. ad a. 1060. Observatio secunda.

[2]) De Serv. Dei Beatific. etc. L. III. c. 36. n. 16.

[3]) Scribit ipse de illa expeditione epist. 7a ad Constantinum Monomachum Imperatorem: Expeditionem adversus Normannos suscipiendam „censui, non ut cujusquam Normannorum seu aliorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, et illis ex adverso omnem subjectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum nostrum aggrediuntur; sed adhuc de victoria sua potius tristantur, quam laetentur.“ Labbe Coll. Conc. IX. 902. Jam diximus, s. Petrum Damianum rigidioris sanctitatis cultorem, virumque valde sollicitum de disciplina morum severiore, minus perspicacem passim inveniri in tuendis principiis quae jura Ecclesiae spectant.

ac Michaëlem Caerularium schisma Photii instaurantem egregie vindicavit. Sed de hisce alio loco sermo recurret. Modo non vacat singillatim s. Leonis IX gesta enarrare; sufficiat haec concludere iis quae de ipso scribit Desiderius Abbas seu Victor III: *Huic* (Damaso), inquit, *successit Leo, . . . vir per omnia apostolicus, regali genere ortus, sapientia praeditus, religione conspicuus. omnique ecclesiastica doctrina eruditus, ac qui quemadmodum scriptum est coepit invocare nomen Domini. . . . A quo omnia ecclesiastica studia renovata et restaurata novaque mundo lux visa est exoriri. Hic saepe sacerdotale consilium advocans, sacerdotes, diaconos, et reliquos clericos non regulariter ordinatos removit, et in eorum locis ad veri et summi Dei cultum, qui digne ministrare possent constituit. Quotidie quoque per se suosque discipulos ubique missos populis viam Domini litteris et verbis praedicans ostendebat. Qui per apostolicam viam ingrediens, apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus*[1]. Simili ratione Leonem encomiis evehunt s. Bruno episcopus Segniensis, s. Petrus Damiani, aliique coaevi, qui ab ipso maxime restaurationem disciplinae severioris coeptam esse praedicant. Sed laboribus fractus, post brevem quinque annorum pontificatum, Leo IX anno 1054 die 19 Aprilis ad coelestem vitam vocatus est. De ejus exitu refert Bonizo: *His ita* (in Apulia) *gestis beatissimus Papa Romam rediit, cumque ad ecclesiam apostolorum Principis pervenisset, languore correptus, ante Confessionem ejusdem Apostoli delatus, et coram omni Clero et Romano populo tradens Deo amabili Hildebrando ejusdem ecclesiae curam, coelo spiritum reddidit. Cujus corpus in eadem ecclesia cum honore magno humatum est. Ad cujus tumulum aegri veniunt et sanantur, et infirmi a variis languoribus detenti usque liberantur*[2].

Mors Leonis IX.

9. Qui post Leonem IX usque ad Gregorium VII secuti sunt Pontifices. Leonis vestigiis institerunt, et certamen ejus ad restaurandam disciplinam ecclesiasticam

---

[1]) Dial. l. III.

[2]) Lib. V. ad Amicum. ap. Watterich. I. p. 105.

fideliter continuarunt. Hildebrandus autem etiam sub iis hac in re et in toto regimine Ecclesiae maximas habuit partes. Singula percurrere, quae eo tempore ad incontinentiam clericorum et simoniam exstirpandam facta sunt, non videtur necessarium. Sed advertere convenit accuratius ad relationes quae inter Ecclesiam atque Imperium intercesserunt. Videbimus, qua ratione Hildebrandus aliique viri ecclesiastici magna prudentia studuerint cavere, ne ex dependentia illa ad quam injuria temporum Ecclesia redacta erat, nimia pro eadem detrimenta sequerentur. Imo paulatim ex illis vinculis servitutis Ecclesiam nisi sunt extricare.

Electio novi Pontificis.

10. Post mortem Leonis IX Romani Hildebrandum ad Sedem pontificiam evehere in animo habebant, sed hic prudenter eos admonuit, ne id facerent; atque Romanorum legatus ipse ad Henricum III profectus est, ut cum eo conveniret, quis Pontifex crearetur. Erant quidem Romae et in Italia viri ad sublime munus obeundum aptissimi, sed perspiciebat Hildebrandus, ex electione indigeni turbas posse oriri, Imperatorisque indignationem et oppositionem excitari. Hinc satius habuit, ut ipse nomine populi Romani Imperatori eum quem vellet ex Germania praesulem proponeret, utque hac ratione, quantum fieri poterat, Ecclesiae juribus electionisque libertati prospiceret [1]). Quum Imperator acquievisset, Hildebrandus Gebehardum Eichstetensem episcopum ut Pontificem postulavit. Erat autem Gebehardus intimus Henrici consiliarius, et in administrando Imperio adjutor peritissimus; atque passim ipsi Leoni IX difficiliorem se praebuerat, dum Imperii utilitatem potius quam Pontificis respicere visus esset. Sed praevidit optime

---

[1]) Hoc Hildebrandi consilium coaevos scriptores non latuit. Scribit Bonizo: „Cum religiosis viris Alpes transiens Imperatorem adiit, eique in tanta amicitia junctus est, ut crebris collocutionibus quantum peccatum in largitione Pontificis (pontificii?) fecisset, ostenderat. Qui ejus salubri acquiescens consilio tyrannidem patritiatus deposuit, cleroque Romano et populo secundum antiqua privilegia electionem summi pontificatus concessit.“ L. V. ad Amicum, Watterich. I. p. 184.

Hildebrandus, eum in Pontificem electum jura Ecclesiae provide tuiturum esse. Henricus aegre consensit, ut Romanis concederet Gebehardum, nec is libenter electioni acquievit. Acceptandi pontificatûs eam posuit conditionem Imperatori, ut redderet Ecclesiae Romanae quae ipsius
Victor II. erant. *En, inquit ad Caesarem,* scribit auctor Vitae Victoris II, *sancto Petro solum me, hoc est corpore et animo contrado, et licet tantae sanctitatis sede me indignissimum sciam, vestris tamen jussionibus obtempero, ea scilicet pactione, ut et vos sancto Petro reddatis, quae sui juris sunt. Hac sponsione a benignissimo Imperatore suscepta* [1]), *Romam hilariter venit, singulari devotione susceptus est, in consecratione Victor* (II) *appellatus est* (13 April. 1055), *tribus annis apostolicam Sedem gloriosissime rexit, tantaeque inter caeteras virtutes liberalitatis exstitit, ut Romani non solum viventi verum etiam mortuo singularia laudum praeconia attribuerent, et memoria ejus celebris habeatur. Interim non immemor pacti sui, tum consentiente, tum etiam invito Imperatore, multos sancto Petro episcopatus, multa etiam castella injuste ablata juste recepit, Romanamque ecclesiam multis honoribus ampliavit, ditavit, sublimavit, et si diutius vivere licuisset, fortasse tale aliquod verbum incepisset, quod ambae aliquorum aures tinnirent.* [2])

11. Victor II eodem anno 1055 magnam Florentiae synodum praesente Imperatore habuit, in qua plures epis-

[1]) De permultis agebatur ecclesiae Romanae territoriis et castellis. Praeterea Victor ab Imperatore ducatum Spoletanum et marchiam Camerinam impetravit. Watterich. I. p. 180. n. 1.

[2]) V. Victoris II vita ex Anonymi Haserensis libro de Episcopis Eichstetensibus, ap. Watterich. I 178. — Quum Victor Pontifex esset, variis de rebus aliter ac prius judicavit, doluitque, quod Leoni IX quandoque obviasset. Praesertim id sibi exprobrabat, quod suo consilio Imperatorem detinuisset, ne Leoni IX exercitum copiosum contra Normannos concederet, adeoque cladis cruentae occasionem dedisset. Eo pertinent quae scribit Leo Ostiensis: „Qui (Victor II) quoniam eidem praedecessori suo, ut supra diximus, maximo impedimento fuerat, quoties a circumpositis molestiam aliquam patiebatur, dicere solitus erat: Merito haec patior, quia peccavi in dominum meum." Ap. Watterich. I 183.

copi simoniae vel incontinentiae rei depositi sunt. Severe etiam prohibitum est, quominus bona ecclesiarum alienarentur seu distraherentur, ut colligitur ex epistola s. Petri Damiani, qui a. 1060 cuidam episcopo ista in re delinquenti scribit: *Numquid oblitus es, quod ante fere quinquennium Victor apostolicae Sedis Episcopus in plenario concilio Florentiae celebrato, cui simul et Imperator Henricus interfuit, hoc sub excommunicationis censura prohibuit?* [1] Cohaerent ista cum iis quae Auctor vitae Victoris testatur, quod multa bona Romanae Ecclesiae injuste ablata recuperaverit. Jam ex aliquo tempore tum illa ecclesia, tum aliae ad penuriam redigebantur distractione bonorum, quibus occupandis proceres vehementer inhiabant. Incuriae, fraudi et malis artibus nobilium ista distractio attribuenda erat, uti liquet ex iis quae in decretis Benedicti VIII in concilio Ticinensi a. 1018 contra incontinentiam clericorum editis continentur. Videntur etiam praesules auxilium favoremve procerum concessione bonorum ecclesiae quaesivisse; atque in magnum ecclesiarum praejudicium erant concessiones bonorum per *emphyteusim*, vel per *scripta* quae appellabantur *tertii generis* seu *tertiogenera*. Concedebantur talibus libellis praedia vel castella aliave bona, ut possiderentur tanquam feuda usque ad tertiam generationem, plerumque cum obligatione solvendi alicujus tributi seu oneris. Sed frequenter talia bona plane amittebantur, dum possessores urgerent post quadraginta annos praescriptionem, et bona illa retinerent sine ulla compensatione. Hac autem in re abusui maxime favebat varietas juris in Italia vigentis. Libertas enim data erat, ut vel jure Romano vel jure Longobardorum Francorumve incolae uterentur. Jam vero dum jure Romano saltem caveretur, ut praescriptio debitis conditionibus firmaretur; jure Longobardorum sola possessio post certum tempus elapsum procurabat proprietatem, nec erat inquirendum qualis fuerit illa possessio, utrum videlicet completa, an vero per modum feudi cum onere solvendi tributum. — Ex his colliges, quanta detrimenta inde Ec-

Synodus Florentiae.

[1] Epist. l. IV, ep. XII.

clesiae quoad securitatem bonorum suorum provenire potuerint. Benedictus IX a Conrado Imperatore a. 1038 obtinuerat, ut omnes in Italia juri Romano subessent, sed Henricus III, quum a. 1046 Imperator et patricius Romanorum factus esset, juramento Romanis capitaneis firmavit jura sua atque etiam feuda tertii generis, quae ad institutiones juris Longobardici pertinebant; adeoque iterum permisisse videtur, ut jure Longobardico qui vellent uterentur [1]).

Lex de juramento. 12. Eo tempore (a. 1056) Henricus III videtur etiam legem edidisse, qua antiquam Theodosii constitutionem confirmabat, ut nullus clericorum, monachorum vel monialium, ad juramentum personale *in quacumque controversia* cogi posset. Sed concedebatur eis, ut per defensores suos seu patronos juramentum facerent. Ista lex quidem directe respicit causas criminales et civiles; sed rationes propter quas ecclesiastici ab obligatione jurandi eximuntur sunt universales, videlicet quod jure Romano clericis juramentum prohibeatur, quodque nullus inveniatur Ecclesiae canon, qui clericis juramentum permittat. Vides igitur, per se haec merito applicari potuisse juramentis hominii quae ab episcopis aliisve clericis postulabantur, ac praeter alia motiva hoc solum argumentum potuisse sufficere, quum exorta lite de investituris etiam juramentum hominii ecclesiasticis prohiberetur [2]).

13. Anno 1055 Hildebrandus a Victore II legationem in Galliam accepit, ut ibidem congregatis synodis varios abusus simoniae et incontinentiae exstirparet et quorumdam episcoporum causas examinaret; demandata autem legatione ille sollicite perfunctus est. — Anno 1056 Victor ab Henrico III in Germaniam vocatus est, ut in difficilibus Imperii negotiis ei assisteret. Sed brevi post Pontificis adventum Imperator, quum triginta novem tantum esset

[1]) Cfr. Gfrörer. Gregor. VII. V. 437 et VI. 525.

[2]) Legem vide ap. Pertz. Leges II. p. 41. — Cfr. Gfrörer l. c. VI. p. 753.

annorum, inopinata morte abreptus est die 5 Octobris illius anni. Morienti adstitit Victor II, et petente patre ejus filium quinquennem Henricum IV, ab Imperatore e procerum consensu in successorem designatum, in suam tutelam suscepit; administrationem quoque Imperii ei Imperator moriens commisit. In patricium Romanorum tunc creatus est Godefridus Lotharingiae dux. Is post mortem Bonifatii ducis Etruriae (a. 1052), uxorem duxerat ejus viduam Beatricem, cui unica superstes erat filia Mathildis, anno 1046 nata. Henricus III cum Godefrido duce ei suspecto dissidia magna habuit, et Beatricem ac Mathildem ut obsides in Germaniam duxerat. Sed paulo ante mortem Imperatoris res compositae sunt, eoque defuncto Godefridus patricius Romanorum creatus est, et ipse ac Beatrix ejusque filia Victori II in Italiam remeanti comites fuere. Romam redux ibi aliquanto Pontifex mansit, ac tempore Paschatis in Laterano pro Ecclesiae negotiis synodum celebravit. Sed non diu superstes fuit. Suscepto enim itinere in Etruriam, viribus et laboribus exhaustus, quamvis aetate non multum provectus, in febrim incidit vehementem, et die 28° Julii a. 1057 animam Deo reddidit.

Henrici III mors.

Victoris II mors.

14. Quum nuntius de morte Victoris in Urbem veniret, ibidem degebat Fridericus Lotharingus Godefridi ducis frater, qui jam sub Leone IX cancellarius Ecclesiae Romanae et Cardinalis diaconus creatus, et simul cum Humberto Cardinali legatione Constantinopolim functus fuerat. Constantinopoli reversus, quum se suspectum videret Imperatori ejusque timeret persecutionem, in monasterio Cassinensi monachi habitum suscepit, et anno 1057 abbas illius monasterii creatus est. Dein a Victore II in Tuscia ordinatus est presbyter Cardinalis s. Chrysogoni, quumque ab eo Romam reversus esset et ecclesiae titularis possessionem cepisset, nuntiatum est, Victorem II obiisse. Ejusmodi eventu libertas electionis revera iterum in manus Romanorum pervenit; etenim in Agnetem Imperatricem viduam non transierunt, si quae erant, privilegia Henrici III, patricius autem Romanorum jam erat Godefridus Lotharingiae dux. Quum Romani Fridericum Cardinalem de

eligendo Pontifice consulerent, eis quinque viros hoc nomine dignos is proposuit. Hildebrandum, qui etiam sub
Stephanus IX. Victore negotia maxime administraverat Pontificique morienti adstiterat, Humbertum Cardinalem, Joannem episcopum Veliternensem, episcopum Perusinum, et episcopum Tusculanensem. Sed Romani unanimiter ipsum Fridericum in Pontificem postulaverunt, deductumque in ecclesiam s. Petri ad vincula elegerunt, et quum esset dies 2dus Augusti *Stephanum IX* appellaverunt. Pontifex igitur erat ex familia principum potentissimorum, quae simultates acerbas cum stirpe Salica imperiali habuerat. Ipsius Pontificis frater Godefridus patritiatu Romano, uti diximus, erat ornatus ac dux Lotharingiae et Tusciae; imo etiam ducatus Spoleti et Camerini ex conventione ab Henrico III sancitâ post mortem Victoris III ipsius feudum fiebant; Imperium vero suberat Agneti viduae et puerulo Henrico IV. Hinc adjuncta rerum brevissimo temporis intervallo jam penitus mutata videbantur.

15. Stephanus IX luctam contra abusus intrepide prosecutus est, quantique disciplinae restauratio ei cordi esset ostendit, dum Petrum Damianum, regidioris sanctitatis cultorem atque magistrum, Cardinalem episcopum Ostiensem invitum et reluctantem constitueret (Febr. 1058), atque ita eum collegio Cardinalium praeficeret. Plures alios dignissimos Cardinales pariter ipse creavit. — Multa et magna Pontifex animo volvere videbatur tum quoad res ecclesiasticas tum quoad res politicas. Ei propositum fuisse coaevi ferunt, ut Imperatorem coronaret Godefridum ducem, et ea ratione efficacius Ecclesiae protectioni et securitati provideret, Normannosque ex Italia pelleret. Res tamen valde dubia videtur. Misit certe paulo postquam Sedem pontificalem ascenderat in Germaniam Hildebrandum ad curiam imperialem, ut de sua electione referret et de negotiis ecclesiasticis tractaret[1]). Quatuor fere menses Ste-

[1]) Lambertus Hersfeldiensis scribit in suis Annalibus ad a. 1057: „Rex nativitatem Domini Mersinburg celebravit, aderatque ibi inter

phanus Romae versatus, profectus est ad monasterium Cassinense, in quo moratus est inde a festo s. Andreae usque ad festum s. Scholasticae (10 Febr. 1058). Jam ibi languore fuit prostratus. Romam reversus negotiisque variis Ecclesiae ordinatis, iter paravit in Tusciam ad Godefridum fratrem conveniendum. Florentiam profectus ibidem post novem tantum mensium pontificatum morbo lethali correptus est. Morienti adfuit s. Hugo Cluniacensis abbas, et Stephanus IX *sancti se precibus commendans, in ejus manibus spiritum reddidit sancta confessione praemunitus* [1], die 29 Martii a. 1058. Ibidem sepultus est. Sanctitate autem et miraculorum gloria insignis fuisse refertur. *Nec quisquam,* scribit Lambertus, *sane multis retro annis laetioribus suffragiis, majori omnium exspectatione ad regimen processerat Romanae ecclesiae. Sed tantam spem, heu! frustrata est mors immatura* (ad a. 1057). Stephani IX mors.

16. S. Petrus Damiani in epistola ad Henricum archiepiscopum Ravennatem: *Piae memoriae Stephanus papa,* inquit, *congregatis intra ecclesiam episcopis civibusque Romanis, clero et populo hoc sub districti anathematis excommunicatione statuerat, ut si eum de hoc saeculo migrare contingeret, antequam Hildebrandus Romanus ecclesiae subdiaconus, qui cum communi omnium consilio mittebatur, ab Imperatrice rediret, papam nullus eligeret, sed Sedes Apostolica usque ad illius reditum intacta vacaret* [2]. Attamen hujus decreti ratio non est habita; mortuo enim Stephano, factio comitum Tusculanorum et qui ab iis allecti sunt ecclesiastici et laici, Pontificem creaverunt Joannem episcopum

---

alios regni principes etiam Hildebrant, abbas de Sancto Paulo, mandata deferens de Sede Apostolica, vir et eloquentia et sacrarum litterarum eruditione valde admirandus."

[1]) Vita s. Hugonis, Bibl. Cluniac.

[2]) Epp. L. III. ep. 4. — Leo Ostiensis L. II. c. 101 iisdem fere rem refert verbis, manifeste ex Damiano desumptis. Colligitur autem ex his verbis. Stephanum ista statuisse antequam Hildebrandus in Germaniam proficisceretur adeoque ultimis mensibus anni 1057, haud vero eum praesensione quadam mortis ea tunc ordinasse, quando brevi ante obitum Florentiam perrexit.

Benedictus X pseudo-pontifex Veliternensem. Et ipse ex familia comitum Tusculanorum oriundus erat; nomen *Benedicti X* accepit. In electione hac certe res non rite peractae sunt, et plerique Cardinales reclamarunt ob decretum superius commemoratum, quumque non praevalerent, anathema in antipapam pronuntiarunt et ex Urbe discesserunt. Dein simul cum plurimis Romanis, quibus evectio Benedicti displicuerat, legatos miserunt ad Agnetem Imperatricem atque Henricum ejus filium, ut cum iis de electione Pontificis conveniretur.

17. Hildebrandus interim e Germania in Italiam pergens, quum Benedicti intrusionem audivisset, Florentiae substitit. Haud dubium, inde etiam ipsum cum Imperatrice egisse, atque ex eventibus auctorumque narratione quamvis parum enucleata colligitur, ita rem compositam fuisse, ut propositio Pontificis eligendi Hildebrando ac Romanis maneret, consensus tamen curiae imperialis simul peteretur. Convenerunt dein, invitante Hildebrando, qui poterant Cardinales aliique primates Romani Senas, et ibidem die 28° Decembris a. 1058 communi suffragio electus est in Pontificem Gerardus Burgundus, Florentinus episcopus, in quem etiam Imperatrix jam consenserat. Nicolaus II. *Nicolaus II* ipse est appellatus, atque Imperatrix mandavit Godefrido duci Hetruriae, ut electum Romam deduceret et Benedictum expelleret. Nicolaus II e Cardinalium consilio indixit synodum Sutrii habendam, ut de Benedicto statueretur. Quum haec audivisset Benedictus, conscientiae remorsu tactus, sedem pontificiam, quam decem fere mensibus occupaverat, reliquit et in propriam domum reversus est. Quapropter Nicolaus II Urbem ingressus et a clero populoque honorifice exceptus, die 18° Januarii a. 1059 secundum morem consuetum inauguratus fuit. Paulo post Benedictus erratum suum correxit seque ad pedes Pontificis projecit, qui eum episcopali et sacerdotali officio privatum ad laicam communionem recepit[1]).

[1]) De Benedicto X alii, ut s. Petrus Damiani, durius, alii majori cum indulgentia loquuntur, quatenus fuerit vir tenuis ingenii et imprudens potius quam improbus. Fuit ipse inter illos quondam, quos

18. Paucis quibus Nicolaus II Ecclesiae praefuit annis, magna sollicitudine etiam ipse ejus saluti prospexit. Summi momenti fuit concilium Romanum mense Aprili anni 1059 celebratum, in quo iterum proscriptae sunt simonia et incontinentia clericorum, ac *decretum de electione Romani Pontificis* conditum est. Multum videlicet intererat, ut demum ordo certus in electione Pontificis statueretur, turbae vitarentur, et removeretur periculum, quominus ex Imperatoris arbitrio Pontifex crearetur. Haud dubium est, Hildebrandum sagaci prudentia ea constituisse, quae exinde in electione Pontificis observari deberent. Sed juvat audire quae Bonizo de illa synodo scribit: *Non longo post tempore congregavit praefatus Pontifex synodum, in qua Guido Mediolanensis episcopus volens nolens sedisse cogentibus Patarinis cognoscitur* [1], *ducens secum cervicos tauros Longobardos episcopos; id est Cunibertum Taurinensem et Giselinum Astensem et Benzonem Albensem et Gregorium Vercellensem et Ottonem Novariensem et Opizonem Laudensem et Aldemannum Brixinensem. Quibus omnibus in eadem synodo praeceptum est, ut sacerdotes et levitas concubinatos ab altaris arcerent officio; erga simoniacos vero multam misericordiam habendam esse decreverunt, et communi omnium epis-*

Concilium Romanum.

Fridericus Lotharingus ut pontificatui idoneos proposuerat. In *Vita brevi* Benedicti ap. Watterich I. 203 haec referuntur, dum narratur Hildebrandum increpasse clericos Romanos de electione Benedicti: „Quidam vero quod fecerant defendebant: *Quoniam bonus, sapiens, humilis, castus, benignus, et quidquid bono in aliquo reperitur, monstratur in illo. Et ideo quod fecimus, bene credimus fecisse.* Sic denique contentione inter eos diu persistente, nullo modo animum archidiaconi ad hoc, quod fecerat, propter sacramentum, flectere quiverunt. Et quoniam major pars clericorum et laicorum cum archidiacono erat, deposuerunt et ejecerunt praedictum Benedictum de papatu suo."

[1] Guidonem Mediolanensem tamen cum honore in concilio resedisse tradit Arnulfus in *Gestis episcoporum Mediolanensium* (M. G. Scr. VIII. 18 sqq.) alloquens Patarinos: „Ecce, inquit, metropolitanus vester prae solito Romanam vocatur ad synodum. Abiit, sed contra vestros affectus prosper fit illi ad cuncta successus. Decibiliter equidem tractatur ab Apostolico tunc Nicolao, cujus dextro positus est in praesenti synodo latere . . . Proinde archiepiscopus cum promitteret domno Apostolico

coporum consilio in hac synodo haec lex de electione Pontificis definita est, cui legi CXIII episcopi subscripsere[1]).

Decretum de electione Pontificis.

19. Partem dein citat decreti, quod jam plenius proponamus. *Instructi praedecessorum nostrorum aliorumque sanctorum Patrum auctoritate, decernimus atque statuimus:* (1⁰) *ut obeunte hujus Romanae universalis ecclesiae Pontifice, imprimis Cardinales episcopi diligentissime simul consideratione tractantes, mox sibi clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedat.* — (2⁰) *Ut — nimirum ne venalitatis morbus qualibet occasione subrepat — religiosi viri praeduces sint in promovendi Pontificis electione, reliqui autem sequaces* ... (3⁰) *Eligant autem de ipsius ecclesiae gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur.* — (4⁰) *Salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui impraesentiarum rex habetur, et futurus imperator Deo concedente speratur, sicut jam sibi concessimus, et successoribus illius, qui ab apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint.* — (5⁰) *Quodsi pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita electio fieri in Urbe non possit: Cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicisque laicis, licet paucis, jus potestatis obtineant eligere apostolicae sedis Pontificem, ubi congruentius judicaverint.* — (6⁰) *Plane postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas, vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est in apostolica sede juxta consuetudinem inthronizari non valeat: electus tamen sicut Papa auctoritatem obtineat regendi Romanam ecclesiam et disponendi omnes facultates illius.*

20. Variae hujus decreti recensiones in codicibus inveniuntur, cum lectionibus quibusdam variantibus, quae praesertim privilegium Imperatori concessum spectant.

deinceps obedientiam, accepto ab eo annulo apostolicae gratiae ac totius potestatis ecclesiasticae, rediit gloriosus in omnibus." c. 21.

[1] Ad Amicum L. VI. ap. Watterich I. 210.

Unde eruditi textum *imperialem* distinxerunt et textum *pontificium*, et alii hunc alii illum magis genuinum censuere. Sic in textu imperiali quod n. 4⁰ in altero habetur, jam hisce enuntiatur n. 1⁰: „Ut obeunte hujus Romanae et universalis ecclesiae Pontifice imprimis Cardinales diligentissima simul consideratione tractantes, salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Heinrici, qui in praesentiarum rex habetur et futurus imperator Deo concedente speratur, sicut jam sibi mediante ejus nuntio Longobardiae cancellario W. (Wiberto) concessimus, et successorum illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc jus impetraverint, ad consensum novae electionis accedant." — Sequitur dein 2⁰ „ut — nimirum ne venalitatis morbus qualibet occasione surripiat, — religiosi viri cum serenissimo filio nostro rege Heinrico praeduces sint in promovendi pontifices (sic) electione, reliqui autem sequaces." — 3⁰ „Eligant autem de ipsius ecclesiae gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur." — 4⁰ Quodsi pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera atque gratuita electio fieri in Urbe non possit, licet pauci sint, jus tamen potestatis obtineant, eligere apostolicae sedi pontificem, ubi cum invictissimo rege Heinrico congruentius judicaverint." Reliqua congruunt cum altera decreti formula [1]). Textus imperialis.

21. Facile patet quanti momenti fuerit hoc decretum, quo Romani Pontificis electio disponebatur, atque tum

---

[1]) De indole decreti ac de duplici recensione erudite tractat cl. H. Grauert in sua Dissertatione: „Das Decret Nicolaus II von 1059", Histor. Jahrbuch I. IV. p. 502 sqq., ubi et alii auctores, qui de hac quaestione egerunt citantur. Gravibus argumentis ipse comprobat, recensionem pontificiam decreti genuinam esse, imperialem vero interpolatam. Cui sententiae alii quoque scriptores spectatissimi, uti Hefele et Scheffer jam antea suffragati sunt. — Jam Anselmus (II) Lucensis suo tempore contra Guibertum antipapam L. II. scribit: „Praeterea autem praefatus Wicbertus aut sui, ut suae parti favorem adscriberent, quaedam in eodem decreto addendo, quaedam mutando, ita illud reddiderunt a se dissidens, ut aut pauca, aut nulla exemplaria sibi concordantia valeant inveniri."

procerum vel multitudinis violentiae, tum Imperatorum arbitrio limites figebantur. Quamvis praecedente aetate continuo illud principium urgeretur, rite eligendum esse Romanum Pontificem, ita ut cleri essent praecipuae partes: praevaluisse tamen vidimus saepe vel Imperatorum vel procerum influxum. Turbas violentas etiam interdum accidisse conspeximus, ac postremo advertimus, ab Henrico III sibi vindicatum fuisse jus fere atque arbitrium constituendi summum Pontificem, ita ut jam principium ipsum juris ecclesiastici et divini maxime periclitaretur, et subordinatio praepostera Ecclesiae sub Imperio immineret. Nicolai decreto sapienter et efficaciter provisum fuit illis malis. Etenim 1° eodem primariae partes in electione Cardinalibus vindicatae sunt. — 2° Partes tantum secundariae clero inferiori et laicis sunt concessae. — 3° Etiam pro casu conflictus provisum fuit, ut Cardinalium electio praevaleret. — 4° Respectu Imperatoris quoque Cardinalibus jus primarium electionis Pontificis attributum est, Imperatori tantum concursus quidam secundarius. — 5° Apprime expressum fuit, concursum ad electionem Henrico IV concessum, esse privilegium *personale,* haud vero jus insitum potestati laicae ac saeculari principis. Successoribus ejus tantum spes praebetur similis privilegii, si id a Sede Apostolica personaliter obtinuerint. — Adeoque 6° adsignificatur, hac in re per se nihil deberi alicui principi, sed proprii juris esse Ecclesiam. — Ita vera principia firmabantur, atque independentia Ecclesiae a potestate laica restituebatur. — Sed etiam 7° influxus arbitrarius Imperatoris ea regula praeveniebatur, quod Pontifex *normaliter* ex clero Romano esset eligendus, et nonnisi per exceptionem alius, si idoneus non inveniretur.

Decreti indoles.

22. Quale fuerit illud jus seu privilegium quod Henrico concessum exprimitur, dum dicitur, *salvo* (ejus) *debito honore et reverentia* etc., non accurate refertur in decreto. Colligitur tamen ex variis auctoribus, concessum fuisse principi, ut electio ei nuntiaretur ejusque consensus peteretur. Utrum jus exclusionis ei convenerit, non liquet

satis; fortasse ex consulto non accurate determinatum fuit, quale obsequium regi praestandum esset. Honorem quidem convenientem principibus piis deferri. non detractabat Pontifex; attamen Ecclesiae dignitati et indoli non conveniebat, ut in quibuscumque adjunctis electio Pontificis Imperatoris confirmationi obnoxia esset, et etiam cum damno Ecclesiae manifesto privilegium ei vindicaretur. Supponitur in talibus privilegiis, principes esse Ecclesiae addictos et bonae voluntatis, atque tunc libenter eorum desideriis Ecclesia quid defert.

23. Quum porro tum ex optimatibus Romanis Pontificibus frequenter pericula imminerent, tum ob Imperatorum ambitionem et dominandi cupidinem parum tuta esset Ecclesia, Nicolaus sagaci consilio alios sibi conciliare studuit protectores, quorum robore Sedes Apostolica posset defendi. Profectus videlicet in Apuliam anno 1059, imprimis quidem ibidem apud Melphium celebravit synodum, in qua sub anathematis interminatione clericos ad dimittendas uxores compulit. Dein vero excepit Normannos, eosque Sedi Apostolicae confoederavit. Ipsi Pontifici reddiderunt quascumque Romanae ecclesiae terras occupaverant; Nicolaus autem eos ab excommunicatione absolvit et in gratiam Apostolicae Sedis recepit; eorum vero duces, Richardum scilicet principatu Capuano, et Robertum Apulia, (Benevento excepto), et ducatu Calabriae ac Siciliae investivit, postquam ipsi vasallorum more Romanae ecclesiae fidem suam et annuum tributum jurassent. Hoc beneficio devincti Normanni Pontifici mox grati animi vices reddiderunt; perduelles videlicet Praenestinos, Tusculanos et Nomentanos redegerunt in ordinem, et tranquillitatem in ditione pontificia restituerunt.

Normanni conciliantur

24. Versus finem anni 1059 ex mandato Pontificis s. Petrus Damiani et Anselmus episcopus Lucensis legationem susceperunt Mediolanum, ut disciplinam ecclesiasticam restaurarent. Non sine periculis ac duris laboribus, felici tamen successu, simoniam et incontinentiam clericorum saltem pro tempore castigarunt et represserunt, sub-

missionemque illius ecclesiae sub Sede Apostolica firmaverunt. — Ad instaurandam disciplinam in Gallia, Nicolaus II anno 1060 eo legavit Stephanum Cardinalem, qui in synodo apud Turones habita huic fini adlaboravit. Plures epistolas etiam Pontifex dedit ad Gervasium archiepiscopum Rhemensem, eumque hortatus est, ut lapsae disciplinae Francorum ecclesiae subveniat, moneatque Philippum I regem, ne sacris canonibus beatoque Petro resistat.

An decretum mutatum.

25. Existimant porro varii auctores, anno 1060 vel 1061 iterum in concilio Romano actum fuisse de decreto quoad electionem Pontificis. Gfrörer tenet, ea revocata fuisse quae ad privilegium Henrici IV pertinebant[1], atque etiam Damberger[2] et Hergenröther[3]) censent, in nova decreti recensione omissa fuisse ea, quae regis honorem et privilegia spectabant, etsi (ait Hergenröther) haud expresse revocata. Sed Acta illius concilii haud exstant, nec adesse dixerim argumenta solida, e quibus pateat ejusmodi immutationem factam esse. Illud quidem certum est, in Germania oppositionem quamdam ortam esse contra Nicolaum, ac si jura Imperii convellere niteretur. Sed ejusmodi difficultates potuerunt inde provocari, quod decreto jam laudato regi non ea jura tribuerentur, eaque auctoritas in electionem Pontificis, quae a curia regia et a pluribus proceribus et episcopis postulabantur. Etenim quamvis concursus quidam regi concederetur, videbatur tamen potius esse honoris, quam verae auctoritatis. — Etiam illud animos procerum Germanorum vehementius forte movit, quod protectionem s. Sedis Nicolaus commisisset Normannis, iique Italiam meridionalem ut feudum a s. Sede accepissent. Nam Imperatores quoque passim illa territoria sibi vindicabant ut partem Imperii.

26. Discussiones exortas esse, Nicolaum severius etiam monuisse Annonem archiepiscopum Coloniensem

---

[1] Gregor. VII. B. I. S. 633. [2]) B. VI. S. 604.
[3]) K. G., B. I. S. 621.

qui maximas partes habebat in administratione Imperii, in aliquo conventu praesulum Germaniae Nicolai statuta fuisse audacter rejecta, colligitur ex variis scriptoribus, quamvis adjuncta rerum vix enucleari possint. Magni momenti hac in re sunt verba s. Petri Damiani in *Disceptatione synodica* inter regis advocatum et Romanae ecclesiae defensorem [1], quam scripsit anno 1062, quum Alexandro II Cadalous antipapa oppositus esset. Regis advocatus inter alia provocat ad Nicolai decretum dicens: *Huc accedit quod praestantius est, quia Nicolaus papa hoc domino meo regi privilegium, quod ex paterno jam jure susceperat, praebuit, et per synodalis insuper decreti paginam confirmavit.* — Damianus, qua Ecclesiae defensor, non asserit, illud decretum a Nicolao aliquando revocatum fuisse, sed varias affert rationes, quare in adjunctis difficillimis electio Alexandri haud invalida fuerit ob defectum confirmationis regiae, atque inter alia etiam haec dicit: *Ecce compellis me vulgato sermone depromere, quod ob imperialis palatii reverentiam decreveram silentio praeterire, sed juxta vestrae scilicet exactionis instantiam jam proferatur in medium opus egregium vestrum, saeculis omnibus inauditum. Rectores enim aulae regiae, cum nonnullis Teutonici regni sanctis, ut ita loquar, episcopis, conspirantes contra Romanam ecclesiam, concilium collegistis, quo papam quasi per synodalem sententiam condemnastis, et omnia quae ab eo fuerant statuta, cassare incredibili prorsus audacia praesumpsistis; in quo nimirum non dicam judicio sed praejudicio, id ipsum quoque privilegium, quod regi praedictus Papa contulerat, si dicere licet, vacastis. Nam dum quidquid ille constituit, vestra sententia decernente destruitur, consequenter etiam id quod ab eo regi praestitum fuerat aboletur. Sed absit a nobis ut propter cujuslibet hominis insolentiam rex qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui juris amittat.* Pluribus adhuc illorum praesulum et aulicorum audaciam persequitur.

Difficultates in Germania.

[1] Ap. Watterich. I. 245.

Episcoporum oppositio.

27. Anselmus (II) Lucensis pariter de ista oppositione loquitur contra Wibertum L. II. *Sunt item qui objiciunt,* scribit, *Nicolaum juniorem decreto synodi constituisse, ut obeunte Apostolico successor eligeretur, et electio ejus regi notificaretur, facta vero electione, et ut praedictum est regi notificata, ita demum pontifex consecraretur. Quod si admittendum est ut ratione factum dicatur, objicimus ad hoc confutandum: praefatum regem et optimates ejus se ea constitutione indignos fecisse, primum quia postea praefatum Nicolaum Coloniensem archiepiscopum* (Annonem) *pro suis excessibus corripuisse graviter tulerunt, eumque* (Nicolaum) *hujus gratia quantum in se erat a papatu deposuerunt, et nomen ejusdem in canone consecrationis nominari vetuerunt, ideoque decretum ejus de jure irritum esse debebit, quia cum a toto orbe Papa haberetur, juxta eorumdem sententiam iisdem Papa non fuit.* — Nec minus Alexandri II et Gregorii VII adversarius, Benzo Albensis episcopus, similia refert: *Pudet dicere,* scribit, *quot et quales viros pulsarit Prandelli* (Hildebrandi) *insania per excommunicatricem linguam sui praeconis* (Nicolai II). — *Ad vindicandam vero suam aliorumque injuriam erexit se Anno Coloniensis, exquisitis adulterae nativitatis* (Hildebrandi, ita enim Benzo columniabatur) *figmentis. Communi ergo consensu orthodoxorum direxit illi excommunicationis epistolam, qua visa dolens et gemens praesentem* (Nicolaus) *deseruit vitam*[1]).

28. Ejusmodi commotio igitur versus finem pontificatus Nicolai II contra ipsum in Germania exorta est. Haud dixerim tamen eo res processisse, ut de excommunicatione ageretur, et exaggerata videntur quae ex Anselmo et Benzone modo citavimus. Sed ex parte Pontificis severiores monitiones, et ex parte praesulum plurium Germaniae protestationes vehementiores contra decreta Nicolai missae sunt, atque etiam s. Annonem in hisce partem habuisse, negari non potest. Nec censerem, decreta contra simoniam et incontinentiam praecipue excitasse hanc oppositionem; id enim cum indole s. Annonis non congruit.

[1]) Ad Henric L. VII — V. Watterich, I. p. 213.

Sed motiva politica potius huic oppositioni adfuerunt, quum Germani censerent, decretis de electione Pontificis, et foedere cum Normannis inito, jura imperii violari. Facilius autem, quum Romae res tam diu turbatae fuissent, fieri potuit, ut etiam viri insignes, sicuti s. Anno Coloniensis, ad oppositionem audacem abriperentur. Satis mirum est, in Annalibus scriptorum Germanorum illius temporis, praeter Annales Altahenses, istas turbas non referri. Forte id inde provenit, quod Nicolao morte abrepto, breviores fuerunt, quodque monachi Annalistae monerentur a superioribus, ne illam oppositionem plane injustam, cujus mox viros probos puduit, in Annales referrent [1]. Testimonia tamen quae exstant tam peremptoria sunt, ut oppositionem hanc adfuisse non possit negari; nec ea restringi potest ad quosdam aulicos plane perversos. Quum praesules Germaniae in administratione Imperii permagnas partes haberent, principia autem sana de Ecclesiae Sedisque Romanae independentia et juribus ob ultimorum temporum abusus et eventus satis obliterata essent, fieri potuit, ut episcopi quidam opinarentur, Nicolaum II privilegia Imperii subvertere, utque ita ad oppositionem incitarentur.

29. Quum Nicolaus II die 22° Julii anni 1061 Florentiae obiisset, magnae difficultates in eligendo novo Pontifice exortae sunt, et mox lugendum schisma secutum est. Multi proceres Romani Hildebrando, Cardinalibus ac fervidiori parti cleri infensi erant, maxime quod ope Normannorum ipsorum dominatio fracta erat per Nicolaum II. Hinc ducibus comitibus Tusculanis et Gerardo Galeriae comite, homine a Nicolao excommunicato, factionem constituerunt imperialem. Iis se junxerunt Guibertus cancellarius imperialis Italiae, et viri ecclesiastici laxiores, quibus exosa erant reformationis decreta, maxime Longobardiae episcopi et clerici. *Interea Longobardi episcopi*, scribit Bonizo, *rati se tempus invenisse opportunum, in simul* Mors Nicolai II.

[1]) Cfr. Gfrörer, Gregor VII. I. 635.

conveniunt auctore Guiberto, quem superius diximus cancellarium, et concilium celebrant malignantium, in quo deliberant, non aliunde se habere Papam nisi ex paradiso Italiae talemque, qui sciat compati infirmitatibus eorum[1]). In Germaniam porro ad Imperatricis aulam hujus factionis legati profecti sunt. Ex Longobardia missi sunt Placentinus et Vercellensis episcopi; Romanorum vero legationi praefuit Gerardus comes, adfuit etiam abbas monasterii ad clivum Scauri, qui forte dux fuit factionis cleri laxioris. Romanorum legati attulerunt Henrico IV insignia patriciatus[2]), ut ipse Pontificem designaret.

Alexander II. 30. Interea vero Romae seditiones et tumultus invaluerunt; quumque Hildebrandus et Cardinales perspicerent, Ecclesiae jura sperni eamque in maximum discrimen vocari, et indigni Pontificis jam instare creationem, auctoritate sua legitima usi sunt, ut eligerent Pontificem (1 Oct.). Ea in re protectione Richardi ducis Normannorum fruiti sunt. *Interea,* scribit Leo Ostiensis, *defuncto apud Florentiam Apostolico post duos et dimidium quibus Ecclesiae praefuit annos, cum maxima inter Romanos seditio coepisset de ordinando Pontifice exoriri: Hildebrandus archidiaconus cum Cardinalibus nobilibusque Romanis consilio habito, ne dissensio convalesceret, Anselmum tandem Lucensem episcopum post tres circiter menses in Romanum Pontificem eligunt eumque Alexandrum vocari decernunt, nostro Desiderio* (Cardinali et abbate Cassinensi) *simul cum principe* (Normanno) *Romam proficiscente eique in omnibus suffragante*[3]). Sed mox, quatuor videlicet post hebdomadibus, urgentibus legatis factionis adversae, in conventu imperiali Basileae habito, die 28° Octobris anni 1061 constitutus est antipapa Cadalous (Cadalhoh) episcopus Parmensis, qui nomen Honorii III suscepit. *Quod cum ad*

---

[1]) De persec. L. VI. ap. Watterich, I. 256.

[2]) Bernold. Chron. a. 1061. Watterich. I. 240; et Bonizo L. VII. ibid. I. 270.

[3]) Chronici L. III. 19. ap. Watterich. I. 252.

aures regis ejusque matris venisset, ait Leo Ostiensis, *indignatione nimia ducti, quod haec sine illorum consilio et auctoritate gesta fuissent, et ipsi nihilominus Cadaloum Parmensem episcopum ultra montes a Placentino dumtaxat et Vercellino episcopis, ipsa die festo Apostolorum Simonis et Judae in papam eligi faciunt, eumque Romam e vestigio ad impugnandam sive exordinandam ecclesiam cum valida manu militum et pecunia multa transmittunt.*[1]) Cadalous antipapa.

31. Cadalous expeditionem Romanam suscipiens aliquanto in Tuscia retardatus est per Beatricem comitissam Alexandro II addictam: sed interim misit Romam Benzonem episcopum Albensem Imperatoris asseclam, qui multis cum muneribus venit in Urbem, et partem civium Cadaloo adscivit. Is dein veniens die 14⁰ Aprilis Alexandri II (et Hildebrandi) copias devicit, et partem civitatis occupavit, dum alteram partem Alexander II teneret. Frustra s. Petrus Damiani Cadaloum a conatibus suis nefastis litteris deterruit, et Ecclesiae jura contra eum propugnavit. Mense Majo anni 1062 Godefridus dux Etruriae conatus est turbas sedare et pacem reconciliare: proposuit videlicet, ut tum Alexander II tum Cadalous in suos redirent episcopatus, et controversiae diremptio vel saltem discussio committeretur episcopis Italiae et Germaniae atque aulae Imperatricis. Alexandrum, cujus juribus Godefridus favebat, ipse eo adduxit, ut Lucam se conferret; tunc etiam Cadalous adactus est, ut cum Benzone Parmam sese reciperet.

32. Interim vehementer ardebat controversia de unius alteriusve Pontificis legitima sedis possessione; exprobrabant enim Cadaloi fautores Alexandro II ejusque parti, quod jura Henrici IV, ipsi etiam a Nicolao II asserta, Controversia de pontificatu.

---

[1]) L. c. — In Annalibus Altahensibus majoribus relata origine schismatis Cadaloi adjicitur: „Initia dolorum haec. Rex enim puer erat, mater vero utpote femina his et illis consiliantibus facile cedebat, reliqui vero palatii praesidentes omnes avaritiae inhiabant, et sine pecunia ibi de causis suis nemo justitiam inveniebat, et ideo fas nefasque confusum erat.“ Ad a. 1060. M. G. Scr. XX, 810.

penitus despecta fuerint, adeoque illegitima habenda sit Alexandri electio. Atque hoc loco jam inquirere convenit, qua ratione Hildebrandus ejusque pars in evectione Alexandri se gesserint quantum ad curiam imperialem. Dissentiunt auctores etiam nostri temporis, utrum Hildebrandus ac reliqui ejusdem tendentiae viri ecclesiastici post mortem Nicolai II cum aula imperiali egerint, ut de electione novi Pontificis convenirent ejusque consensum obtinerent. Id factum esse varii graves auctores asserunt, uti Gfrörer [1], Damberger [2], de Reumont [3], Wouters [4]. Hic e. g. scribit: „Cardinales vero ac honesti quique Romani proceres Stephanum Cardinalem legarunt ad Agnetem Augustam ejusque filium Henricum IV, cum litteris de eligendo novo Pontifice. Verum factiosi episcopos Longobardos, magna parte simoniacos aut incontinentes, nonnullos etiam episcopos Germaniae nec non aulae regiae rectores in partes suas attraxerant; ita quidem ut Stephanus legatus obstantibus ministris regiis ad colloquium regis non fuerit admissus, litterasque quas ferebat Romam retulerit.“

An legatio ad curiam imper. facta.

33. Haec vero auctores hi colligunt ex verbis s. Petri Damiani in *Disceptatione* jam laudata. Post ea videlicet verba quae superius citavimus Petrus prosequitur: *Sed ut totam inauditae calamitatis nostrae percurramus historiam, Stephanus Cardinalis presbyter apostolicae Sedis, vir videlicet tantae gravitatis et honestatis nitore conspicuus, tantis denique, sicut non obscurum est, virtutum floribus insignitus, cum apostolicis litteris ad aulam regiam missus, ab aulicis administratoribus non est admissus, sed per quinque fere dies ad beati Petri et apostolicae Sedis injuriam prae foribus mansit exclusus. Quod ille, utpote vir gravis et patiens, aequanimiter tulit, legati tamen officium quo fungebatur inplere non potuit. Clausum itaque signatumque mysterium concilii, cujus erat gerulus retulit, quia regis eum praesentari conspectibus curialium plectenda temeritas non permisit. — Unde si vellemus injuriam nostram districtius*

[1]) Gregor. VII. I. 630.
[2]) Gesch. B. VI. S. 606.
[3]) Gesch. Rom's B. II. S. 358.
[4]) Dissert. V. IV. p. 27.

persequi, jure possemus obtendere, quia vos Romanae ecclesiae vosmetipsos ipso dono privastis, qui scilicet ei praejudicii vestri gratis contumeliam intulistis. — Ille ergo irritum reddit beneficii pactum, qui prior violat amicitiae sacramentum.

34. At varii scriptores merito adverterunt, his Damiani verbis non agi de aliqua legatione, quam post mortem Nicolai II de eligendo Pontifice susceperit Stephanus Cardinalis; sed referri hic legationem, qua functus sit Stephanus adhuc vivente Nicolao, cum jam gravia dissidia cum aula imperiali essent exorta. In hac legatione igitur Stephanum contumeliosam habuisse repulsam[1]). Atque ex contextu S. Petri Damiani revera manifestum est, ipsum de tali Stephani legatione, adhuc vivente Nicolao, agere; loquitur enim *de apostolicis scriptis* ac *de decretis concilii,* quibus significat, venisse Stephanum ut de illis decretis quae indignationem in Germania provocaverant cum aula imperiali ageret. Damianus urget, eum in his repulsam passum esse, adeoque eos non posse provocare ad aliquod Nicolai pactum. Imo hoc loco satis indicat Petrus Damianus, de electione Alexandri consensum non esse petitum; nam advocato Imperatoris hoc exprobranti non respondet directe, id factum esse, sed indirecte ostendit hac de re querelam non posse proponi ab iis, qui illud Nicolai decretum recipere noluerint, quique contumeliose tractaverint paulo ante Nicolai legatum.

35. Omnibus consideratis, censemus statum rerum, quum Alexander II eligeretur, ejusmodi fuisse. Mortuo Nicolao II magna agitatio animorum statim exorta est. Maxima pars procerum, Guibertus cancellarius imperialis, episcopi Longobardi, et quidam clerici Romani laxiores, factionem efformavere potentem, atque ad aulam imperialem suos legatos miserunt, ut obtinerent Pontificem ipsis acceptum. Altera pars, Hildebrandus, Cardinales, et pars fervida cleri, facile perspexerunt, se contra illam factionem, Status rerum in electione.

[1]) Id ostendit imprimis Giesebrecht in notis ad Annales Altahenses, p. 154, nota 2, (Berolini 1841), ejusque sententiae assentiuntur Watterich I. 248. Hergenröther, K. G. I. S. 623.

quae jam agebat cum aula imperiali de creando Pontifice, omnino praevalere non posse, si eligerent Pontificem ac dein, antequam inauguraretur, consensum Imperatoris peterent. Quum enim ex iis quae versus finem vitae Nicolai II acciderant constaret, aulam ipsis esse infensam, quumque adversarii ampliora jura Imperatrici in creatione Pontificis deferrent, et suum jam proponerent candidatum, quem nullo modo admittere poterant Cardinales, haud dubium erat, fore ut electus a Cardinalibus ab aula rejiceretur, si imperialis consensus tanquam necessarius peteretur. Praeterea vero, nec tali contumeliae conveniebat sese exponere, nec concedendum erat aulae imperiali tale privilegium, ut excludere posset electum Pontificem. Rex Henricus IV dein, cui privilegium personale a Nicolao II conservatum fuerat, tunc adhuc puer erat decem annorum. Is vero proprio judicio in electione Pontificis intervenire nequibat; permitti autem non poterat, ut alii abuterentur pueritia ejus ad obtrudendum Ecclesiae Pontificem indignum.

36. Talia quum a Cardinalibus expenderentur, dilabente tempore vehementiores etiam motus Romae exarserunt, ac timendum erat, ne urgente altera factione indignus Pontifex in Germania crearetur, imo id praevideri jam poterat futurum. Tunc igitur Hildebrandus et Cardinales, quum diuturnior mora esset valde periculosa, censuerunt. Ecclesiae saluti providendum esse, ejus jura insita quoad electionem Pontificis esse vindicanda, nec in illis adjunctis difficillimis cum aula imperiali de Pontificis electione posse tractari, imo id Ecclesiae perniciosum fore. Praevenerunt igitur factionem oppositam atque imperialem aulam, eligendo Pontificem Alexandrum II. Quamvis enim conjicere possent, offensum iri Imperatricem Agnetem, tamen hac ratione, quum Pontificem certe legitimum ac dignum Ecclesiae providerent, sapienter et fortiter egerunt id quod erat ipsorum muneris. Haud censemus igitur, quod aliqui auctores tum adversi tum addicti Ecclesiae existimant, Hildebrandum occasione mortis Nicolai usum esse ex proposito, ut affirmaret et vindicaret omnimodam

Urgebat electio.

independentiam Ecclesiae in constituendo Pontifice. In aliis circumstantiis magis propitiis ipse et reliqui Cardinales haud neglexissent Imperatorem ante Pontificis electionem honore aliquo prosequi; sed difficillimis in adjunctis merito censuerunt, omnibus praehabendam esse Ecclesiae salutem, et inconsulta aula imperiali Pontificem esse eligendum. Hanc eorum mentem fuisse, colligitur praesertim ex *Disceptatione* citata s. Petri Damiani.

37. Ut dignoscatur quaenam *principia* tunc Romae, ac generatim apud ecclesiasticos qui Ecclesiae jura ac disciplinam tuebantur, praevaluerint, multum juvat advertere, quid ea occasione responderint, dum ipsis exprobrabatur, Nicolai decretum, quo Henrico IV aliquis concursus in electione novi Pontificis concedebatur, haud esse observatum. — Invenimus, imprimis eos maxime inculcasse, concursum ejusmodi nullatenus regi vel imperatori convenire tanquam ex se debitum, ac si *per se* reges illud jus haberent, ut confirmationem vel concursum in electione Pontificum sibi vindicarent. In aula imperiali videlicet talis concursus non veluti privilegium, honoris causa benigne concessum, considerabatur, sed tanquam jus conveniens regi, saltem ut patricio Romanorum, habebatur. Hinc Hildebrandus ac reliqui ejus partis observant, per se regibus in electione Romanorum Pontificum nullum jus convenire. Narratur apud Bonizonem et in alia Alexandri *Vita,* qua ratione Anno Coloniensis episcopus, quum concordiam restituere niteretur, cum Cardinalibus discusserit quaestionem. *Praefatus vero Anno nil melius cogitans, quam ut regnum sacerdotio uniretur, Italiam veniens Romam tendit Papamque convenit, cur absque jussu regis Romanum accipere ausus sit pontificatum* [1]). *Cui quum Deo amabilis*

Principia Cardinalium.

[1]) S. Anno, quum esset praepositus collegii imperialis clericorum nobilium in oppido Goslar, anno 1056 ab Henrico III creatus est archiepiscopus Coloniensis, eique praesertim filium atque Imperium Imperator moriens commendavit. Sed jam aliquot post mensibus minus gratus factus est Agneti Imperatrici, ita ut ex parte influxum in negotia Imperii amitteret. Anno 1062 tamen iterum administratio Imperii in ejus praecipue manus pervenit, et quamvis ea quae opinabatur

Hildebrandus dixisset, in electione Romanorum Pontificum secundum decreta sanctorum Patrum nil regibus esse concessum (en principium juridicum fundamentale) *et ille respondisset, ex patritiatus hoc licere sibi dignitate, mox venerabilis archidiaconus synodales objicit positiones ex Symmachi synodo, in qua interfuere CL episcopi*[1]). Vides, neque ex patriciatus Romani dignitate voluisse illud jus admittere Hildebrandum, ac si Romani proceres conferendo quomodocumque patriciatum potuissent etiam conferre jus confirmandi electionem Pontificis. Quamdiu videlicet non agebatur de aliquo privilegio ab Ecclesia concesso, nihil juris potestati laicae quoad electionem Pontificis conveniebat.

Quoad decretum Nicolai II.

38. Quando vero ad decreta Nicolai II provocabatur ab iis qui Imperatoris jura tuebantur, vario modo respondebant viri ecclesiastici. Sententia quae apud eos praevaluit est ea, quam vidimus a Petro Damiani in sua Disceptatione expositam. Videlicet immerito ad ea decreta provocari ab imperialibus, quandoquidem rejecerint omnia quae statuerat Nicolaus II, ejusque legatum non admiserint, sed indigne tractaverint. Attamen Ecclesiam non velle Henricum IV hoc privilegio privare, sed ejus honori providere. Rationes vero fuisse gravissimas, cur in electione Alexandri illa non potuerint observari: pueritiam ipsius regis, difficultates pendentes cum imperialibus eorumque manifestam hostilitatem, necessitatem cito eligendi Pontificem, ne major perturbatio oriretur[2]).

---

jura et privilegia Imperii passim ardentius propugnaret, tamen magnopere adlaboravit, ut schisma exstingueretur. In Italiam profectus est, ibique synodus Mantuae ejus praecipue opera habita, in eaque Alexander II agnitus fuit. Ex Bonizone prius Romam tetendit, sed res dubia est. Colligitur tamen ex relatione Bonizonis, quaenam principia vel argumenta proposita fuerint a defensoribus jurium Ecclesiae.

[1]) De persec. Eccl. L. VI. ap. Watterich l. c. I. 260. Cfr. *Vitam Alexandri II* ex Codice Vaticano ibidem.

[2]) Bonizo obscurius ea de re loquitur scribens: „Cumque ille (Anno) decreta Papae Nicolai objecisset, eique citissime per decretum ejusdem Papae Nicolai in quo CXIV episcopi subscripsere obviatum fuisset, rogavit praefatus archiepiscopus Dominum Papam, ut dignaretur synodum

39. Sed fuerunt etiam fervidiores, qui omnem valorem juridicum denegabant Nicolai decreto, eo quod antiquis canonibus non esset conforme. Ita s. Anselmus (II) Lucensis *Contra Guibertum L. II,* postquam disseruit de decreto Nicolai hypothetice, in ea suppositione, *quodsi admittendum est ut ratione factum dicatur,* ostenditque ipsos imperiales se indignos reddidisse privilegio concesso, jam nititur omnem vim illi decreto denegare. *His itaque decursis,* inquit, *patet praefatum decretum nullius momenti esse, nec unquam aliquid jurium habuisse. Et haec dicens non praejudico beatae memoriae papae Nicolao nec quidquam ejus honori derogo, patrum sententias Dei spiritu conditas sequendo. Homo quippe fuit, eique, ut contra fas ageret, surripi potuit. Nec mirum hoc eidem contigisse, cum quidam ipsius decessor inveniatur quiddam decrevisse et meliori usus consilio postea immutasse. Siquidem Bonifatius II legitur ex decreto constituisse, Vigilium diaconum sibi in pontificatu succedere. Quod quia Romano clero visum est canonibus adversari, praesente clero ab eodem suppositum est igni ante confessionem beati Petri apostoli. Et certe praefatus Nicolaus divino metu concussus hoc idem fecisset, si tot patrum sententias tunc in unum collectas vidisset, easque suo decreto tam concorditer adversari perpendisset*[1]. In his quidem nimium processit s. Anselmus, sed vides ex ejus verbis, quosdam severiores fuisse, qui tenebant, nihil debuisse regi concedi, ne per modum privilegii quidem, in Pontificum electione, adeoque illud decretum esse caducum. Etiam Deusdedit Cardinalis, postquam ex aliis rationibus deduxit, imperiales non posse niti Nicolai de- Quorumdam sententia.

congregare et rationem de se reddere." (L. c. Dixeris hic de variis decretis Nicolai disceptatum, vel decretum de electione potius allatum ab Hildebrando, ut probaret non esse Henrico aliquid jus determinatum concessum, sed tantum ut ei honor deferretur. Censerem tamen. Bonizonem haud accurate Nicolai decretum novisse. Jam vidimus, varias fuisse huius decreti recensiones, et interpolationis accusatos esse imperiales.

[1]) Watterich, I. 233, nota 1.

creto, pluribus probare studet, non potuisse eumdem Nicolaum ejusmodi sancire decretum, per quod relaberetur in manus principum jus super electionem sive confirmationem Romanorum Pontificum, cum tam in orientali, quam in occidentali Ecclesia, sacris Conciliorum decretis id non esse concessum laicis principibus nec in minoribus episcopatibus, jura quae citat (Conc. oec. VIII. can. 12. 22) admoneant[1]).

Conventus Augustanus. 40. Sed ad seriem eventuum redeamus. Mense Octobri anni 1062 Augustae Vindelicorum (Augsburgi), conventus habitus est, in quo Anno Coloniensis archiepiscopus orationem habuit in favorem Alexandri II multique episcopi vota sua in eum contulerunt, quin tamen controversia definita fuerit. Anno nepotem suum Burchardum (Bucconem) episcopum Halberstadiensem in Italiam misit ad rem examinandam; isque se Alexandro favere satis ostendit[2]). Alexander Romam reversus mense Aprili anni 1063 anathemate Cadaloum percussit; Parmae vero hic in Alexandrum anathema pronuntiavit. Atque aliquanto tempore schisma continuatum est. Cadalous enim Romae et in Italia factionem satis potentem habebat; in Germania vero dum Anno Coloniensis Alexandro faveret, e contra Adalbertus Bremensis archiepiscopus, qui pariter in administrando Imperio permagnas partes habebat, ad partes potius Cadaloi inclinabat. Attamen anno 1064, tempore Pentecostis, Mantuae praesente Alexandro et Annone synodus habita est, in qua Alexander II ut legitimus Pontifex agnitus et Cadalous rejectus fuit. Hujus synodi celebratio ab aliquot auctoribus exhibetur, ac si jussu Annonis facta, et a synodo veluti a suprema auctoritate causa Alexandri et Cadaloi examinata et dirempta sit. Sed manifeste Alexander II nihil juri suo cessit, nec synodi sententiae suam causam submisit, ac si ab ista synodo tanquam a judice eadem suprema auctoritate definiri posset. Tantum pacis causa annuit, ut in isto concilio Mantuano, explicatione proposita

---

[1]) Cfr. Baron. ad a. 1059. et Hergenröther K. G., I. S. 624.

[2]) Cfr. Gfrörer, II. 18.

et rejectis accusationibus quae in ipsum ferebantur, conatus ad exstinguendum schisma fieret. Neque Anno supremi judicis sibi partes arrogavit, quamvis propositis quaestionibus accuratius legitimam electionem Alexandri dignoscere niteretur, aliosque episcopos ipsi conciliare.

41. Juvabit ea citare quae de hac synodo habentur in *Vita Alexandri* ex Codice Vaticano, et quae leguntur in *Annalibus Altahensibus*. Priori loco res ita narratur: *Quibus verbis expletis* (Anno) *Papam rogavit, ut pro hac causa dignaretur in partibus Lombardiae synodum celebrare, et electionis suae factum ostendere et rationabiliter demonstrare. Quod licet inconsuetum et a Romani dignitate Pontificis videretur penitus alienum, considerata tamen instantis temporis malitia, petitioni ejus assensum praebuit et apud Mantuam synodum convocavit. Statuto itaque termino exiens ab urbe cum episcopis et cardinalibus ad praefixum locum prospere, Deo auxiliante, pervenit. Ibi enim omnes episcopi Lombardiae cum suis ecclesiarum praelatis praeter Cadaloum Parmensem, quem idem Coloniensis adesse praeceperat, et remordente conscientia se absentaverat, pariter convenerunt. Cum autem in eadem synodo cum episcopis Alexander Pontifex resideret, causam suae electionis ita discrete rationibus manifestis comprobavit, ita super omnibus quae sibi ab aemulis malitiose subjecta fuerant sufficienter se excusavit, quod episcopos Lombardiae, qui sibi fuerant adversati, benevolos reddit et sibi subjectos. Sedato itaque per Dei gratiam Imperii et Ecclesiae scandalo, post solutionem synodi et Domnus Alexander ad urbem Romam et caeteri ad propria hilares redierunt* [1]. Benizonis relatio plane similis est, nec dubitari potest, Alexandrum nihil derogasse iis quae fecit auctoritati et juribus suis, sollicitumque fuisse, ne prae ejusmodi concilio quid detrimenti caperet dignitas Apostolicae Sedis. Fieri sane potuit, ut quidam ex praesulibus praesentibus opinarentur, majorem auctoritatem concilio sibique convenire; sed tali de re non erat cur Pontifex disceptaret. Synodus Mantuana.

[1]) Ap. Watterich, I. 262.

Alexandri II gesta.

42. In Annalibus Altahensibus quidem dixeris quaedam occurrere vestigia, ut nimia auctoritas tribuatur synodo veluti alicui tribunali in Pontifices; sed si talis fuit scriptoris opinio, nihil inde potest inferri. Inter alia dicitur: *Statuerunt* (rex et principes) *apud Mantuam synodum fieri, ubi possent concurrere ambo papae, si fas est dicere, pontifices Teutoni, Romani et Longobardi. Huic decreto ambo simul, Alexander et Kadalo, libenter assentiebantur, quoniam, ut diximus, uterque de causa sua praesumebat.* Narratur dein, ad synodum in festum Pentecostes indictam, profectos esse regis jussu Annonem Coloniensem et plerosque Germaniae principes tam ecclesiasticos quam laicos, inter quos Wenzeslaum abbatem Altahensem, venisseque Mantuam. Ibi accessisse Italiae episcopos et primores plurimos. Advenisse Alexandrum, substitisse Aquae nigrae Honorium, misso ad Annonem nuntio, nisi principem tenere locum liceret, ad concilium sese minime venturum. Ejus postulata a legatis Imperatoris non esse admissa, ac propterea Cadaloum Mantuam haud venisse. *Alexander autem,* dicitur, *ad synodum promptus occurrit, quoniam regulis ecclesiasticis in omnibus semper obedire studuit.* — Feria secunda Pentecostes episcopos, principes nobilesque convenisse in ecclesia ad implorandum Dei auxilium et missae solemni interfuisse. Quo facto Alexandrum orationem habuisse de pace et concordia. „Postmodum (Alexander) proferre jussit, si qua erant dicenda." Deinde Annonem de iis dixisse, quae Alexandro crimini verterentur: pontificatum ab eo comparatum esse pretio, conservatum foedere contra regem cum Normannis icto. — De simonia Pontificem se purgasse jurejurando: invitum se ab iis, quorum antiquitus id juris esset, promotum. De foedere regem ipsum, Romam quum advenisset, optime perspecturum quam esset insons. Quibus quum omnes satis esse factum dixissent, Honorium, communi suffragio rejectum, Alexandrum tanquam Pontificem Romanum agnitum esse et proclamatum. Postridie quum praeter Annonem omnes iterum in ecclesia convenissent, facto in urbe tumultu Cadaloi asseclas strictis gladiis irrupisse in ecclesiam, opprobriis

Alexandrum petentes mortemque minantes. Patres omnes relictis sedibus aufugisse, solum fere Alexandrum non cessisse loco, *adjurante et consiliante illi Wenzlao venerabili abbate, qui usum Longobardorum jam didicerat plene, quia multa verbis audacter minari soleant, quae tamen opere adimplere nullatenus audent. Quod et hic eodem modo accidit, quia mox, ut Beatrix, uxor Gotefridi ducis, templum cum suis intravit, omnis ille tumultus et fragor bellicus in momento et, ut ita dicam, in ictu oculi deficiens cessavit. Sicque reliquis duobus diebus cum pace ordinatis, quae ordinanda erant, Alexander papa Romam regreditur. Reliqui omnes ad propria revertuntur* [1]).

43. Videtur itaque de violato decreto Nicolai in concilio Mantuano vix disceptatum fuisse; forte jam satis in conventu Augustano ista accusatio refutata fuerat et quaestio eliquata. Alias tantum quasdam accusationes Alexander facile diluit. Praesedit autem synodo, et tantum obsequio quodam quaesita explanavit, haud vero se subjecit sententiae concilii ut tribunalis superioris. Id ipse initio suae orationis prudenter insinuat. „Nostis quidem, inquit, filii carissimi, si accusatores mei veraces vellent esse vel videri, modo deceret eos, sicut me, adfore in praesenti. *Quibus tamen non cogerer nisi mea sponte respondere, quia cuncti novimus, justum non esse, discipulos magistrum accusare vel judicare.* Attamen nunc, ne sancta Dei Ecclesia scandalum habeat super me, testor et juro per hunc, quem colimus adventum Spiritus sancti, quia conscientiam meam nunquam simoniaca haeresi commaculavi, sed me reclamantem et renitentem traxerunt, et in Sede apostolica invitum statuentes consecraverunt.“ [2]) — Cadalous etiam post

Vindicat auctoritatem suam.

[1]) M. G. Scr. XX. 814. — Synodus Mantuana quo anno celebrata fuerit disputant eruditi. Sed recentiori tempore graves auctores jam conveniunt, eam anno 1064 habitam esse. Rationes evolvit Hefele, C. G. B. VI. §. 564.

[2]) M. G. Scr. XX. l. c.

concilium Mantuanum schisma, Parmae residens, continuavit, quum in Italia et in Germania adhuc ei quidam faverent; defunctus autem est Parmae anno 1071 vel 1072.

Disciplinae restauratio.

44. Interim Alexander II praedecessorum vestigiis insistens egregie Ecclesiam gubernavit, ac tum per epistolas, tum per legatos missos, tum per synodos celebratas, in Italia, Gallia, Germania, Hispania, doctrinae et disciplinae servandae et restaurandae sedulo adlaboravit, et non minus vitia clericorum, simoniam et incontinentiam, quam relaxationem morum inter laicos strenue impugnavit. Praecipui ejus adjutores fuerunt s. Petrus Damianus et Hildebrandus archidiaconus, qui consilio suo et vigore in omnibus praesto fuit Pontifici. — In ecclesia Mediolanensi funesta divisio continuabat, quum maxima cleri pars restaurationi disciplinae resisteret. S. Arialdus presbyter, qui annis prope decem cum Ludolfo ejusque fratre Herlembaldo, nobilibus laicis, contra simoniacos et incontinentes clericos decertarat, anno 1066 ab adversariis necatus est. Invaluit tamen pars sanior clericorum ac laicorum et Patariae confoederatio, et anno 1067 Alexander II Mediolanum legavit Mainardum episcopum Silvaecandidae et Joannem R. E. Cardinalem presbyterum. Hi quae antea a s. Petro Damiano statuta fuerant confirmarunt, aliaque ad exstirpandam incontinentiam et simoniam praescripserunt. Sed quum Guido archiepiscopus jam senio confectus de sede abdicanda ageret, et aliquanto post anno 1071 obiret, de successore iterum magnae lites exortae sunt. Canonica enim electione a parte sana Mediolanensis ecclesiae, praesentibus legatis Pontificis, electus fuit Atto nobilis clericus illius ecclesiae, vir insignis virtutibus. Sed jam antea Guido in successorem destinarat Godefridum subdiaconum, ipsius amicum; eum Henricus IV larga soluta pecunia nominaverat, laxiorque Mediolanensium pars postulabat. Varios post tumultus ab hac parte excitatos in concilio Romano Atto confirmatus est, Godefridus autem excommunicatus. Sed tum ob hanc causam, tum ob alia motiva ultimis Alexandri annis difficultates acriores cum aula imperiali exortae sunt.

45. In Germania videlicet sub Henrico IV interim res civiles et ecclesiasticae in tetrum statum adductae sunt. Reliquerat, uti vidimus, Henricus III moriens anno 1056 quinquennem filium suum sub tutela Agnetis matris. Post paucos annos (a. 1062) principes et praesules Germaniae, aegre ferentes muliebre imperium et arrogantiam Henrici episcopi Augustae Vindelicorum, qui Imperatrici a consiliis erat et, falso quidem, nimiae cum ipsa familiaritatis arguebatur, amota Agnete regis institutionem et regni administrationem commendarunt praecipue s. Annoni archiepiscopo Coloniensi. Agnes Imperatrix rerum terrenarum pertaesa in monasterium primum Fructuarense in Burgundia, ac dein anno 1064 Romam se recepit, ubi sub directione s. Petri Damiani piissimam duxit vitam. Sed Anno recusare haud potuit, ut in imperio gubernando atque etiam in educatione Henrici sese ei adjungeret potentissimus archiepiscopus Bremensis Adalbertus, vir qui in rebus saecularibus quidem apprime versatus erat, sed nimiae in regem puerum indulgentiae. *Educatio regis*, scribit Lambertus Hersfeldensis ad a. 1063, *atque ordinatio omnium rerum publicarum penes episcopos erat, eminebatque inter eos Moguntini et Coloniensis archiepiscoporum auctoritas. A quibus quum in partem consilii Adalbertus Bremensis archiepiscopus assumptus fuisset, tum propter claritatem generis, tum propter aetatis atque archiepiscopatus praerogativam, ille saepius colloquendo, obsequendo etiam atque assentando, ita sibi regem brevi devinxerat, ut caeteris episcopis posthabitis, totus in eam inclinaretur, et ipse in regno communi paene monarchiam usurpare videretur. Secundas post eum partes regebat Werenher comes, juvenis tam ingenio quam aetate ferox. Hi duo pro rege imperitabant, ab his episcopatus et abbatiae, ab his quidquid ecclesiasticarum, quidquid saecularium dignitatum est, emebatur, nec alicui cuiquam, licet industrio et egregio viro, spes adipiscendi honoris illius erat, quam ut hos prius ingenti profusione pecuniarum suarum redemisset* [1]).

Status rerum in Germania

[1]) Indignae collationis episcopatuum Lambertus ad a. 1065 duo haec refert exempla. Mortuo in peregrinatione Hierosolymitana Gun-

Henrici IV mores.

46. Rex quidem anno 1066 a proceribus Tribure congregatis ad dimittendum Adalbertum et recipiendum Annonem coactus est. Sed quum adolescentiam Henricus ingrederetur, effrenae libidinis passioni sese tradidit. Uxorem quidem duxit anno 1066 Bertham nobilissimam virginem, Ottonis ducis Susae filiam, quam infantulam ipsi puero jam desponsaverat pater. Sed conjux fuit ei invisa, ac post tres annos dissolutionem matrimonii conatus est obtinere. Eam illibatam remansisse asseruit, et se *incertum quo fato, quo Dei judicio,* consuetudinem cum ea non posse habere, adeoque matrimonium ratum quidem, sed non consummatum, dissolvi petiit. Aliqui episcopi, praecipue Moguntinus, jam eo inclinabant ut regi cederent, sed Româ missus est s. Petrus Damianus ad hoc negotium tractandum, isque increpatione et comminatione severa Henricum a conatu nefasto deterruit. Caeterum vero rex non destitit pravas suas sequi cupiditates, Ecclesiae munera et beneficia indignis pecunia recepta conferre, suos autem subditos, maxime Saxones, dure opprimere. Adalbertus Bremensis mortuus est anno 1072,[1]) et quum brevi tempore Anno res in

---

thero dignissimo Babenbergensi episcopo. „successit ei in episcopatu Herimannus vicedominus Moguntinus, qui in eadem Hierosolymitana peregrinatione constitutus, dum eum invalescente morbo ad exitum urgeri videret, legationem praemisit ad necessarios suos, quibus patria excedens suae rei familiaris dispensationem delegaverat, petens, ut sibi ad episcopatum quaqua possent ratione aditum patefacerent; quod et sedulo fecerunt profuso in coëmptionem ejus argenti et auri inaestimabili pondere . . . . Arnolphus Wormatiae episcopus, vir pontificalis modestiae et sanctitatis, migravit ad Dominum, successitque ei Adelhero monachus, ex monasterio sancti Galli, frater Rudolphi ducis, uno pede omnino debilis, vir per omnia dignus spectando. Erat enim fortitudinis magnae, edacitatis nimiae, crassitudinis tantae quae aspicientibus horrorem magis incuteret, quam admirationem, nec ita centimanus gigas aut aliud antiquitatis monstrum, si ab inferis emergeret, stupentis populi oculos in se atque ora converteret."

[1]) „Morbo et aetate exhaustus, scribit Lambertus, cum diu per exquisitissimas medicorum operas morti obluctatum fuisset, quasi naturam arte eludere posset, mediante Quadragesima, XVI calendas Aprilis, debitum conditioni persolvit et pertinacibus odiis hominum, quod nunquam potuerat vivendo, tandem aliquando satisfecit moriendo. Erat

regno restituisset, Henrici IV aegre ferens ineptam agendi rationem atque libidinem, petiit (a. 1073) ut ex negotiis ob senectutis gravamen se recipere posset. „Coloniensis archiepiscopus, scribit Lambertus ad a. 1073, offensus his quae plurima praeter aequum et bonum fiebant in palatio, petiit a rege, vacationem deinceps dari sibi a rerum publicarum administratione, causatus in senium jam vergentem aetatem, et laboriosis regni negotiis minus minusque in dies sufficientem. Quod rex haud difficulter annuit, quia pravis libidinibus suis et juvenilibus ineptiis jamdudum animadverterat eum graviter offendi, et plerumque, quantum salva regia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo ubi se in sua recepit, rex tanquam a severissimo paedagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnis temperantiae et modestiae frenis, praecipitem se dedit, montes omnes colliculosque Saxoniae et Thuringiae castellis munitissimis exstruxit, praesidiumque imposuit. Quibus quum victui necessaria minus sufficerent, permisit ut ex proximis villis et agris hostili more praedas agerent, et ad ipsa castella munienda circumquaque manentes cogerent et impensis affatim convectare, et per se ipsos servili manu desudare."

47. Quum vero Romam perlata essent Henrici facinora multiplicia, ultimo vitae suae tempore Alexander II malis obvenire statuit. Atque synodum *in Quadragesimae diebus* anno 1073 Romae habuit, *in qua hortatu Imperatricis quosdam regis consiliarios volentes eum ab unitate Ecclesiae separare publice dominus Papa excommunicarit* [1]. Imo Pontifex ipsum Henricum IV regem, datis Annoni archiepiscopo Coloniensi litteris *vocat ad satisfaciendum pro simoniaca haeresi aliisque nonnullis emendatione dignis*, Pontificis acta in Henricum.

plane vir admirandae compunctionis, et potissimum dum salutarem Deo hostiam immolaret, totus in lacrymas effluebat. Virgo quoque (ut ferebatur) ab utero matris permanebat. Sed has in ea virtutes nimium in oculis hominum morum insolentia et jactantiae levitas offuscabant." (Ad a. 1072). — Dixeris, aliis in locis Lambertum nimis severe de Adalberto esse locutum.

[1]) Bonizo, de persecut. L. VI. ap. Watterich, I. 269.

quae de ipso Romae fuerant audita [1]). Sed paulo post, die 23 Aprilis, *in natali s. Georgii b. Alexander spiritum coelo reddidit* [2]).

Simoniae consuetudo.

48. Ut vero intelligatur accuratius qualis fuerit rerum status in Germania quoad simoniam, praeter ea quae diximus advertere juvat, adeo usum et consuetudinem solvendi pretium in adipiscendis ordinibus vel beneficiis ecclesiasticis radices egisse, ut etiam viri insignes istis abusibus implicati fuerint. Narrat Lambertus, anno 1070 episcopos Moguntinum, Coloniensem, et Babenbergensem a Pontifice evocatos Romam venisse. Episcopum Babenbergensem, de simoniaca episcopatus acquisitione accusatum, veniam obtinuisse [3]). „Moguntinus archiepiscopus, scribit, se episcopatu abdicare atque in otium privatae conversationis secedere magnopere cupiebat: sed tam Romani Pontificis auctoritate, quam eorum qui praesentes erant maturioribus consiliis, vix et aegre abductus est a sententia. Omnes in commune acerbe objurgati quod sacros ordines per simoniacam haeresim venderent et ementibus indifferenter communicarent manusque imponerent. Tandem accepto ab eis jurejurando, quod haec ulterius facturi non essent, in sua cum pace dimissi sunt.“ — Ex his igitur colligere licet, consuetudine inolita factum, ut viri etiam insignes bona quadam fide in collatione

---

1) Ekkehardi Chron. univ. a. 1073 ap. Jaffé. Regesta Alexandri II ad a. 1073 n. 3530.

2) Bonizo l. c., ap. Watterich, I. 270.

3) Lambertus asserit, eum multis muneribus Pontificis mentem efferatam demulsisse; sed caute accipienda haec sunt, nam Lambertus, cujus animum lites de pontificatu inter Alexandrum et Cadaloum habitae aliquantisper exacerbarant, passim severius de Romanis loquitur. „Ibi episcopus Babenbergensis accusatus, quod per simoniacam haeresim, data pecunia episcopatum invasisset, multa et pretiosa munera Papae dedit, et per haec efferatam adversum se mentem ejus ad tantam mansuetudinem reduxit, ut qui non sine periculi honoris et gradus sui evasurus putabatur, non solum impunitatem criminis quod objectum fuerat, consequeretur, sed etiam pallium et alia quaedam archiepiscopatus insignia a sede Apostolica pro benedictione perciperet.“

ordinum et beneficiorum quae iis juncta erant, simoniam committerent. Etenim s. Anno, vir severus, non ea perpetrasse censendus est, quae ipse ut simoniaca considerabat. Nec id supponi posse videtur quoad Sigefridum archiepiscopum Moguntinum. Hic enim, qui antea fuerat monachus et abbas Fuldensis, erat quidem animi inconstantis ac destitutus robore cordis; caeterum vir probus et bonus. Et quoad complures episcopos et clericos quae ad simoniam pertinent ita se habuisse censerem. Sed eo magis necessarium erat, ut Pontifices providerent, ne ejusmodi labes persisteret et Ecclesiam penitus pervaderet.

49. Etiam quod ad disciplinam monasticam attinet, mitigatio quidem disciplinae invaluerat, et quum ex familiis nobilium filii postgeniti ac filiae passim ad vitam monasticam destinarentur, non satis attenta vocatione ad ejusmodi statum, inde varia incommoda provenere. Generatim tamen pietas in monasteriis florebat, sed ex quorumdam relaxatione multi mala fama aspergebantur. Rerum conditionem satis illustrant quae ingenuo stylo Lambertus ad a. 1071 scribit. „Hoc anno Coloniensis archiepiscopus, expulsis de Salefelt canonicis, vitam illic instituit monasticam, missis eo de Sigeberg et de sancto Pantaleone monachis. Quo in tempore et ego illuc veni conferre cum eis de ordine et disciplina monasterialis vitae, eo quod magna quaedam et praeclara de illis vulgi opinione jactarentur. Denique, sicut vulgo assiduitate vilescunt omnia, et popularium animi, novarum rerum avidi, magis semper stupent ad incognita: nos quos usu noverant, nihili aestimabant, et hos quia novum inusitatumque aliquid praeferre videbantur, non homines, sed angelos, non carnem, sed spiritum arbitrabantur. Et haec opinio principum quam privatorum mentibus altius pressiusque insederat. A quibus ad populum derivatus rumor, tantum terroris plerisque in hac regione monasteriis injecit, ut ad ingressum illorum, alias triginta, alias quadraginta, alias quinquaginta monachi anterioris vitae metu scandalizati, de monasteriis abscederent satiusque ducerent, de salute animae in saeculo periclitari, quam supra virium suarum

Disciplina monastica.

mensuram vim facere regno coelorum. Et revera non immerito Dominus super nostrates monachos despectionem effundere videbatur. Nam quorumdam pseudomonachorum privata ignominia nomen monachorum vehementer infamaverat, qui omisso studio divinarum rerum, totam operam pecuniis et quaestibus insumebant. Hi pro abbatiis et episcopatibus aures principum importune obtundebant, et ad honores ecclesiasticos non via virtutum (ut majores nostri consueverant), sed per ambitionis praeruptum et male partarum pecuniarum profusionem grassabantur. Denique in coëmptionem exigui honoris aureos montes quotidie promittebant, saecularesque emptores largitionis suae immoderantia excludebant, nec venditor tantum audebat exposcere, quantum emptor paratus erat exsolvere. Mirabatur mundus, unde tantus pecuniarum scateret fluvius, unde Croesi et Tantali opes in privatos homines congestae fuissent, et eos potissimum homines, qui crucis scandalum et paupertatis titulum praeferrent et praeter simplicem victum et vestitum nihil rei familiaris habere se mentirentur. Ista dominici agri zizania, haec vineae Dei arida sarmenta et stipula aeternis ignibus praeparata, totum sacri gregis corpus quasi tabe quadam infecerant, et secundum Apostolum modicum fermentum totam corruperat massam, ita ut omnes similes aestimaremur, nec esse in nobis putaretur qui faceret bonum, non esse usque ad unum. Propter hoc principes regni ad instituendam in Galliis divini servitii scholam, transalpinos monachos evocabant, nostrates autem quicumque in illorum instituta ultro incedere noluissent, de monasteriis cum ignominia ejiciebant. Ego tamen, ut praedixi, ad eos veniens et per XIV hebdomadas apud eos partim in Salefelt partim in Sigeberg commoratus, animadverti nostras, quam illorum consuetudines, regulae sancti Benedicti melius congruere, si tam tenaces propositi tamque rigidi paternarum nostrarum traditionum aemulatores vellemus existere." — Quantopere vero eo tempore incontinentia sacerdotum in Germania et Gallia sese extenderit superius jam diximus, eamque rem inferius denuo tangemus.

50. Superest ut commemoremus, versus finem pontificatus Alexandri II, reconciliatos cum ipso et ad honores ulteriores promotos fuisse duos homines, qui postea Gregorio VII infensissimi fuerunt adversarii. Alter fuit *Hugo Candidus* Cardinalis, alter *Guibertus*, qui usque ad a. 1063 cancellarius Italiae et Cadaloi protector fuerat. Hugo Candidus ex Romerici monte (de Remiremont), uti alii quidam Lotharingii, sub Leone IX Romam venerat suasu hujus Pontificis, et a Leone Cardinalis creatus erat. Vir erat in negotiis gerendis versatus, sed ambitione plenus, et tempore Nicolai II a Pontifice defecit ad partes imperiales. *Hujus quoque praefati Pontificis tempore*, scribit Bonizo, *Hugo Candidus Cardinalis Romanus .... a Romanae ecclesiae recessit societate. De cujus morum perversitate melius est silere quam pauca dicere, sed ut brevius cuncta perstringam, qualis fuit oculis, talis fuit factis. Ut enim habuit retortos oculos, ita ejus retorta fuere facta* [1]). Aliquanto post tamen, scilicet anno 1068, se cum Pontifice reconciliavit. *Eodem tempore Hugo Candidus*, ait Bonizo, *post multas miserias et varias quas sub Cadaloo passus est, tandem ad venerabilem Papam veniens, veniam petiit et impetravit, cumque ad Hispaniam legati fungens officio mitteretur, quidquid aedificabat, iterum dissipabat. Nam simoniacos primum quidem validissime persequebatur, postea vero accepta pecunia reconciliabat; quod dum compertum Romae fuisset, eum ab Hispanis statim revocant et Romae habitare praecipiunt, hanc in eum humanitatem ostendentes praecipue reverentia ordinatoris ejus, beati scilicet Papae Leonis* [2]). Pervenit tamen Hugo iterum ad influxum et honorem majorem, et in electione Gregorii VII magnas habuit partes. Sed paulo post a Gregorio VII defecit.

Hugo Candidus et Guibertus.

51. Guibertus, uti diximus, cancellarius imperialis Italiae fuit et antipapam promovit Cadaloum, cum quo jam convenerat ut ei in episcopatum Parmensem succederet. Sed spe frustratus est, quum Cadalous Roma depulsus

---

[1]) De persec. L. VI. ap. Watterich. I. 212.

[2]) L. c. p. 265.

episcopatum suum Parmensem conservaret; imo anno 1068 Guibertus etiam munere cancellarii privatus est eique suffectus Gregorius Vercellensis episcopus. Postea vero Guibertus dimisit partes Cadaloi, et quum hic anno 1072 defunctus esset, episcopatum Parmensem obtinere studuit. Eo quidem non pervenit, sed majora assecutus est protectione Imperatricis Agnetis; et quod satis mirum, suasu quoque Hildebrandi Alexander II virum istum ad plenam reconciliationem admisit et honoribus auxit. Jam Bonizonis narrationem audiamus: *Interea,* scribit, *Parmensis Guibertus Parmensem mirabiliter ambiebat episcopatum. Nam adiens regem* (post mortem Cadaloi) *multis precibus muneribusque satagebat, ut sibi daretur episcopatus; quod quum impetrare non valuisset, omnibus tam propinquis suis, tam extraneis, tam majoribus quam minoribus, tam clericis quam laicis omnino contradicentibus, ad Imperatricem se contulit. Forte ea ibi aderat his diebus, eaque interveniente Ravennatem accepit episcopatum. Parmensis vero cuidam Everardo Coloniensi clerico traditur. — Praefatus vero Guibertus veniens Longobardiam, Ravennam intravit multitudine gravi, et in magno, ut sui moris est, potentatu. Et non post multos dies in quadragesimae diebus* (a. 1073) *Romam venit causa consecrationis . . . Praefatus vero Guibertus veniens Romam, habens secum Dionysium Placentinum episcopum, ante multos annos ab eodem Papa depositum, ovina simulata indutus simplicitate, multos decepit, et praecipue Deo amabilem Hildebrandum. Is cum saepenumero Papam rogasset, uti ei manum imponeret, et ille nollet acquiescere, spiritu prophetiae plenus fertur dixisse: Ego quidem jam delibor, et tempus resolutionis meae instat, tu vero ejus senties acerbitatem. Quod et eventus postea declaravit*[1]).

Hildebrandi scopus. 52. Ea sane se offert quaestio, quomodo Agnes Imperatrix et Hildebrandus illi homini tantum praestiterint favorem. Videntur sperasse, decepti simulatione Guiberti, fore ut ipse plane ad meliorem frugem conversus, magnae utilitati esset Ecclesiae. Hinc virum ingenio pollentem

[1]) Bonizo, de pers. L. VI. ap. Watterich. I. 268.

beneficiis sibi devincire conati sunt, ut Ecclesiae addictus etiam apud Imperatorem salutarem exerceret influxum contra alios consiliarios, qui eo tempore Henricum IV ad funestam tyrannidem in Ecclesiam et subditos incitabant[1]. Ob rationes similes dixeris etiam Hugonem Candidum ultimo tempore Alexandri II iterum honorifice habitum fuisse. — Sed nimium istorum hominum corda ambitio corruperat, ita ut pro bonis redderent mala, et brevi post atroces fierent adversarii Gregorii VII.

II.

De Pontificatu S. Gregorii VII.

53. Statim post mortem Alexandri II Hildebrandus, archidiaconus Romanae ecclesiae, quum in exequiis defuncti Pontificis occuparetur, unanimi consensu in successorem illius electus est. Ex basilica Lateranensi, ubi sepulturae traditus erat Alexander, Hildebrandus a Cardinalibus ac reliquo clero et populo invitus ad ecclesiam s. Petri ad Vincula deductus fuit, atque ibidem more consueto canonica electio peracta est. Id enim legitur expressis verbis in commentario electionis ab ecclesiae Romanae notario statim descripto, ex quo etiam eruitur, electionem factam esse die 22 Aprilis (die lunae) anni 1073; adeoque errasse Bonizonem dum scripsit, Alexandrum II in festo s. Georgii (die 23 Aprilis) mortuum esse. Documentum illud electionis hujusmodi est: *Regnante Domino nostro Jesu Christo, anno clementissimae Incarnationis ejus MLXXIII, Indictione et luna XI, X Kalendas Maji, feria II, die sepulturae domini Alexandri bonae memoriae II Papae, ne sedes Apostolica diu lugeat proprio destituta pastore, congregati in basilica beati Petri ad Vincula nos sanctae Romanae catholicae et apostolicae ecclesiae cardinales, clerici, acolythi, subdiaconi, presbyteri, praesentibus venerabilibus episcopis*

Electio Gregorii VII.

[1]) V. Hefele, C. G. IV. §. 568.

et abbatibus, clericis et monachis, consentientibus plurimis, turbis utriusque sexus et diversi ordinis acclamantibus, eligimus nobis in Pastorem et summum Pontificem virum religiosum, genuinae scientiae, prudentia pollentem, aequitatis et justitiae amatorem praestantissimum, in adversis fortem, in prosperis temperatum, et juxta Apostoli dictum bonis moribus ornatum, pudicum, modestum, sobrium, castum, hospitalem, domum suam bene regentem, in gremio hujus matris ecclesiae a pueritia satis nobiliter educatum et doctum, atque pro vitae merito in archidiaconatus honorem usque hodie sublimatum, Ildebrandum videlicet archidiaconum, quem amodo et usque in sempiternum et esse et dici Gregorium Papam et Apostolicum volumus et approbamus. — Placet vobis? Placet. — Vultis eum? Volumus. — Laudatis eum? Laudamus. — Acta Romae, X. Kal. Maii, Indictione XI[1]. — Apud Bonizonem aliosque scriptores legitur, Hugonem Candidum Cardinalem in ecclesia Lateranensi fervore quodam peculiari promovisse electionem et proclamationem Hildebrandi in Pontificem. Quum jam videret omnium vota in eum conferri, vir ambitione plenus sed anteactis suspectus, forte hac ratione suis prospicere conatus est commodis, dum magnum ardorem in promotione Hildebrandi manifestavit.

Legatio ad Henricum.

54. Gregorius VII die Pentecostes (22 Maii) presbyteratus ordinem suscepit, sed non nisi die festo sanctorum Petri et Pauli in Pontificem consecratus est. Morae ratio fuit, quod nuntiis et litteris missis cum Henrico rege de consensu in electionem ageretur. Ex Bonizone enim colligitur, Gregorium per epistolam electionem regi annuntiasse, imo studuisse, ut denegato regis consensu pontificatum declinare posset. Quaerens videlicet evitare sublimis muneris pericula, *non aliud invenit, quam ut regi suam notificaret electionem et per eum, si posset, sibi papale impositum onus devitaret. Nam missis ad eum continuo litteris, et mortem Papae notificavit, et suam ei electionem denuntiavit, interminatus, se si ejus electioni assensum praebuisset,*

[1] Ap. Watterich, I. 293

nunquam ejus nequitiam patienter perlaturum [1]). — Dubium tamen videtur, an expressis verbis Gregorius hac ratione ad Henricum scripserit. Forte modo generali asseruit, se Ecclesiae jura et disciplinam sedulo tuiturum esse.

55. Accuratius quae in aula imperiali acciderint discimus ex coaevo scriptore Germano Lamberto Hersfeldensi ad a. 1073. — „Alexander papa, scribit, qui et Anshelmus, decessit. Cui Romani protinus inconsulto rege successorem elegerunt Hildebrandum, sacris litteris eruditissimum et in tota Ecclesia, tempore quoque priorum Pontificum, omnium virtutum genere celeberrimum. Is quoniam zelo Dei ferventissimus erat, episcopi Galliarum (sc. Galliae et Germaniae) protinus grandi scrupulo permoveri coeperunt, ne vir vehementis ingenii et acris erga Deum fidei districtius eos pro negligentiis suis quandoque discuteret. Atque adeo communibus omnes consiliis regem adorti orabant, ut electionem quae ejus injussu facta fuerat, irritam fore decerneret, asserentes, quod nisi impetum hominis praevenire maturaret, malum hoc non in alium gravius quam in ipsum regem redundaturum esset [2]). Statim rex a latere suo Eberhardum comitem misit, qui Romanos proceres conveniens causam ab eis sciscitaretur, quare praeter consuetudinem majorum rege inconsulto Ecclesiae pontificem ordinassent, ipsumque si non idonee satisfaceret, illicite accepta dignitate abdicare se praeciperet. Is veniens Romam benigne a praedicto viro susceptus est. Cumque illi mandata regis exposuisset, respondit, se Deo

Lamberti relatio.

---

[1]) De persec. L. III. ap. Watterich, I. 309.

[2]) Etiam Gregorium Vercellensem episcopum Italiae cancellarium obstitisse, ne Gregorii electioni Henricus IV consentiret, eruitur ex epistola Guilelmi Abbatis Metensis ad Gregorium electum. „Unde, scribit, et ille diabolus Vercellensis cum suis complicibus elaborat, ut tu in sede non debeas confirmari, metuens miser, ne illo zelo tuo quo in hostes Ecclesiae exardescere soles, nunc ejus flagitia, ejus dedecora, ejus debeant probra damnari. Verum omnibus bonis eo ipso plus places, quo pessimis displices; quia non leve vel minimum est testimonium probitatis, displicuisse filiis iniquitatis.“ Ap. Mabillon, Analecta. T. I. p. 455. M. G., Script. XII. 172.

teste honoris hujus apicem numquam per ambitionem affectasse, sed electum se a Romanis et violenter sibi impositam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem, cogi tamen nullo modo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec in electionem suam tam regem quam principes [1] Teutonici regni consensisse, certa legatione cognosceret; hac ratione distulisse adhuc ordinationem suam, et sine dubio dilaturum, donec sibi voluntatem regis certus inde veniens nuntius intimaret. Hoc ubi regi est renuntiatum, libenter suscepit satisfactionem, et laetissimo suffragio ut ordinaretur mandavit." — Attulit regis consensum Gregorius Vercellensis. *Rex illico misit*, ait Bonizo, *Gregorium Vercellensem episcopum Italici regni cancellarium, qui ejus electionem firmaret et ejus interesset consecrationi.*

Gregorii modus agendi. 56. Ea hoc loco sese quaestio offert, quomodo quae Gregorius hac in re gessit, cohaereant cum suis principiis de Ecclesiae dignitate et independentia, et quaenam fuerint motiva Henrici IV, ut confirmaret electionem illius, quem sciebat Ecclesiae jura et disciplinam magno cum fervore tueri. — Ad primam quaestionem quod attinet, Papencordt [2], et Damberger [3] inficiantur, a Gregorio VII revera Henrico IV suam electionem nuntiatam fuisse eo scopo, ut eam consensu suo firmaret. Contendit l. c. Damberger, illico quidem urbanitatis gratia, uti aliis principibus, ita et Henrico a Gregorio nuntiatam fuisse suam electionem, haud vero quod ipsi aliquod jus confirmationis tribuisset: et quod petierit ut consensus denegaretur, fabulam esse Bonizonis. — Attamen etsi forte quoad hanc petitionem quaedam sit apud Bonizonem exaggeratio, nulla est ratio cur caetera, quae auctores coaevi et graves, Bonizo et Lambertus, referunt, negentur.

57. Gregorius quidem tenebat, jus confirmationis nullatenus per se regi convenire, sed agebat secundum men-

[1] *Principes* certe eatenus tantum, quatenus regis consiliarii erant; conditio consensus erat enim privilegium personale Henrici IV.

[2] Gesch. d. Stadt Rom. S. 208. n. 2.

[3] B. VI. S. 797.

tem illius Nicolai decreti, cujus auctor magna parte ipse fuerat. Nec enim censemus illud decretum unquam revocatum fuisse. Quamvis igitur Gregorius jura Ecclesiae magnopere tueretur, tamen, uti erat vir qui prudentiam cum vigore jungebat, existimabat, per modum privilegii merito quid Imperatori regive hac in re fuisse concessum. Et quemadmodum Petrus Damianus, ita et ipse censebat, convenire ut ab Ecclesia si id sine gravi incommodo fieri poterat, honor ejusmodi ac privilegium regis observaretur. Jam vero eo tempore res erant satis pacatae, et utile videbatur, ut concordia cum rege conservaretur. — Gregorius autem quum nullatenus sublimem illam dignitatem desiderasset, et formidaret luctam quam praevidebat facile cum rege exarsuram, probabile est, eum in epistola ad Henricum aperte sua principia proposuisse, atque etiam insinuasse, paratum se esse alii locum cedere, si canonica electione alter qui regi magis gratus esset Pontifex crearetur. Summam igitur eorum quae tum Lambertus tum Bonizo referunt veritate niti censemus.

Henrici scopus.

58. Ad alteram quaestionem quod attinet, duplex hujus facti explicatio apud graves auctores invenitur prolata. Censet Gfrörer, eo tempore jam Henrico IV propositum fuisse, ut sacerdotium penitus subjugaret Imperio, ita quidem ut Imperatori vindicaret Romani Pontificis creationem; titulum autem, dignitatem et privilegia Imperatoris cum successione in stirpe sua, eum voluisse arripere sine interventu Romani Pontificis. Praevidebat vero, non sine lucta vehementi eum perventurum esse ad ejusmodi subordinationem Ecclesiae obtinendam. Quum igitur videret episcopos oppositos Hildebrando, eo quod sibi timerent ob notam ejus constantiam in vindicandis Ecclesiae canonibus, ratus est, tempus opportunum venisse ad luctam illam provocandam. Existimabat, brevi futurum, ut inter Hildebrandum et Germaniae Galliaeque praesules lites vehementes orirentur, atque tunc simul cum episcopis se facile eo perventurum esse, ut pontificatum Romanum penitus sibi submitteret, Imperiumque juxta theoriam suam

fundaret[1]. — Alii tamen existimant, Henricum, quum anno 1073 ob Saxonum rebellionem Germaniae res jam satis turbatae essent, non ausum esse, ut sese opponeret electioni Hildebrandi. Is praeterea aperte ostendebat, haud sibi in animo esse, ut Henrici privilegia laederet, dum consensum ejus ad electionem factam peteret, idque fortasse eo magis regi gratum erat, quod in Alexandri II electione res aliter processissent. Etiam in aliis negotiis, uti in promotione Guiberti, Hildebrandus moderationem prudentem ostenderat, eumque suae familiae supponebat Henricus addictum. Quamvis autem rex jam eo tempore libidinibus, homicidiis, simonia multiplici, oppressione tyrannica, perversos suos mores manifestasset, tamen nondum malitia ita praevaluerat, ut nihil boni in ipso inveniretur. Nec supponerem, eum jam tunc determinato consilio omnia ad omnimodam oppressionem Ecclesiae disposuisse[2].

Pontifex in Henricum benevolus.

59. Gregorius VII ab initio pontificatus sui litteris et nuntiis missis in omnibus orbis christiani regnis et regionibus apostolico suo munere sedulo functus est. Nullatenus autem animum infensum ostendit contra Henricum IV, quem adolescentiae aetatem vix ingressum ad meliorem sperabat posse frugem converti. Hinc eum sibi devincire studebat Pontifex, ac satagebat, ut simul cum Agnete matre Imperatrice, Rodulpho Sueviae duce regis affini, aliisque principibus, conveniretur de modo, quo beneficiorum, episcopatuum et abbatiarum dignae et canonicae collationi provideretur, atque simoniae et clerogamiae vitia exstirparentur. Benevolos suos in regem sensus ac desiderium ut male facta ipse corrigat, variis epistolis ad Godefridum ducem[3], ad Beatricem et Mathildem comitissas exprimit.

---

[1]) Gfrörer, Gregor VII. B. II. S. 389.

[2]) V. Hefele, C. G. B. V. §. 568.

[3]) Hic Godefridus erat filius Godefridi senioris jam defuncti. Pater uxorem duxerat Beatricem, viduam Bonifacii; Godefridus junior autem Mathildem Beatricis ex Bonifacio filiam, quae tamen in matrimonio virginitatem servasse refertur. De morte ducis Godefredi senioris scri-

De rege vero, scribit Godefrido gibboso, II Nonas Maji anni 1073, *mentem nostram et desiderium plene cognoscere potes; quod quantum in Domino sapimus, neminem de ejus praesenti ac futura gloria aut sollicitiorem aut copiosiori desiderio nobis praeferri credimus. Est etiam haec voluntas nostra, ut primum oblata nobis opportunitate per nuntios nostros super his quae ad profectum Ecclesiae et honorem regiae dignitatis suae pertinere arbitramur, paterna cum dilectione et admonitione conveniamus. Quodsi nos audierit, non aliter de ejus quam de nostra salute gaudemus; quam tunc certissime sibi lucrari poterit, si in tenenda justitia nostris monitis et consiliis acquieverit. Sin vero, quod non optamus, nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto honore sibi collato, dissimulando justitiam ejus, contemtum, non ex aequo, reddiderit, interminatio qua dicitur: „Maledictus homo qui prohibet gladium suum a sanguine", super nos Deo providente non veniet. Neque enim liberum nobis est, alicujus personali gratia legem Dei postponere, aut a tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente Apostolo: „Si hominibus placere vellem, Dei servus non essem"* [1].

60. Henricus vero ipse mense Augusto quum vehementer premeretur a Saxonibus, qui in eum insurrexerant, ad Pontificem scripsit epistolam humilitate et poenitentia plenam. Profitens se male egisse: *Nunc autem,* scribit rex, *divina miseratione aliquantulum compuncti et in nos reversi peccata nostra priores vestrae indulgentissimae paternitati nos accusando confitemur, sperantes de vobis in Domino, ut apostolica vestra auctoritate absoluti, justificari mereamur. Heu criminosi nos et infelices! partim pueritiae blandientis instinctione, partim potestativae nostrae et imperiosae potentiae libertate, partim etiam eorum, quorum*

Henrici epistola.

bit Lambertus ad a. 1070: „Dux Lotharingorum Godefridus omnibus paene terris magnitudine suarum rerum gestarum compertus et cognitus obiit, et Verdunis sepultus est: cui filius ejus Godefridus successit, praestantis quidem animi adolescens, sed gibbosus."

[1]) Regist epp. L. I. ep. 9.

seductiles nimium secuti sumus consilia seductoria deceptione, peccavimus in coelum et coram vobis, et jam digni non sumus vocatione vestrae filiationis. Non solum enim nos res ecclesiasticas invasimus, verum quoque indignis quibuslibet, et simoniaco felle amaricatis, et non per ostium sed aliunde ingredientibus, ecclesias ipsas vendidimus, et non eas, uti oportuit, defendimus. At nunc quia soli absque vestra auctoritate ecclesias corrigere non possumus, super his, (ut etiam de nostris omnibus), vestrum una et consilium et auxilium obnixe quaerimus; vestrum studiosissime praeceptum servatur in omnibus etc. [1]). De hac epistola ipse Gregorius VII scribit ad Herlembaldum militem: *Henricum regem praeterea scias dulcedinis et obedientiae plena ad nos verba misisse, et talia qualia neque ipsum neque antecessores suos recordamur Romanis Pontificibus misisse* [2]).

Synodi decreta. 61. Potuit igitur merito Gregorius VII initio pontificatus sui fovere spem, fore ut concordiam inter Sacerdotium et Imperium firmaret et conservaret. Caeterum ipse mox efficacia nisus est adhibere media, quibus serpentibus in Ecclesia malis obviaret. Synodum indixit Romae celebrandam Dominica prima Quadragesimae anni 1074; eique concilio interfuerunt quinquaginta episcopi et abbates, atque aliorum clericorum multitudo. Praecipua hujus concilii decreta noscuntur ex epistola Gregorii VII ad Ottonem episcopum Constantiensem, quae invenitur in *Apologetico Anonymi* pro decretis in hac synodo conditis. *Instantia nuntiorum suorum festinanter redire volentium,* scribit Pontifex, *non permisit nos fraternitati tuae quae in Romana synodo statuta sunt seriatim intimare; haec tamen necessaria tibi scribenda fore arbitrati sumus, nos juxta auctoritatem sanctorum Patrum in eadem synodo sententiam dedisse. (1°) ut hi qui per simoniacam haeresim, hoc est interventu pretii, ad aliquem sacrorum ordinum gradum et officium promoti sunt, nullum in sancta ecclesia ministrandi ulterius locum habeant. (2°) Illi quoque qui ecclesias datione pecuniae obtinent, omnino eas perdant, nec deinceps vendere*

[1]) Cfr. Baron. a. 1073. n. 43 [2]) Reg. I. 25.

vel emere alicui liceat. (3°) *Sed nec illi qui in crimine fornicationis jacent missas celebrare aut secundum inferiores ordines altari ministrare debeant.* (4°) *Statuimus etiam, ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imo sanctorum patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corriguntur, verecundia saeculi et objurgatione populi resipiscant. Studeat ergo fraternitas tua sic se in his nobis cooperatricem exhibere, sic crimina ista de ecclesiis tuis radicitus evellere, quatenus boni pastoris meritum apud Dominum valeas obtinere, ut Romana ecclesia de te sicut de carissimo fratre et studioso cooperatore debeat gaudere* [1]).

Urgetur executio.

62. Gregorius VII in hisce decretis sequebatur vestigia Nicolai II et Alexandri II praedecessorum, qui praecipue in causa ecclesiae Mediolanensis plane similia statuerant, atque etiam populum jam contra clericos incontinentes evocaverant. Sed efficacius Gregorius, sua decreta ut executioni ubique mandarentur, nisus est: misit videlicet in omnes regiones legatos et epistolas, praesulesque monuit, ut synodis habitis intrepide promulgarent haec statuta, ac districte ea observari juberent. Ubi vero episcopos invenit negligentes et resistentem clerum, litteras quoque dedit ad fideles quibus eos monuit, ne ecclesiasticorum incontinentium sacris interessent ab iisque sacramenta susciperent. — Pontifex etiam cum decretis misit ad Henricum IV legatos, quibus se junxit, petente Gregorio, Agnes regis mater, quo facilius omnia cum Henrico IV apte componerentur. Henricus IV mense Februario illius anni denuo per Saxonum seditionem in magna discrimina inciderat, ac mense Aprili Nurembergi Gregorii legatis obsequium exhibuit satis promptum. Consiliarios quinque jam ab Alexandro II excommunicatos dimisit, seque bona Ecclesiae usurpata redditurum esse spopondit. A legatis dein excommunicatione, quam ob fre-

[1]) Jaffé, Monum. Greg. epp. coll. 3. Similes fere epistolae sunt quae eodem tempore, mense Martio a. 1074, missae sunt ad Wezelinum Magdeburgensem et Sigifridum Moguntinum episcopos. L. c. 3. 4.

quentis simoniae facinora incurrerat, solutus est. Consensit etiam, etsi animo parum sincero, ut a legatis synodus haberetur ad simoniae et clerogamiae abusus exstirpandos. „Sed vehementer hoc abnuerunt, scribit Lambertus ad a. 1074, omnes episcopi, tanquam inusitatum longeque a suis rationibus alienum, nec se hujus auctoritatis privilegium ulli alii praeterquam ipsi Romano Pontifici unquam delaturos affirmabant: siquidem intenderat Romanus Pontifex, ut omnes episcopos et abbates, qui sacros gradus pretio redemissent discussione habita deponeret: jamque hac de causa Babenbergensem episcopum et alios nonnullos ab divino officio suspenderat, donec coram venientes inustum sibi crimen haereseos digna satisfactione purgarent. Et rex quidem cupide hoc volebat, odio Wormatiensis episcopi et quorumdam aliorum qui eum bello Saxonico offenderant, quos hac calumnia involvendos et dignitatis suae detrimenta passuros spe certissima praesumpserat. Sed quia per legatos res tanta confici posse desperabatur, consulto in audientiam Romani Pontificis delata est.“

63. Interim Gregorius VII urgebat decretum suum contra clericorum nuptias, sed ubique fere vehementer ei restiterunt clerici. „Hoc decreto per totam Italiam promulgato, ait Lambertus l. c., crebras litteras ad episcopos Galliarum transmittebat, praecipiens, ut ipsi quoque in suis ecclesiis similiter facerent, atque a contubernio sacerdotum omnes omnino feminas perpetuo anathemate resecarent. Adversus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane haereticum et vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini quo ait: *Non omnes capiunt hoc verbum, qui potes capere, capiat;* . . . violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum. . . . Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quam conjugium deserere, et tunc visurum eum cui homines sorderent, unde gubernandis per ecclesiam Dei plebibus angelos comparaturus esset. Nihilominus ille instabat; et assiduis legationibus episcopos omnes socordiae ac desidiae arguebat, et nisi ocyus injunctum sibi negotium exequerentur, apostolica

Resistentia praesulum.

se censura in eos animadversurum comminabatur. — Quum Sigefridus archiepiscopus Moguntinus in synodis Erfordiensi et Moguntina secundum decretum Pontificis clericis mandaret, ut vel continenter viverent, vel a ministerio sacro abstinerent, tantus excitatus est tumultus, ut episcopus sibi metuens ignavo corde ab urgenda decreti observantia cessaret. „Sic tandem rei difficultate superatus statuit, scribit Lambertus ad a. 1075, sibi deinceps tali quaestioni omnino supersedendum, et Romano Pontifici relinquendum, ut causam quam ipse toties inutiliter proposuisset, ille per semetipsum, quando et quomodo vellet, perageret."

64. Simili ratione Parisiis Pontificis decretum rejectum fuit. „Parisiis congregato concilio omnes fere tam episcopi quam abbates et clerici censebant, Domini Apostolici sanctae memoriae Hildebrandi jussioni non esse parendum, dicentes falsoque asseverantes, importabilia ejus esse praecepta ideoque irrationabilia. — Quumque Gualterius abbas in favorem decreti locutus esset, vehementer ira succensi qui aderant adversus Dei famulum mancipia regis suo sceleri conjungentes, exclamantesque omnes in una conspiratione consurgunt, ipsum de concilio rapiunt, trahunt, impingunt, colaphizant, conspuunt, multisque contumeliis affectum ad domum regis perducunt [1]." Constanter apostolicas constitutiones observandas curavit s. Altmannus episcopus Passaviensis, ideoque pravorum clericorum insidias et Henrici regis vexas expertus est. — Otto autem episcopus Constantiensis adeo decreta s. Sedis sprevit, ut palam plane contraria clericis suis permitteret, videlicet ut qui mulieres habebant, eas retinerent, et qui non habebant, illicita temeritate eas subintroducerent [2]. Sed Pontifex rebelles vel desides episcopos graviter increpavit eosque Romam ad synodum citavit; ad fideles autem Germaniae litteras dedit mense Decembri anni 1074, Oppositio in Gallia.

[1] Vita s. Gualterii Abbatis s. Martini juxta Pontissaram. Acta SS. 8. April.

[2] Cfr. Jaffé Monum, Gregor. Epp. Collect. 8. 9.

quibus eis mandavit, ne obedirent amplius episcopis qui permittebant clericis uti uxoribus[1]). Quum vero praeterea Pontifex statuisset, ne incontinentium clericorum Missae fideles adessent, vel sacramenta ab ipsis susciperent, eo pervenit, ut vehementem contra illos clericos oppositionem in populo christiano provocaret, ac sic paulatim isti ad obedientiam cogerentur.

Quorumdam querelae.

65. Oppugnaverunt quidem hanc agendi rationem Gregorii quidam viri illius temporis, quod magnae inde turbae et sacrorum contemptus oriretur. Ita Sigebertus Gemblacensis monachus, sed schismaticus, acri stylo scribit in suo Chronico ad a. 1074: *Ex qua re grave oritur scandalum, laicis insurgentibus contra sacros ordines, et se ab omni ecclesiastica subjectione excutientibus. Laici sacra mysteria temerant et de his disputant; infantes baptizant, candido humore aurium pro sacro oleo et chrismate utentes; in extremo vitae viaticum dominicum et usitatum obsequium sepulturae a presbyteris conjugatis accipere parvipendunt; decimas presbyteris deputatas igni cremant; et ut in uno caetera perpendas, laici corpus Domini a presbyteris conjugatis consecratum saepe pedibus conculcaverunt et sanguinem Domini voluntarie effuderunt*[2]). Magna ex parte haec exaggerata esse censendum est. Mala autem illa tantum *per accidens* Gregorii decreta consequebantur; caeterum remedia severa et violenta omnino necessaria erant, ut abusus simoniae et incontinentiae exstirparentur.

---

[1]) Ibidem ep. 10. „Gregorius Episcopus servus servorum Dei omnibus clericis et laicis in regno Teutonicorum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. — Audivimus, quod quidam episcoporum apud vos commorantium, ut sacerdotes et diaconi et subdiaconi mulieribus commisceantur, aut consentiunt aut negligunt. His, praecipimus, vos nullo modo obedire vel illorum praeceptis consentire, sicut ipsi Apostolicae Sedis praeceptis non obediunt, neque auctoritati sanctorum Patrum consentiunt. Testante divina Scriptura, facientes et consentientes par poena complectitur."

[2]) M. G. Scr. VIII. 363. — Similes querelae inveniuntur in epist Theodorici episc. Verdunensis ad Gregor. VII. M. G. Scr. VIII. 218: epist. II. Alboini ad Bernaldum Constantiensem, ap. Goldast. apolog. pro Henrico IV. p. 40.

66. Mirum tamen non est, si viri quoque insignes haesitabant et cunctabantur, ut statuta Pontificis urgerent. Quamvis enim Anno Coloniensis certe coelibatûs legem omnino approbaret, colligitur ex epistolis Gregorii VII ad eum datis, ipsum quoque desidem fuisse ad decreta Pontificis exequenda. In epistola data die 18° Novembris anni 1074 de alio negotio, versus finem eum Pontifex instanter monet, ut tum in archidioecesi sua tum in suffraganeorum dioecesibus curet, castitatem a clericis observari. Sequenti vero anno 1075 die 29° Martii Gregorius VII epistolas dedit ista de re ad Annonem, Wezelinum ejus fratrem archiepiscopum Magdeburgensem, et Burchardum Annonis nepotem episcopum Halberstadiensem. Sunt quidem illae epistolae honorificae et benignae, ita ut appareat Gregorium istos habuisse ut praesules insignes atque dignissimos in Germania; attamen ex eis colligitur, decreta Pontificis nondum executioni mandata fuisse. Instanter Gregorius monet et praecipit, ut synodis habitis observatio decretorum clericis imponatur et urgeatur. — In epistola ad Annonem Pontifex, postquam mentionem fecit obsequii ecclesiae Coloniensis erga Sedem Apostolicam: *Hinc etiam*, scribit, *carissime frater, de obedientia tua securior, fiducialius adhortor te et moneo, atque communis Domini beati Petri auctoritate praecipio, ut ad castitatem clericorum praedicandam atque inculcandam, juxta Patrum decreta et auctoritatem canonum, cum suffraganeis tuis omnibus studiosius accingaris, ut sponsae Christi quae maculam nescit aut rugam, candidatae et immaculatae familiae gratiosum exhibeatur officium. Norit enim fraternitas tua, quia praecepta haec non de nostro sensu exsculpimus; sed antiquorum Patrum sanctiones, Spiritu sancto praedicante prolatas, officii nostri necessitate in medium propalamus, ne pigri servi subeamus periculum, si dominicam pecuniam quae cum foenore reposcitur sub silentio abscondamus, quamquam huic sanctae Romanae ecclesiae semper licuit semperque licebit, contra noviter increscentes excessus nova quoque decreta atque remedia procurare, quae, rationis et auctoritatis edita judicio, nulli hominum sit fas ut irrita refutare. . . . Sed ut ea quae dilectioni tuae*

Anno Coloniensis.

injungimus compendiosius efficaciusque prosequaris, cum fratribus et coëpiscopis tuis concilium te cogere suademus[1]). — Ex hisce colligit Gfrörer, Annonem ac reliquos praesules Germaniae insignes, quamvis coelibatum clericorum cuperent restauratum, tamen censuisse, Gregorii ardorem ejusque decreta haud esse opportuna. Quum status rerum in Germania jam esset valde commotus, eos timuisse, ne hisce statutis novae turbae adderentur, quumque executionem eorum sub rege improbo Henrico IV fieri posse desperarent, haesitasse ut manum operi admoverent[2]). Advertere tamen convenit, Wezelinum et Burchardum implicatos fuisse Saxonum bello, Annonem vero anno 1074 post Pascha Coloniensium seditione ejusque sequelis detentum fuisse, subsequenti vero anno incidisse in dirum languorem, eumque die 4° Decembris anni 1075 ad coelestem vitam transmigrasse. Quidquid vero sit de illa episcoporum etiam insignium trepidatione, Gregorius VII certe perpendebat ex una parte, pro salute Ecclesiae plane necessarium esse remediis strenuis uti, ex altera vero parte perspiciebat, adhibita auctoritate et evocatis in auxilium iis qui virtutem sectabantur et colebant, rem ad exitum prosperum posse deduci.

Synodus Rom. a. 1075.

67. Pontifex abusus atque mala interim impugnare non cesserat, et sicuti Henricum regem Germaniae, ita et Philippum I Galliae regem, quum non minus in vita sua privata quam in regimine multis se foedaret criminibus, tum per litteras tum per episcopos regni monuit, ut ad meliorem se converteret frugem. Tempore Quadragesimae autem (24—28 Febr. 1075) Romae plurimorum episcoporum, abbatum et presbyterorum habuit synodum, in qua negotia disposuit summi momenti. Inter caetera decreta 1° „Quinque de familia regis Teutonicorum, quorum consilio ecclesiae vendantur, a liminibus s. Ecclesiae separantur, ita ut si abinde usque ad Kalendas Junias Romam non veniant et satisfaciant, excommunicati habeantur.“ 2° Statuitur ut „Philippus rex Francorum, si

[1]) Reg. II. 67.
[1]) Gregor. VII. B. VII. 382.

nuntiis Papae ad Gallias ituris de satisfactione sua et emendatione securitatem non fecerit, habeatur excommunicatus." 3⁰ „Siemarus archiepiscopus Bremensis, Guarnerius Argentoratensis, Henricus Spirensis, Herimannus Bambergensis, Gulielmus Papiensis, Cunibertus Taurinensis episcopi, a munerum administratione removentur, et Dionysius episcopus Placentinus dejicitur." Illi praesules vel simoniae aliorumve facinorum arguebantur, uti e. g. Herimannus Bambergensis, vel arrogantem oppositionem in Sedem Apostolicam ostenderant, ut Siemarus, qui maxime legatos Pontificis impedierat quominus synodum in Germania haberent. Porro vocati ad concilium Romanum non venerant. — 4⁰ „Robertus dux Apuliae jam anathematizatus, et Robertus de Loritello, excommunicantur." — Robertus Guiscardus reus erat rapinae bonorum ecclesiasticorum et aggressionis injustae aliorum principum. — Sed summi momenti fuit 5⁰ lex *de investituris* in hac synodo lata hujusque tenoris: *Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicujus laicae personae susceperit, nullatenus inter episcopos habeatur, nec ulla ei ut episcopo aut abbati audientia concedatur; insuper ei gratiam beati Petri et introitum ecclesiae interdicimus, quousque locum quem cepit resipiscendo non deserit; similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Si quis imperatorum, regum, ducum, marchionum, comitum, vel quilibet saecularium potestatum aut personarum investituram episcopatuum vel alicujus ecclesiasticae dignitatis dare praesumpserit, ejusdem sententiae vinculo se adstrictum sciat* [1]).

Decretum contra investituras.

68. Colligitur ex iis quae superius disputavimus, investiturarum consuetudinem veluti centrum fuisse et fontem malorum, quibus jamdudum Ecclesia affligebatur. Investiturâ enim conservabatur et firmabatur servitus illa, ad quam redacta erat Ecclesia, atque indigna dependentia potestatis ecclesiasticae a potestate laica eàdem solemniter veluti signabatur. Fons porro erat simoniae perniciosissimus, dumque viris indignis frequenter episcopatus aliaque

[1]) V. Jaffé Regesta Greg. VII. a. 1076.

beneficia conferebantur, etiam incontinentia cleri eâdem vehementer promovebatur. Intellexit Gregorius VII, ad eradicanda mala abolendas esse investituras. Sane prae oculis habebat eam investituram in concreto, quae de facto illa aetate adhibebatur; nullatenus autem intendebat, ut convenientem episcoporum in principes fidelitatem, vel officia ob feudorum possessionem illis convenientia, prohibitione investiturae convelleret. Poterant ea praestari et conservari sine investiturae solemnitate: idque etiam principes perspexisse, vel ex eo colligas, quod s. Halinardo concessit episcopatum Lugdunensem ipse Henricus III, tenacissimus jurium suorum, quamvis Halinardus nec investituram accipere, nec hominium praestare vellet.

Anteriora Concilia. 69. Caeterum nitebatur Gregorius VII hac in re Conciliorum VII[i] et VIII[i] decretis solemnibus. „Secutus autem est in hoc, scribit Hugo Flaviniacensis, Patrum exempla, licet jam per multa annorum curricula damnabilis haec consuetudo inolevisset et in usum conversa esset. Dicitur enim in septima universali synodo a V patriarchis et CCCL patribus sub Hadriano Papa habita cap. III: *Omnis electio episcopi, presbyteri vel diaconi a principibus facta irrita maneat, secundum regulam quae dicit: Si quis episcopus saecularibus potestatibus usus ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.* — Item in VIII universali Synodo habita a V Patriarchis sub Nicolao I Pontifice: *Promotiones vel consecrationes episcoporum concordans prioribus Conciliis haec sancta et universalis Synodus electione et decreto episcoporum fieri constituit et statuit, atque promulgavit, neminem laicorum principum et potestatum semet inferre electioni vel promotioni patriarchae, vel metropolitae, aut cujuslibet episcopi, ne inordinata hinc et incongrua fiat confusio vel contentio; praesertim cum nullam in talibus potestatem quemdam potestativorum laicorum habere conveniat, sed potius silere et attendere sibi, usquequo regulariter suscipiat finem electio futuri Pontificis. Si quis vero laicorum ad concertandum et cooperandum invitatur ab ecclesia, licet hujusmodi cum reverentia obtemperare asciscentibus. Quisquis*

autem saecularium principum et potentum vel alterius dignitatis laicus, adversus communem et consonantem atque canonicam electionem ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit, donec obediat et consentiat[1])."

70. Advertendum praeterea est, Gregorium VII paratum fuisse, ut cum principibus ac speciatim cum Henrico IV ageret, si quid forte in eo decreto temperandum videretur, ut regum honori provisum esset. Hinc non illico promulgatum fuit illud de investituris statutum, sed petiit Pontifex, ut consiliariis missis Henricus indicaret, si quid ea de re mutandum cuperet. Colliguntur haec maxime ex epistola, quam scripsit Gregorius ad Henricum IV anno 1075 versus finem declinante, quum rex jam superatis Saxonibus promissa priora factis redderet irrita, Ecclesiaeque se satis infensum ostenderet „Congregata, scribit, in hoc anno apud Sedem Apostolicam synodo, cui nos superna dispensatio praesidere voluit, cui etiam nonnulli tuorum interfuere fidelium, videntes ordinem christianae religionis multis jam labefactatum temporibus, et principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas et suadente diabolo conculcatas, concussi periculo et manifesta perditione dominici gregis, ad sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam et unicam ecclesiasticae disciplinae regulam et tritam sanctorum viam relicto errore repetendam et sectandam esse censuimus. . . . Hujus autem decreti quod quidam dicunt, humanos divinis honoribus praeponentes, importabile pondus et immensam gravitudinem: nos autem magis proprio vocabulo recuperandae salutis neccessariam veritatem vocamus et lucem, non solum a te vel ab his qui in regno tuo sunt, sed ab omnibus terrarum principibus et populis qui Christum confitentur et colunt, devote suscipiendam et observandam adjudicamus. Quamquam hoc multum desideremus, et te permaxime deceret, ut sicut caeteris gloria, honore virtuteque potentior, ita esses et in Christi devotione sublimior.

Gregorii mens.

[1]) Cfr. Pagi Breviar. T. II. Greg. VII. n. XXVII.

Attamen ne haec supra modum tibi gravia aut iniqua viderentur, per tuos fideles mandavimus, ne pravae consuetudinis mutatio te commoveret, mitteres ad nos, quos sapientes et religiosos in tuo regno invenire posses: qui si aliqua ratione demonstrare vel adstruere possent, in quo salvo aeterni regis honore et sine periculo animarum nostrarum promulgatam sanctorum Patrum possemus temperare sententiam, eorum consiliis condescenderemus. Quod quidem, etsi a nobis tam amicabiliter monitus non fuisses, aequum tamen fuerat, ut prius in quo te gravaremus, aut his honoribus obstaremus, rationabiliter a nobis exigeres, quam apostolica decreta violares [1])."

Henrici artes. 71. Interim Henricus IV currente anno 1075 variis epistolis et legatis quoque secreto missis ad Gregorium, fingebat quidem animum ipsi et Ecclesiae addictum, caeterum vero prosecutus est viam perversitatis. Mense Junio devictis Saxonibus vindictam de iis sumpsit atrocem, atque exinde monita Pontificis penitus contempsit Ecclesiaeque jura audacter violavit. Consiliarios a Gregorio VII excommunicatos denuo sibi junxit, pro lubitu et simoniace beneficia ecclesiastica distribuit, principes Saxones episcoposque Magdeburgensem et Halberstadiensem, captivos suos, in regiones remotas exilio deputavit. Episcopum Bambergensem, loco Herimanni a Pontifice depositi, creavit Ruobertum praepositum Goslariensem, criminum suorum socium; pro arbitrio Spoletanae, Firmanae, Eugubinae dioecesibus episcopos constituit, atque etiam pro ecclesia Mediolanensi, ubi laxior pars contra Patariam a. 1075 praevaluit, archiepiscopum nominavit Tebaldum, (Godefridi causa dimissa). Alpium fauces armata manu occlusit, inani spe ductus, fore ut hac ratione facinorum suorum nuntii Romam venire non possent; a Pontifice poposcit,

[1] Collect. Conc. Labbé X. col. 137. — Insignita quidam est haec epistola *Sexto Idus Januarii Indict. decima quarta (1076)*. Sed errorem adesse, et versus finem anni 1075 epistolam esse scriptam, conveniunt auctores fere omnes. V. Hefele. C. G. V. 52.

ut nullo examine habito Magdeburgensis et Halberstadiensis episcopi deponerentur. Id facere Pontifex recusavit, sed ut a synodo judicarentur postulavit. Clam etiam Henricus cum Roberto Guiscardo per nuntios tractabat, ut juncti Pontifici obsisterent[1]. Ex Germania autem venerunt praesertim a Saxonibus deputati, qui Gregorium communem Christianorum patrem contra Henrici tyrannidem interpellarunt, ejusque saevitiam, infamia crimina et turpissimum quaestum, quo dignitates ecclesiasticas indignis hominibus conferre pergebat, significarunt.

72. Gregorius VII versus finem anni 1075 legatos cum litteris misit in Germaniam regemque instantius monuit, ut promissa quae factis continuo violabat servaret, et ea quae Christianum regemque decebat ratione ageret; simulque quoad decretum investiturae declaravit, uti superius vidimus, se paratum esse, ut quae aequa viderentur cum ipso statueret. — Rex Natalem Domini (a. 1075) Goslariae celebrabat, quo convenerant etiam aliquot principes et episcopi ipsi addicti, ac delegati Coloniensium qui petebant, ut Annoni die 4° Decembris defuncto nominaretur successor. Henricus pro arbitrio suo nominavit Hidulphum canonicum Goslariensem, frustra obnitentibus legatis Coloniensibus, *quod homo statura pusillus, vultu despicabilis, genere obscurus, nec animi nec corporis virtutibus quicquam tanto sacerdotio dignum praetenderet. . . . Sed rex recolens Annonis archiepiscopi constantiam et invictum adversum omnes nefarios conatus suos spiritum, consulto talem ei successorem ordinari satagebat, cujus facilitate ad omnia quae vellet pro libito suo abuti posset*[2]. Legati Pontificis.

73. Legati Pontificis igitur eo tempore Goslariam pervenerunt. In mandatis habebant, ut secreto ac familiarius cum rege tractarent de ejus multiplicibus delictis. Gregoriusque regi „indubitanter intimari fecit, si eos (legatos) sibi loquentes non audiret, quod ejus flagitia Eccle-

[1]) Arnulph. Mediol. ap. Watterich, 1. 366.
[2]) Lamb. ad a. 1076.

siae per ordinem propalata innotesceret, si autem Ecclesiam non audiret, ipse eum quasi ethnicum et publicanum a membris ejus omnino separaret. Qui (legati) Goslariam ad regem circa nativitatem Domini, juxta quod illis per obedientiam impositum erat, caute nimis, sed non absque maximo vitae suae periculo peregerant. Quos ille non bona patientia suscipiens, totum quod ipsi secreto in aurem elocuti fuerant, mox ira et indignatione non mediocri succensus, convocatis suis consiliariis palam fecit enarrari querulosus, ea ut fertur intentione, ut non solum ipsius, sed et suas proprias tanto magis defendere conarentur causas. Et mox quod praeter caetera Domnus Apostolicus ei specialiter interdixit, excommunicatis ex studio tunc pervicaciter communicavit[1]". — Tunc legati ad ea venerunt quae ipsis commissa erant, si rex plane pervicacem se ostenderet. Henrico IV videlicet denuntiarunt, „ut secunda feria secundae hebdomadae in Quadragesima ad synodum Romae occurreret, de criminibus quae objicerentur causam dicturus; alioquin sciret, se absque omni procrastinatione eodem die de corpore sanctae Ecclesiae Apostolico anathemate abscindendum esse. Quae legatio regem vehementer permovit, statimque rejectis cum gravi contumelia legatis, omnes qui in regno suo essent episcopos et abbates, Wormatiae dominica Septuagesimae (24 Jan.) convenire praecepit, tractare cum eis volens ad deponendum Romanum Pontificem, si qua sibi via, si qua ratio pateret; in hoc cardine totam verti ratus salutem suam et regni stabilitatem, si is non esset Episcopus[2])."

Henrici pertinacia.

Romae seditio.

74. Romae autem in nocte Natalis Domini conjurati quidam, quum Gregoriis VII ad sanctam Mariam majorem coram praesepe sacra perageret, eum apprehenderunt, et verberibus contumeliisque affectum incluserunt turri Cencii, proceris Romani, qui dux erat conjuratorum. Sed tantus exortus est multitudinis furor ac impetus, ut Cencius eadem nocte Pontificem in libertatem restitueret. Ipse

[1] Berthold. Annal. ap. Watterich. I. 369.
[2]) Lamb. Hersfeld. ad a. 1076.

veniam petiit a Pontifice, atque eam obtinuit, imposita peregrinatione Hierosolymitana in poenitentiam; sed Roma discedens Cencius ad Henricum regem se contulit. Conjurationi illi implicati fuisse censentur plures nobiles Romani, qui vel Cadaloo quondam adhaeserant, vel Gregorio VII infesti erant ob disciplinam restauratam; etiam Hugonem Candidum, Guibertum Ravennatensem, ipsumque Henricum regem conjurationis participes vel conscios fuisse, valde probabile est.

75. „Rex, statuto die, scribit Lambertus, venit Wormatiam, venerunt etiam episcopi et abbates amplissimo numero.“ Adfuerunt videlicet omnes fere Germaniae episcopi: deerant episcopi Saxones in exilium missi, Benno Misniensis qui Romam ad concilium profectus erat, Gebehardus Salisburgensis et Altmannus Passaviensis. — „Commode quoque conficiendis tantis rebus intervenit quidam ex Cardinalibus, Hugo cognomento Blancus, quem ante paucos dies propter ineptiam ejus et mores inconditos Papa de statione sua amoverat, deferens secum de vita et institutione Papae scenicis figmentis consimilem tragoediam: scilicet unde oriundus, qualiter ab ineunte aetate conversatus, quam perverso ordine Sedem Apostolicam ocupaverit, quae ante episcopatum, quae post acceptum episcopatum memoratu quoque incredibilia facta commiserit. Hujus auctoritatem tanquam divinitus sibi destinatam gratissime amplexati et promptissime secuti sententiam promulgarunt, quod Papa esse non possit, nec ullam juxta privilegium Romanae Sedis, ligandi aut solvendi potestatem habeat, vel aliquando habuerit qui tantis vitam probris et criminibus commaculaverit.“ Restiterunt tantummodo Adalbero Wirceburgensis et Hermannus Metensis episcopi, et contra omne jus ejusmodi facinus peragi observarunt; sed „Gulielmus Trajectensis episcopus, qui causam regis pertinacius tuebatur, vehementer imminebat, ut aut cum caeteris in damnationem Papae subscriberent, aut regi cui sub jurejurando fidem spopondissent protinus renuntiarent. . . . Igitur ex nomine omnium qui convenerant episcoporum

Conventus Wormatiensis.

et abbatum plenae contumeliarum litterae Romam destinantur, quibus denuntietur Romano Pontifici, ut pontificatu quem contra ecclesiasticas leges usurpasset sese abdicet, sciatque, post eam diem quidquid agat, jubeat, decernat, irritum haberi"[1]. Aliqui inter episcopos erant simoniaci aut excommunicati, et hi ex animo forte contra Gregorium VII insurrexerunt, *plures vero litteras quidem abrenuntiationis mortis timore scripserunt, sed invitos se fecisse per hoc ostenderunt, quia quum primum datur eis opportunitas, Apostolico supplices confessionis litteras dirigunt, et se reos ei agnoscunt, sed expurgationem necessitatis obtendunt*[2].

Depositio nuntiatur Gregorio.

76. Henricus IV quae Wormatiae peracta erant confestim significavit episcopis Longobardis, qui magna ex parte Gregorio VII propter reformationis decreta infensi, in conciliabulo Papiensi ejus depositioni subscripserunt. Eodem tempore rex clerum, populum senatumque Romanum ad abdicandum Gregorium excitavit, et Pontifici ipsi sententiam depositionis significavit litteris injuriosis quas inscripsit: *Heinricus, non usurpatione, sed pia Dei ordinatione rex, Hildebrando jam non Apostolico, sed falso monacho.* — Venerunt legati Henrici Romam, quum tempore Quadragesimae Gregorius cum centum et decem episcopis synodum celebraret, atque inter eos Rolandus clericus Parmensis magna cum impudentia synodum ingressus, Gregorio VII suam depositionem intimavit, Cardinalibusque mandavit, ut in Germaniam proficiscerentur ibidem a rege

---

[1]) Lamb. a. 1076. Epistola episcoporum inscripta est: Sigifridus Mogontinus archiepiscopus. Udo Treverensis. Willehelmus Trajectensis. Herimannus Metensis. Heinricus Leodiensis, Richertus Verdonensis. Bibo Tullensis. Hozemannus Spirensis, Burckhardus Halberstadensis. Wernherus Strasburgensis, Burchardus Basiliensis. Otto Constantiensis, Adalbero Wirciburgensis, Ruolbertus Babenbergensis, Otto Ratisponensis. Ellinardus Frisingensis, Odalricus Eistettensis, Fridericus Monasteriensis, Eilbertus Mindensis, Hezil Hiltinisheimensis, Benno Oseneburgensis, Eppo Neopolitanus (Naumburg). Imanus Paderbrunnensis. Tiedo Brandaneburgensis, Burchardus Losanensis. Bruno Veronensis. Hildebrando fratri. — Cfr. Watterich I. 373.

[2]) Bruno. De bello Saxon. Watterich. I. 376.

alium melioremque Pontificem recepturi. Gregorius opprobria illius hominis cum magna tranquillitate audivit, eumque tuitus est, ne manus in ipsum injicerentur: dein vero concilii sessionem in sequentem diem prorogavit. Exposuit tunc ea quae ab Henrico fuerant attentata conatusque suos, ut ad meliorem eum frugem converteret. Dein consentientibus ac petentibus episcopis praesentibus variis poenis reos addixit. Sigifridum archiepiscopum Moguntinum, Guilelmum Trajectensem, Robertum Bambergensem, qui praecipuas partes in conciliabulo Wormatiensi habuerant, excommunicavit: caeteris qui illi conventui interfuerant eamdem poenam comminatus est, nisi usque ad 29 diem Junii Pontifici satisfacerent. Episcopos Longobardos qui contra Pontificem conspiraverant, ab omni officio episcopali suspendit et ab Ecclesiae communione separavit.

77. Consentientibus pariter episcopis et praesente Agnete Imperatrice Ecclesiae addictissimâ, sententiam tulit in Henricum regem. Solemni adhibita invocatione s. Petri inter alia Gregorius VII dicit: *Ex tua gratia, non ex meis meritis credo, quod tibi placuit et placet, ut populus christianus tibi specialiter commissus mihi obediat specialiter pro vice tibi commissa, et mihi tua gratia est potestas a Deo data ligandi atque solvendi in coelo et in terra. Hac itaque fiducia fretus pro ecclesiae tuae honore et defensione ex parte Dei omnipotentis Patris, Filii et Spiritus Sancti, per tuam potestatem et auctoritatem, Henrico regi filio Henrici Imperatoris, qui contra tuam Ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teuthonicorum et Italiae gubernacula contradico, et omnes Christianos a vinculo juramenti quod sibi fecerunt vel facient absolvo, et ut nullus ei serviat sicut regi, interdico. Dignum est enim, ut qui studet honorem Ecclesiae tuae minuere, ipse honorem amittat quem videtur habere. Et quia sicut Christianus contempsit obedire, nec ad Deum redit, quem dimisit participando excommunicatis, meaque monita quae ei pro salute misi, te teste sprevit, seque ab Ecclesia tua, tentans eam scindere, separavit, vinculo eum*

Sententia in Henricum.

anathematis vice tua alligo, ut scienter (vel scientes) *sciant gentes et comprobent, quia tu es Petrus et super hanc petram Filius Dei vivi aedificavit Ecclesiam suam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* [1]).

Agnetis Imp. epistola.

78. Quum magni momenti sit accurate discernere, qua ratione Gregorius sententiam punitionis in regem pronuntiaverit, et quo modo ea fuerit considerata a coaevis, opportunum videtur subnectere hic Agnetis Imperatricis ad Altmannum episcopum Passaviensem epistolam, qua eum certiorem reddit de iis quae in synodo Romana acciderant. *Agnes Dei gratia quidquid est, Altmanno Pataviensi episcopo salutem et carissimam dilectionem. Me sospitem Deo adjuvante paternitati tuae innotescat; sed maximo afficior moerore, quod maximum video Ecclesiae imminere periculum, filio meo nimium verbis stultorum credulo. Ea quae modo gesta sunt in Romana synodo, quoniam ut tibi referrem mandasti, referam. Legati filii mei regis venerunt in synodum, et coram omnibus dixerunt Apostolico ex parte filii mei, ut surgeret et dimitteret Sedem Apostolicam, quam non canonice, sed rapina adeptus esset. Qui statim a Romanis capti sunt. Similiter archiepiscopus Moguntinus omnesque episcopi illius partis, miserunt per eosdem legatos litteras, se deinceps nullam obedientiam exhibituros Apostolico; hoc idem Longobardorum episcopi jurejurando decreverunt. Quare dominus Papa omnes qui sponte consenserunt officio et communione privavit, eisque qui coacti assensum praebuerunt usque ad festivitatem sancti Petri inducias dedit; filium vero meum regem ob haec et quia excommunicatis communicat et quia sceleribus suis poenitentiam agere recusat, regia dignitate privavit, omnesque qui sibi juraverant, juramento absolvit* [2]). Modum agendi Gregorii inferius examinabimus; id obiter notemus, sensu verborum obvio tum in sententia Pontificis tum in epistola Agnetis privationem regni exhiberi ut punitionem regis, praecisa quoque ex-

[1]) Petr. Pisani, Vita Greg. VII. Watterich. I. 295.
[2]) Hugo Flaviacens. Chron. — Watterich. I. 381.

communicatione. Caeterum jure publico illius temporis etiam statutum erat, ut excommunicatus quamdiu suberat anathemati, munus publicum administrare non posset. Gregorii sententia in Henricum non erat irrevocabilis, sed erat suspensio ab administratione regni, quae conversione et satisfactione praestita poterat revocari. Misit porro Gregorius VII litteras ad universos fideles, quibus de injuriis Sedi Apostolicae factis ac de excommunicatione Henrici regis eos reddidit certiores.

79. Postquam sententia Gregorii in Henricum innotuit in Germania, multi paulatim partes Henrici IV deseruerunt, etiam inde ad saniorem mentem revocati, quod plures regis asseclae, inter quos Gulielmus episcopus Trajectanus, subitanea morte abriperentur. Varii praesules, qui conciliabulo Wormatiensi interfuerant, emendationis litteras Romam miserunt, Pontifici obedientiam promiserunt et poenitentiam postularunt, eosque Gregorius benigne suscepit. Plerique etiam duces et principes ab Henrico discesserunt, tum propter ejus luctam contra Romanum Pontificem, tum propter perversos ejus mores et tyrannidem in gubernando regno. Variis epistolis Gregorius eo tempore fidelibus Germaniae rationes excommunicationis Henrici accuratius exposuit, simul vero principes monuit, ne durius in ipsum agerent, neve e solio protinus eum dejicerent, sed ut potius studerent eum ad submissionem erga Ecclesiam atque ad pacem ineundam adducere. In Italia interim episcopi Longobardi perstiterunt in sua perversitate et, cum Guiberto Ravennae archiepiscopo Papiae congregati, anathema in Gregorium VII ferre praesumpsere. Res Germaniae.

80. Die 16° Octobris plerique principes Germaniae ecclesiastici et laici ex condicto convenerunt Triburiam, ut de tristi regni statu deliberarent et quid agendum decernerent. Adfuerunt ut legati Pontificis Sighardus patriarcha Aquilejensis et Altmannus episcopus Passaviensis. Rex Henricus autem cum suae partis assertoribus, in villa quae dicitur Oppenheim se continebat, Rheno fluvio utra-

que castra dirimente, frequentesque ad eos in dies legatos mittebat, promittens omnium quae eos offenderant in reliquum emendationem. Principes eo propendebant, ut deposito Henrico novum regem eligerent: attamen Pontificis litteris et legatorum ipsius nisu eo adducti sunt, ut ab hoc consilio desisterent. Convenerunt, ut Gregorius VII ipse in comitiis Augustae Vindelicorum die 2° Februarii sequentis anni (1077) celebrandis, rem audita utraque parte dirimeret. Statuerunt porro, nisi Henricus intra annum a die excommunicationis ejus computato ab anathemate solutus esset, eum regno esse orbatum; interim ei a rebus publicis disponendis esse abstinendum, variisque expletis conditionibus vitam privatam Spirae ducendam.

81. Henricus perterritus acquievit postulatis, ac scriptis promisit satisfactionem et obedientiam in Sedem Apostolicam. Quum vero sciret, multos principes eo tendere ut regno privaretur, veritus est, ne accusationibus suis impedirent in comitiis Pontificem, quominus ipsum ab excommunicatione solveret. Atque universim praeferebat, ut res in Italia cum Pontifice componeret, quam ut Gregorius ad comitia in Germaniam veniret. Egit igitur cum Gregorio VII per litteras et nuncios, ut ipse in Italiam veniens cum Ecclesia reconciliaretur; at Pontifex, juxta ea quae Triburiae statuta erant, se Augustam ad comitia venturum esse iterum atque iterum edixit, jamque ad iter arripiendum sese accinxit.

Henrici iter in Italiam.

82. „Tunc rex, scribit Lambertus, optimum factu sibi judicavit pro eo tum statu rerum suarum, ut in Gallias proficiscenti Romano Pontifici intra Italiam occurreret et anathematis absolutionem quoquo posset modo impetrare conaretur; hac impetrata caeteram rebus difficultatem facile adimendam, cum colloqui principibus, et conferre consilia, et fidem amicorum in adversa implorare, nulla deinceps vetaret religio. Paucis igitur ante Natalem Domini diebus, Spirensi urbe discedens, cum uxore et filio parvulo iter aggressus est, nec quisquam ex omnibus

Teutonicis vir ingenuus comitatus est regno excedentem, praeter unum, et ipsum nec genere nec opibus conspicuum." — Aegre tantum rex pecuniam itineri necessariam potuit conquirere, proventibus videlicet regni privatus erat. Hiems autem testante Lamberto erat frigidissima a festo s. Martini usque ad medium Martium. — Quum Henricus comperisset, duces Germaniae varios aditus in Italiam appositis custodibus anticipasse, ut nulla ei illic transeundi copia fieret, per Burgundiam profectus est atque Vesuntione (Besançon) Natalem Domini celebravit, „satis magnifice tunc pro sua calamitate susceptus et habitus ab avunculo matris suae Wilhelmo comite, cujus in illis locis amplissimae et florentissimae opes erant. Exacta solemnitate Natalis Domini profectus inde, cum in locum qui Civis (Civois) dicitur venisset, obvium habuit socrum suam (Adelaïdem), filiumque ejus Amadeum nomine, quorum in illis regionibus et auctoritas clarissima, et possessiones amplissimae, et nomen celeberrimum erat. Hi venientem honorifice susceperunt. Transitum tamen per terminos suos alias ei concedere nolebant, nisi quinque Italiae episcopatus, possessionibus suis contiguos, eis redimendi itineris pretium traderet. . . . Vix et aegre tandem impetratum est, ut provinciam quamdam Burgundiae (Bugey) bonis omnibus locupletissimam, concedendi transitus mercedem dignarentur accipere" [1]).

83. Describit dein Lambertus transitum super Alpes (Mont Cenis) et summas ejus difficultates. Advertendum tamen est, rem manifeste tum ab ipso tum ab aliis scriptoribus exaggerari rhetorica quadam descriptione. Etenim Adelais, ejus socrus, Turinorum comitissa potentissima, cum Amadeo filio eosdem transierat montes, ut Henrico obviam iret, et, quum esset femina ambitiosa et avida, ut mercedem transitus ab Henrico copiosam exigeret. Atque iidem etiam dein regem comitati sunt in itinere. Obfuerunt igitur difficultates consuetae in transitu Alpium Transitus Alpium.

[1]) Lamb. ad a 1077.

tempore hiemali, et equi plures referuntur periisse; attamen incolumes omnes in Longobardiam pervenere. — Postquam porro in Italia fama percrebuit regem advenisse, ad eum episcopi Longobardiae ac proceres multi convolarunt, eumque dimovere conati sunt a consilio sese reconciliandi cum Pontifice, quem ipsi, in sua impietate pervicaces, ope regis sperabant e Sede Apostolica esse pellendum. Rex tamen in coeptis perstitit.

84. Interim etiam Gregorius iter arripuerat in Germaniam, quumque in Italiam superiorem perveniens non inveniret copias quae eum secure deducerent, aliquanto ibi moratus est. Audito adventu regis, suadente Mathilde comitissa Tusciae in ejus arcem munitissimam Canusium sese recepit. Mathildis rege petente cum ipso convenit, ut de reconciliatione deliberarent, ac tum ipsa, quae regi propinquitate generis jungebatur, tum Hugo abbas Cluniacensis apud Pontificem intercesserunt. Dein vero ipse Henricus Canusium venit, et poenitentis habitu indutus, absolutionem a Gregorio petiit debitam satisfactionem promittens. Post triduum reconciliationem obtinuit.

Reconciliatio Canusii peracta.

85. Hisce de rebus Gregorius VII illico scripsit ad Germaniae principes, ut se justificaret, quod ante comitiorum tempus regem ab excommunicatione solvisset. Juvabit Pontificis verba citare, quia multum interest, ut accurate noscantur, quae spectant reconciliationem Henrici Canusii peractam. *Sicut constitutum fuit,* scribit Gregorius, *cum legatis qui ad nos de vestris partibus missi sunt, in Longobardiam venimus circiter viginti dies ante terminum, in quo aliquis ducum ad clusas nobis occurrere debuit, exspectantes adventum illorum, quatenus ad partes illas transire possemus. Verum, cum jam decurso termino hoc nobis nuntiaretur, his temporibus prae multis — quod et nos quidem credimus — difficultatibus ducatum nobis obviam mitti non posse, nec aliunde copiam ad vos transeundi haberemus, non parva sollicitudine, quid potissimum nobis agendum foret, circumventi sumus. Interim vero regem adventare certo*

cognovimus. Qui etiam priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos legatos praemittens, per omnia se satisfacturum Deo et sancto Petro ac nobis obtulit, et ad emendationem vitae suae omnem se servaturum obedientiam repromisit; dummodo apud nos absolutionis et apostolicae benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod quum diu multis consultationibus differentes, acriter eum de suis excessibus per omnes qui intercurrebant nuntios redarguerenus, tandem per semetipsum, nihil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit. Ibique per triduum ante portam castri (Jan. 25—27), *deposito omni regio cultu, miserabiliter, utpote discalceatus et laneis indutus persistens, non prius cum multo fletu apostolicae miserationis auxilium et consolationem implorare destitit, quam omnes qui ibi aderant et ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem et compassionis misericordiam movit, ut pro eo multis precibus et lacrimis intercedentes, omnes quidem insolitam mentis nostrae duritiem mirarentur, nonnulli vero in nobis non apostolicae severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicae feritatis crudelitatem esse clamarent. — Denique instantia compunctionis ejus et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam et sinum sanctae matris Ecclesiae recepimus, acceptis ab eo securitatibus, quae inferius scriptae sunt. Quarum etiam confirmationem per manus abbatis Cluniacensis, et filiarum nostrarum Mathildis et comitissae Adelaidae* (Taurinensis) *et aliorum principum, episcoporum et laicorum, qui nobis ad hoc utiles visi sunt, recepimus. His itaque sic peractis, ut ad pacem Ecclesiae et concordiam regni, sicut diu desideravimus, omnia plenius Deo adjuvante coaptare possimus, ad partes vestras data primum opportunitate transire cupimus. Hoc enim dilectionem vestram indubitanter scire volumus, quoniam sicut in descriptis securitatibus noscere potestis, ita adhuc totius negotii causa suspensa est, ut et adventus noster et consiliorum vestrorum unanimitas permaxime necessaria esse videantur* [1].

[1]) Reg. IV. q. 12. — Videtur epistola scripta die 28. Jan. 1077.

Henrici juramentum.

86. Jusjurandum autem quod ea occasione Henricus fecit ejusmodi fuit: *Ego Henricus rex de murmuratione et dissensione quam nunc habent contra me archiepiscopi et episcopi, duces, comites, caeterique principes regni Teutonicorum, et alii qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum quem Domnus Papa Gregorius constituerit, aut justitiam secundum judicium ejus, aut concordiam secundum consilium ejus faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit, quo transacto ad idem peragendum paratus ero. Item si idem Domnus Papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte et eorum quos constringere potero ab omni laesione vitae, et membrorum ejus seu captione, tam ipse quam qui in ejus conducto et comitatu fuerint, seu qui ab illo mittuntur vel ad eum de quibuscumque terrarum partibus venerint, in eundo et ibi morando seu inde redeundo. Neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit; et si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse meum eum adjuvabo.*

87. Secundum Lamberti narrationem praeterea ab Henrico adhuc variae promissiones exactae fuerunt. Has inter alias Lambertus commemorat, *ut die et loco quemcumque Papa designasset evocatis ad generale concilium Teutonicis principibus praesto esset, et accusationibus quae intenderentur responderet, ipso Papa, si ita expedire videretur, cognitore causarum assidente, et ad ejus sententiam vel retineret regnum, si objecta purgasset, vel aequo animo amitteret, si probatis criminibus regio deinceps honore indignus juxta ecclesiasticas leges decerneretur;* usque ad eam autem diem, qua causa ejus legitime discussa terminaretur, *nulla regii cultus ornamenta, nulla regiae dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem juxta consuetudinem suo jure ageret, nihil quod ratum fore oporteat decerneret.* Forte tamen in hisce quaedam est Lamberti exaggeratio. Haud apparet ex Gregorii VII epistola et ex juramento Henrici, ei impositum esse, ut penitus abstineret ab omni actu auctoritatis. Quum generali ratione convenisset, ut Henricus in controversia pen-

dente inter ipsum et principes regni se Pontifici ut arbitro submitteret. Lambertus ad particularia, quae veluti huic conventioni connexa habet, in sua narratione descendit. Consuetum ipsi est res graphice ac per singula describere[1].

88. Canusium venerant etiam plures Germaniae praesules, qui pariter praestita satisfactione ab excommunicatione soluti sunt. — Animadvertendum autem est, illos humilitatis et poenitentiae actus quos Henricus prae se tulit, quum Canusii a Pontifice absolutionem petiit, haud fuisse aliquam poenitentiam publicam ei a Gregorio VII impositam. Sed ita se gessit rex more illorum temporum, ad captandam Pontificis benevolentiam. Propterea ritu et habitu poenitentis ad portam castri interiorem se praesentavit. Nec supponendum esse censeo, eum continuo nudis pedibus sub divo stetisse, sed ita frequenter habitu poenitentis prodiit ad portam, et a Pontifice ut admitteretur petiit. Caeterum quum breviores essent hiemali tempore dies, certe vespere ingruente se ad hospitia rex cum suis recipiebat. Habitum laneum poenitentis super consuetas vestes induere poterat, nec in ejusmodi voluntaria susceptione poenitentiae eo tempore quid ignominiosi erat, sed talia potius laudi vertebantur. Henrici poenitentia.

89. Existimat Gfrörer, per juramentum ab Henrico praestitum regem sese implicite reddidisse Sedis Apostolicae vasallum[2], idque etiam a Bonizone quamvis caute innui, dum scribit: *Sunt vero qui dicunt, eum vitam et membrum et suum honorem Papae jurasse. Ego vero de ignoto omnino nihil affirmo*[3]. Illa videlicet: *vita, membra,* Juramenti indoles.

[1] Bruno, alius scriptor illius aetatis et Henrico adversus, mentionem non facit illius conditionis, sed tantum breviter scribit: „Apostolicus vero de tanti viri tanta humilitate laetatus, praecepit ei, ut regalem ornatum, donec ipse permitteret, sibi non imponeret, quatenus omnipotenti Deo acceptior esset cordis ejus contritio, quo eam et foris ostenderet vilis habitus testimonio." De bello Saxonico, M. G. Scr. V. 365.

[2] Gregor. VII. B. VII. 581.

[3] De persecut. Lib. VIII. Watterich I. 331.

captio, honor, signa certa esse hominii quod a *vasallo* praestatur *seniori*. — At similia etiam continentur in juramentis quae alii reges Imperatoresve, e. g. Otto I, Pontificibus praestiterunt, quin tamen inde se vasallos Sedis Apostolicae redderent. Legitur in juramento Ottonis I inter alia: *Sanctam Romanam ecclesiam et te rectorem ipsius exaltabo secundum posse meum, et nunquam vitam, aut membra, et ipsum honorem quem habes, mea voluntate, aut meo consilio, aut meo consensu, aut mea exhortatione perdes*[1]. Valde obvium erat, ut dum reverentiam Sedis Apostolicae vel ejus protectionem promitterent, talibus uterentur verbis quae in usu erant in formulis illius aetatis; ex similitudine autem aliqua immerito concluditur hominium proprie dictum praestitum fuisse.

Sumptio Eucharistiae.

90. Referunt quoque scriptores illius aetatis, Gregorium Pontificem post Henrici regis absolutionem, coram ipso atque episcopis praesentibus missae sacrificium obtulisse, imo etiam regi sacram eucharistiam porrexisse. Lambertus Hersfeldensis autem narrat, Pontificem allocutione habita regi obtulisse communionem, ut sumtione eucharistiae ad instar ordalii se ab objectis ei criminibus purgaret. Regem vero, consilio habito cum suis, declinasse hoc communionis ordalium eo praetextu quod, absentibus principibus qui eum accusabant, irrita foret ejusmodi purgatio. Bertholdus de proposito ejusmodi ordalio nihil habet, sed paucis verbis: „Ipse Papa, scribit, missas fecit et in loco communionis regi ad se vocato eucharistiam porrexit, quam antea ipsi interdixerat. Cujus participatione rex se indignum fore contestans, incommunicatus digreditur."[2] Auctores vero Itali, Donizo in *Vita Mathildis*[3], ac Bonizo in suo opere jam passim citato.

[1] Vide Dissert. praeced. n. 139.

[2] Bertholdi Annales ad a. 1077 ap. Watterich l. c. I. 400. — Bertholdus, monachus monasterii Augiensis, Hermanni Contracti fuit discipulus, hujusque Annales continuavit. Vir erat pius et orthodoxus ac Gregorio VII addictus.

[3] Donizo presbyter et monachus fuit in monasterio quod Canusii Mathildis fundaverat. Coaevus erat ipsius Mathildis ejusque Vitam carmine scripsit. V. M. G. XII. 348.

referunt, Henricum sacra eucharistia a Pontifice ipsi oblata reapse refectum fuisse. Addit Bonizo, regem a Pontifice celebrante monitum fuisse, communionem hanc ipsi futuram esse in salutem, si mens ipsius sit sincera; sin minus vero eam ipsi fore in perniciem. „A venerabili Gregorio, scribit, quamvis ejus non ignorante versutias, absolutionem quam petebat invenit, sacramento Dominico mediatore in ipsa missarum celebritate hoc modo: Nam divinae mensae, adstantibus episcopis, abbatibus, religiosis, clericis ac laicis, hoc modo fecit participem, ut, si se mente ut corpore fecisset humiliatum, et si se jure crederet Pontificem, se vero excommunicatum, . . . et per hoc crederet posse absolvi sacramentum, amplius illi fieret in salutem, sin vero aliter, ut Judae per buccellam, intraret in ipsum satanas" [1]). Auctores illos Italos accuratius hoc factum retulisse censemus. Ipsi enim eventus istos melius nosse potuerunt, quam scriptores in Germania degentes, ad quos fama minus fidelis ac varia, additis circumstantiis confictis, pervenit. Haud dubium igitur videtur, a Gregorio VII Henrico post ejus absolutionem sacram eucharistiam datam fuisse. Fortasse addidit admonitionem aliquam, quae a Bonizone non quidem iisdem verbis, sed quoad sensum refertur. — Instar ordalii a Pontifice communionem sumendam fuisse propositam, ut ea ratione rex ab accusationibus sese purgaret, admodum improbabile est. Etenim, ut alia omittamus quae cum ejusmodi Gregorii consilio pugnant, nolebat Pontifex litem inter Henricum et Germaniae principes dirimere ipsis non auditis. Propterea, etsi alii desiderarent ut omnia statim componerentur, ipse firmiter ac prudenter in eo perstitit proposito, habendum esse conventum in Germania, ut ipso vel ejus legatis praesentibus, controversiae dirimerentur, eamque conditionem Henrico statuit.[2])

[1]) De persec. Eccl. L. VIII. ap. Watterich l. c. p. 330

[2]) Cfr. hac de re Hefele C. G. V. §. 581. ubi cl. auctor fusius ostendit, Lamberti narrationem admitti non posse.

Henrici inconstantia.

91. Reconciliatio ista Henrici haud erat, quantum nobis videtur, simulata: sed uti ipse erat animi versatilis, postquam Canusium reliquit, mox ad priora reversus est facinora. Circumdederunt enim eum in Italia superiori viri, qui reconciliationem cum Gregorio VII inire nolebant. Fremebant episcopi simoniaci Longobardiae quod eorum causam rex reliquisset, proceresque laici pariter in sua contra Gregorium VII oppositione perseverarunt. Hinc aperte Henrico se infensos ostenderunt Longobardi, atque minati sunt, se, ipso deposito, Conradum, filium ejus parvulum, regem salutaturos, et cum eo profecturos Romam, ut novum crearent Pontificem. Initio quidem Henricus eos pacare studuit, quin luctam contra Gregorium renovaret; sed ab illis, quorum dux fuit Guibertus Ravennatensis, ad ulteriora proreptus est. Longobardi Geraldum Cardinalem Ostiensem, Pontificis legatum, Placentiae custodiae manciparunt; quumque Gregorius VII atque Mathildis comitissa Mantuae cum Henrico IV convenire disponerent, isti insidias struxerunt, ut illos captivos retinerent. Sed re detecta conventus non est habitus. Henricus autem magis magisque Pontificis adversariis se junxit. Quum Pontifex coronationem solemnem pro Italiae regno Monzae interdixisset, veluti furtim alibi se coronari fecit, et impedivit sua in Italia commoratione, quominus Augustae comitia haberentur. Gregorius vero, quum ei tum iter in Germaniam, tum reditus in Urbem praeclusus esset, Canusii subsistere coactus est.

92. Principes Germaniae interim nova comitia in oppido Forchheim indixerunt, eoque Pontifex quum ipse proficisci non posset, duos misit legatos, Bernardum Cardinalem diaconum et Bernardum abbatem Massiliensem. Comitia die 13° Martii a. 1077 inceperunt, et principes, quamvis legati Pontificis id improbarent, deposito Henrico,

Rudolphi electio.

in regem elegerunt *Rudolphum* Sueviae ducem Henrici affinem, quem Sigifridus Moguntinus praesul die 26° Martii Moguntii coronavit. Vir erat Ecclesiae addictus, qui legatos Pontificis in lucta contra simoniam et incontinentiam protexit et adjuvit. Gregorius VII tamen quantum

potuit causam Henrici IV tuitus est, atque improbavit illam electionem, eo quod ipso dissuadente ac strenua necessitate id haud exigente, eadem peracta erat, quodque Pontifex sibi judicium de lite inter Henricum et principes haerente reservaverat. Itaque quamvis Rudolphum, uti Henricus postulabat, excommunicare recusaret, nec tamen eum ut regem agnovit. Sed strictum justitiae tramitem tenens, spem fovebat, communi cum principibus consilio litem dirimi pacemque restitui posse, utque id fieret omnes quos poterat adhibuit conatus.

93. Romam initio mensis Septembris reversus est, quumque Agnes Henrici mater die 17° Decembris piissime obiisset, Pontifex eam die 5. Januarii a. 1078 solemniter condidit sepulchro in ecclesia s. Petronillae. — In Quadragesima dein copiosam habuit synodum, in qua auditis Rodulphi et Henrici legatis, principum suorum obedientiam erga R. Pontificem testantibus, convenit, ut legati idonei in Germaniam mitterentur, qui principes et probos ac religiosos viros utriusque partis audirent, utque ei cui competeret jus fieret. In eadem synodo anathema in Theodoaldum Mediolanensem et Guibertum Ravennatensem archiepiscopos innovatum est, et uterque ab omni episcopali et sacerdotali officio suspensus. Cardinalis vero Hugo Candidus, jam ter damnatus, officio sacerdotali et ecclesiae aditu prohibitus fuit. — Interim in Germania saeviit atrox bellum civile inter Rudolphum et Henricum eorumque sequaces. Legati Pontificis quidem Coloniae ab Henrico honorifice recepti sunt, sed tum ipse tum Rudolphus comitiis ad pacem restituendam habendis impedimenta posuerunt. Henricus autem continuavit exercere investituram, et canonibus neglectis vacantes sedes Trevirensem et Strasburgensem quibus voluit, dedit.

Synodus Rom. a. 1078.

94. Subsequentibus annis Gregorius adhuc pluribus in synodis, variisque legatis missis, res Germaniae componere studuit, sed frustra, obsistente Henrico, qui per arma litem dirimere praeferebat. Quum vero de ejus facinoribus graviores in dies Romam perferrentur accusationes,

Synodus Rom. a. 1080. jamque pateret, eum, omnibus quae promiserat spretis, pacifico controversiae examini haud velle acquiescere, postremo Gregorius in synodo Lateranensi, anno 1080 die 7° Martii, excommunicationem in Henricum ejusque depositionem pronuntiavit, ac Rodulphum ut regem agnovit[1]. Sententiam etiam in hac synodo inseruit allocutioni deprecatoriae ad ss. Apostolos Petrum et Paulum directae, ac fusius in eâdem quae in causa Henrici egerit exprimit. Inter alia ait: *Specialiter Heinricus, quem dicunt regem, Heinrici Imperatoris filius, contra vestram calcaneum erexit ecclesiam, facta cum multis episcopis ultramontanis et Italicis conspiratione, annitens me dejiciendo eam sibi subjugare. Cujus superbiae vestra resistit auctoritas, eamque vestra destruxit potestas. Qui confusus et humiliatus ad me in Longobardiam veniens absolutionem ab excommunicatione* Sententia in Henricum. *quaesivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de suae vitae emendatione, solam ei communionem reddidi; non tamen in regno, a quo eum in Romana synodo deposueram, instauravi, nec fidelitatem omnium, qui sibi juraverant vel erant juraturi, a qua omnes absolvi in synodo, ut sibi servaretur praecepi. Et haec ideo detinui, ut inter eum et episcopos vel principes ultramontanos, qui ei causa jussionis vestrae ecclesiae restiterant justitiam facerem vel pacem componerem, sicut ipse Heinricus juramento per duos episcopos mihi promisit. Praedicti autem episcopi et principes ultramontani, audientes, illum non servare mihi quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi Rodulfum ducem in regem. Qui rex Rodulfus festinanter ad me misso nuntio indicavit: se coactum regni gubernacula suscepisse; tamen sese paratum mihi omnibus modis obedire. . . . Ego*

[1]) Brevi ante minis superbis Gregorium VII Henricus terrere praesumpserat. „Interea (initio a. 1080) scribit Bonizo, rex Heinricus deliberato consilio misit Romam legatos, Lemarum scilicet Bremensem archiepiscopum . . . et Babenbariensem episcopum et alios quam plures, superbam et inauditam portantes legationem: Ut si vellet Papa Rudolphum absque judicio excommunicare, debitam ei praeberet obedientiam. Sin aliter, acquireret sibi Papam, qui faceret secundum ejus voluntatem.“ V. Watterich l. c. I. 334

enim, sicut vos mihi testes estis, Patres et Domini, usque hodie nullam partem disposui adjurare nisi eam, cui plus justitia faveret. Et quia putabam, quod injustior pars colloquium nollet fieri, ubi justitia suum locum servaret, excommunicari et anathemate alligari omnes personas, sive regis, sive ducis, aut episcopi, seu alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ut non fieret. Praedictus autem Heinricus cum suis fautoribus, non timens periculum inobedientiae quod est scelus idololatriae, colloquium impediendo excommunicationem incurrit, et se ipsum anathematis vinculo alligavit, magnamque multitudinem christianorum morti tradi et ecclesias fecit dissipari, et totum paene Teutonicorum regnum desolationi dedit. Quapropter, confidens de judicio et misericordia Dei ejusque piissimae matris semper virginis Mariae, fultus vestra auctoritate, saepe nominatum Heinricum quem regem dicunt, omnesque fautores ejus excommunicationi subjicio et anathematis vinculis alligo. Et iterum regnum Teutonicorum et Italiae ex parte omnipotentis Dei et vestra interdicens ei, omnem potestatem et dignitatem illi regiam tollo; et, ut nullus christianorum ei sicut regi obediat, interdico, omnesque qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione a juramenti promissione absolvo. Ipse autem Heinricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires nullamque in vita sua victoriam obtineat. Ut autem Rodulfus regnum Teutonicorum regat et defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra largior et concedo; omnibus sibi fideliter adhaerentibus absolutionem omnium peccatorum vestramque benedictionem in hac vita et in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Heinricus pro sua superbia, inobedientia et falsitate, a regni dignitate juste abjicitur, ita Rodulfo pro sua humilitate, obedientia et veritate, potestas et dignitas regni conceditur [1]). Postremo deprecatur ss. Apostolos, ut, dejecto Henrico ipsi judicium exerceant. —

---

[1]) Gregorii VII Registri VII. 14. a. Ap. Jaffé, Monum. Gregoriana p. 398.

Eadem synodo etiam decretum contra investituras renovatum est.

95. Henricus ejusque fautores, audita ipsius excommunicatione et depositione, vehementer commoti sunt, et Gregorium VII quorumvis turpium et nefandorum criminum, magiae, impudicitiae et haereseos accusantes, eum pontificatu deponendum esse conclamarunt. Mense Junio autem triginta episcopi e Germania et Longobardia pluresque clerici et laici cum Henrico IV Brixinae conventum habuerunt. Iterum Hugo Candidus ut Gregorii VII accusator processit, calumniasque priores repetiit: addidit etiam, Pontificem insidias struere Henrici vitae, asseclam eum esse Berengarii haeretici, et magum qui cum daemone inierit pactum. Decretum igitur depositionis Gregorii praesules rebelles condiderunt, cui etiam Henricus subscripsit. Audacter dein cum unico Hugone Cardinale Pontificem elegerunt Guibertum archiepiscopum Ravennatensem, qui
Clemens III antipapa. Clementis III nomen assumpsit. Henricus illico genu flexo ut Pontificem eum veneratus est, eique jurejurando promisit, se cum exercitu illum Romam esse ducturum, accepturumque ex ejus manibus Imperii coronam. Guibertus magno cum fastu interim Ravennam recessit: Henricus autem in Germaniam rediit bellumque continuavit contra Rudolphum. Die 15° Octobris atrox praelium in Saxonia ad Alistrum fluvium commissum est, in quo Henricus quidem devictus, sed Rudolphus adeo est vulneratus, ut paucis post diebus occumberet. Iisdem fere diebus etiam milites Mathildis in Longobardia ab exercitu Henrici devicti sunt. Inde Henrici partes valde firmatae sunt, eo vel magis, quod multi praematuram Rudolphi mortem divino adscriberent judicio, et inde injustam fuisse ejus causam falso concluderent.

96. Altero anno 1081 Gregorius VII tempore Quadragesimae iterum habuit synodum, in qua novam excommunicationem tulit in Henricum ejusque fautores. Rex vero cum copioso exercitu in Italiam se contulit, ut antipapam Clementem in Petri cathedram intruderet, atque etiam

usque ad Urbem pervenit, sed a Pontificis et Mathildis, Liguriae et Tusciae comitissae, copiis repulsus est. — Interim Gregorius eo pervenerat, ut Normannos Ecclesiae devinciret, ducemque fortissimum Robertum tanquam vasallum Sedis Apostolicae acciperet. Robertus ob rapinas et injustam bonorum Ecclesiae retentionem primo excommunicatus erat anno 1074, anno 1075 iterum, et cum Salernum (Dec. 1076) et Civitatem cepisset, Campaniam aggressus esset, denique Beneventum anno 1077 obsedisset, tertio anathemate percussus erat. Sed anno 1080 primum opera Desiderii abbatis Cassinensis ab excommunicatione solutus est, ac paulo post Salerno *movens gressum, dux ipse perrexit ad Gregorium Papam, ejusque ligius homo jurejurando effectus apud Ciperanum, accipiens ab eo vexillum s. Petri mense Junio* [1]. Investiturae formula hujusmodi fuit: *Ego Gregorius Papa investio te, Roberte dux, de terra quam tibi concesserunt antecessores mei sanctae memoriae Nicolaus et Alexander. De illa autem terra quam injuste tenes, sicut est Salernus et Amalfia et pars marchiae Firmanae, nunc te patienter sustineo, in confidentia Dei omnipotentis et tuae bonitatis, ut tu postea inde ad honorem Dei et sancti Petri ita te habeas, sicut et te agere et me suscipere decet sine periculo animae tuae et meae* [2]. Principes vero Germaniae Henrico adversi regem constituerunt Herimannum comitem Luxemburgensem, qui die 26° Decembris anni 1081 a Sigifrido archiepiscopo Moguntino Goslariae in regem unctus est.

Robertus Guiscardus.

97. Quae subsequentibus annis evenerunt quoad luctam Henrici IV contra Gregorium VII paucis commemorare sufficiet. — Anno 1082 Henricus iterum cum exercitu Italiam ingressus, Romam obsedit, sed irrito conatu. Sequenti tamen anno 1083 eo pervenit, ut partem urbis occuparet: alteram partem, videlicet Leonis civitatem

---

[1]) Romuald. Archiep. Salernit. ap. Muratori Scr. VII. p. 112. — Watterich, I. 439.

[2]) V. Watterich, I. 440.

cum basilica s. Petri, tenuit Pontifex. Rex speciosis promissis, pecunia atque terrore, Romanos corrumpere conatus est, et contra Gregorium excitare. Cum Pontifice etiam egit, seque paratum testatus est ad concordiam ineundam et Clementem antipapam deserendum, si Gregorius ipsum in Imperatorem coronaret; sed merito Pontifex intrepidus postulavit, ut antea Deo et Ecclesiae pro facinoribus suis publicis satisfactionem praestaret. Id vero Henricus IV facere recusavit. Movit autem Romanos, ut novam synodum peterent a Pontifice celebrandam, cujus judicio causa dirimeretur. Gregorius VII nullam concordiae viam repudians novam synodum revera indixit, et Henricus omnibus ad synodum ituris aut ab ea redituris securitatem jurejurando promisit. Ipse dein in Tusciam profectus est cum copiis, ut etiam Mathildem comitissam ad arma deponenda adduceret; quod tamen ab ea non impetravit. Interim vero perfidus princeps episcopos et principum oratores ad synodum properantes intercepit, atque detinuit: Gregorius autem mense Novembri anni 1083 synodum celebravit cum praesulibus qui ad eam convenire potuerant. In ea de fide et de disciplina, sed et *de robore animique constantia ad praesentem pressuram necessaria* [1]) disseruit atque tractavit. *Ne Henricum specialiter iterum anathematizaret vix a synodo exoratus, omnes tamen excommunicavit, quicumque aliquem ad s. Petrum vel ad Papam venientem quoquo modo impedirent* [2]). Romani autem, qui in fidelitate sua vacillaverant, se Gregorio addictos et fidos ostenderunt.

Henricus Romae.

98. Anno 1084 Henricus denuo Romam cum copiis profectus, et Romanis partim pecunia et terrore, partim obsidione victis, urbem die 21 Martii occupavit, et antipapam Clementem a duobus episcopis excommunicatis et depositis inaugurari fecit. Interim Gregorius VII in castellum munitissimum s. Angeli confugit, illudque per mi-

---

[1]) Acta Concil. V. Watterich, I. 456.
[2]) Bernold. ad a. 1083. Ibidem.

lites ipsi fideles contra regis aggressionem defendit. Opem vero interpellavit Roberti Guiscardi, Normannorum ducis, qui ut vasallus debitum revera mox auxilium Pontifici praestitit Ex Bulgaria, ubi belligerebat, illico secedens, copiis in Apulia collectis, cum manu valida Romam perrexit. Henricus quum ejus adventum comperisset, nec exercitum haberet ei numero ac viribus parem, Roma die 21 Maji secessit, et cum Guiberto antipapa transiit in Longobardiam. Robertus autem facili negotio die 28 Maji urbem expugnavit, Gregoriumque ex arce s. Angeli salvum eduxit ad palatium Lateranense. Sed in expugnatione haud mediocris urbis pars incendio destructa est; complures autem Normannorum feroces milites, frustra obnitente Gregorio, multos occiderunt, ecclesias subruerunt, in mulieres tum conjugatas tum virgines foedissima commiserunt flagitia. Quum vero Gregorius VII ob haec mala quae perpessi erant Romanorum animos adverteret valde exacerbatos, „veritus ne duce recedente infidelitas Romana exagitata recrudesceret et quos antea habuerat quasi fidos amicos pateretur infidos, cedendum tempori arbitratus Salernum se contulit“ [1]. Cum duce Roberto Guiscardo videlicet Pontifex urbem reliquit, et brevi tempore in monte Cassino et Beneventi commoratus, Salernum profectus est. — „Domnus autem Papa collecta synodo Salerni (mense Novembri) iterum sententiam anathematis in Guibertum haeresiarcham, et Heinricum et in omnes eorum fautores promulgavit. Hanc sententiam legati Sedis Apostolicae, videlicet Petrus Albanensis episcopus in Francia, Oddo Ostiensis episcopus in terra Teutonicorum usquequaque divulgarunt“ [2].

Gregorius liberatus.

Secedit Salernum.

99. In Germania interea bellum civile saeviebat, ac maxima inter praesules divisio. „Utriusque partis primates, ait Annalista Saxo, ob discutiendam tam immortalem controversiam, 13 Kal. Febr. (20 Jan. 1085) apud Peri-

---

[1]) Hugo Flaviniac. ad a. 1084. — Watterich, I. 465.

[2]) Bernoldus ad a. 1084. — Watterich, I. 467.

stadt (Berkach) Thuringiae villam convenerunt" [1]. Causam Pontificis defenderunt Otto Ostiensis Gregorii legatus, atque Gebehardus Salisburgensis et Hartvigus Magdeburgensis archiepiscopi, pluresque episcopi; Henrici autem partes tenuerunt archiepiscopi Rhenani [2]) et varii eorum suffraganei. Maxime de communione cum excommunicatis et de Henrici excommunicatione disputatum fuit. Henrici sectatores hanc excommunicationem irritam esse volebant, eo quod principi deberet applicari canon de episcopis, quo statuitur, episcopum ab adversariis dejectum judicari et definitiva sententia damnari non posse, nisi antea in integrum restitutus sit. Pontificis autem defensores declinarunt controversiam hanc prosequi, merito asserentes, nemini licere sententiam Sedis Apostolicae discutere et retractare, quum Sedes Apostolica a nemine judicari possit. — Infectis rebus conventus iste solutus est. — Tempore autem paschali legatus Pontificis et archiepiscopi, episcopi et abbates Gregorio VII fideles, praesente Herimanno rege ejusque principibus, Quedlimburgi synodum celebrarunt. „Cum igitur omnes juxta ordinem suum consedissent, prolata sunt in medium decreta sanctorum Patrum de primatu Sedis Apostolicae, quod nulli unquam liceat ejus judicium retractare, vel de ejus judicio judicare, quod et totius synodi publica professione laudatum et declaratum est. Et hoc utique contra Heinricianos, qui fideles sancti Petri constringere voluerunt, ut excommunicationem Domni Papae Gregorii super Heinricum cum illis retractare praesumerent" [3]). Postremo Guibertum, et Cardinales episcoposque schismaticos anathemate perstrinxerunt.

Germaniae status.

100. Gregorius VII Salerni in corporis infirmitatem ac languorem incidit, et quamvis initio anni 1085 melius

[1]) Ap. Watterich, I. 470.

[2]) Sigifridus Moguntinus praesul ex sede pulsus die 16 Februarii anni 1084 exul in Thuringia obierat; in sedem autem Moguntinam tum intrusit Henricus Wezilonem praepositum Halberstadiensem, qui inter schismaticos ingenio praestabat.

[3]) Bernoldus. — Watterich, I. 471.

haberet, conscius tamen fuit brevi se moriturum, variaque pro Ecclesiae salute disposuit. Mense Majo gravius decubuit. Commendavit autem quum consulerent eum Cardinales, ut viros dignos et aptos qui in Sede Apostolica succederent, Desiderium abbatem Cassinensem, Humbertum archiepiscopum Lugdunensem, Ottonem Ostiensem, et Anselmum Lucensem, *quemcumque ex his habere possent.* De excommunicatione autem similiter requisitus respondit: *Praeter Heinricum regem dictum et Ravennatem archiepiscopum, nisi forte ad vos, prout vobis videbitur, ad dignam atque canonicam venerint satisfactionem, et praeter omnes principales personas, quae aut consilio aut auxilio favent nequitiae illorum et impietati, omnes absolvo et benedico, quicumque me hanc habere potestatem spiritualem in vice sancti Petri Apostoli credunt indubitanter*[1]). — Mortuus est s. Gregorius VII die 25° Maji anni 1085. *Ubi vero in extremis positus erat, ultima ejus verba haec fuerunt: Dilexi justitiam, et odi iniquitatem, propterea morior in exilio. Quocontra quidam venerabilis episcopus respondisse narratur: Non potes, Domine, mori in exilio, qui in vice Christi et Apostolorum ejus divinitus accepisti gentes haereditatem et possessionem terminos terrae*[2]). S. Gregorii VII mors.

101. Opinantur aliqui, ex ultimis verbis Gregorii colligi, eum mortuum esse animo valde afflicto et dejecto, quod victoria potius ab adversariis reportata videretur[3]). Sed censemus, illis verbis potissimum exprimi firmissimam Pontificis mentem et conscientiam, se nihil aliud actis suis luctaque suscepta prosecutum fuisse, nisi Ecclesiae bonum, et pro causa justissima se mala exiliumque perferre. Caeterum verum est, eo tempore quo Gregorius VII moriebatur visos fuisse schismaticos et impios triumphum quemdam reportare. Attamen Pontifex vigore sapienti quo principia vera ac jura Ecclesiae affirmaverat et pro-

[1]) Urbanus II (Otto Ostiens.) in ep. ap. Hugon. Flaviac. servata. Watterich, I. 473.

[2]) Paul. Bernried. in Vita Gregorii VII. Watterich, I. 540.

[3]) Reumont, Gesch. d. Stadt Rom. II. p. 385.

pugnaverat, eam praeparavit victoriam, quam obtinuerunt ejus successores, eamque Ecclesiae independentiam, libertatem, auctoritatem in ipsam societatem civilem firmiter fundavit, quae subsequente saeculo splendido modo sese evolvit. Quod autem spectat ad simoniae et incontinentiae abusus, Gregorius, evocatis ipsis fidelibus ad luctam contra pertinaces, valida iis posuit repagula et ex parte eos jam destruxit.

Consilium expeditionis sacrae.

102. Ne vero reliqua Gregorii facta egregia praeterisse videamur, utque clarius perspiciatur, quanta fuerint ipsius in Ecclesiam merita, paucis commemoremus alia ejus gesta praeclara. Inde ab initio Pontificatus sui meditatus est expeditionem in Terram sanctam, ut Christianos a Saracenorum tyrannide vindicaret, et res jam disponebat, ut comitibus Agnete Imperatrice et Mathilde comitissa multisque proceribus, cum exercitu quinquaginta millium militum ipse in Orientem proficisceretur. Sed quae supervenit perturbatio ab Henrico IV excitata eum impedivit, quominus opus hoc prosequeretur. Consilia vero jam a Gregorio disposita brevi post Urbanus II executioni mandavit.

Rex Galliae.

103. Quum in Gallia Philippus rex libidine sua et simonia res in tristem statum conjiceret, Gregorius VII Humberto archiepiscopo Lugdunensi et Rocleno episcopo Cabilonensi mandavit, ut regem monerent, ne ecclesiasticam libertatem impediret, intentatis ei anathematis minis, nisi episcopos cleri suffragiis populique assensu electos, haud soluta pecunia ecclesiis praefici sineret. Rex missis Romam legatis spopondit, se emendaturum quae in Ecclesiam peccaverat, et mandatis apostolicis pariturum in iis quae religionem spectabant. Pontifex regis consilia laudavit (Epist. I. 75); quum vero audivisset, regem in nefandis criminibus perseverare atque justitiae leges et ecclesiarum libertatem impune violare, litteras graves ad episcopos Galliae scripsit, in quibus eorum negligentiam increpavit. Mandavit iis, ut regem monerent et a perversa vita revocarent sub generalis interdicti periculo,

additque, quod si rex in iniquitate sua perseveraret, se anathematis gladio ipsiusque regni privatione plectendum sciret. Quum rex vero identidem promitteret morum emendationem, et ignavia potius ac levitate quam obstinata perversitate peccaret, minas non exsecutus est. Legationem Apostolicam autem ad abusus tollendos Pontifex credidit Hugoni episcopo Diensi, qui revera animo invicto officium suum exsecutus optime de reformatione Ecclesiae meritus est. Terminavit Gregorius etiam litem diuturnam inter episcopos Britanniae minoris et archiepiscopum Turonensem. Vidimus, jam saeculo nono difficultates exortas esse eo quod instigantibus Britanniae minoris principibus, illi episcopi non se submitterent ut metropolitano, Turonensi praesuli, sed proprium vellent metropolitanum Dolensem scilicet episcopum. Statutum fuit, ut episcopus Turonensis metropolitani jura in Britanniam haberet, Dolensi tamen episcopo (illius temporis saltem) usus pallii concederetur[1]).

104. In *Hispaniam* Gregorius VII legavit Richardum Cardinalem, tum ut abrogato ritu Gothico officia sacra constitueret secundum ritum Romanum, tum ut Alphonsum regem Castellae perduceret ad dissolvendum conjugium, quod cum defunctae conjugis consanguinea contraxerat. Alphonsus secundum Pontificis mandatum incestum conjugium disrupit. In Burgensi autem synodo anno 1080 Romanus ritus praescriptus est, aliaque ad disciplinam ecclesiasticam, speciatim ad clericorum continentiam spectantia, constituta sunt. — In *Anglia* tunc regnabat Gulielmus Normannus, qui in disciplina ecclesiastica tuenda sat bene merebat; inde factum est, ut Gregorius, quamvis jura Ecclesiae passim rex violaret, indulgentia quadam uteretur. In pluribus epistolis Pontifex conqueritur, quod impediat episcopos quominus Romam proficiscantur, et etiam minatur, se severitate in eum usurum esse. Qualem vero oeconomia prudenti elegerit rationem agendi, colli-

Hispania.

Anglia.

[1] Greg. Regist. VII. 15.

gitur ex epistola ejus a. 1081 ad Hugonem Diensem legatum suum scripta[1]. *Rex Anglorum*, scribit, *licet in quibusdam non ita religiose, sicut optamus, se habeat, tamen in hoc, quod ecclesias Dei non destruit neque vendit, et pacem justitiamque in subditis suis moderari procurat, et quia contra Apostolicam Sedem, rogatus a quibusdam inimicis crucis Christi pactum inire, consentire noluit; presbyteros uxores, laicos decimas quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit, caeteris regibus se satis probabiliorem ac magis honorandum ostendit. Unde non indignum debet existimari, potestatem illius mitius esse tractandam atque respectu probitatis ipsius subditorum et eorum quos diligit negligentias, ex parte fore portandas . . . Videtur enim nobis multo melius atque facilius, lenitatis dulcedine ac rationis ostensione quam austeritate vel rigore justitiae illum Deo lucrari et ad perpetuum beati Petri amorem posse provocari.*

105. Sed ob posteriores lites opportunum videtur
Gulielmus I. quoad Angliam adhuc pauca adjicere. De Gulielmi usurpationibus circa res ecclesiasticas, scribit Eadmerus, versus annum 1120 episcopus s. Andreae in Scotia: „Usus atque leges, quas patres sui et ipse in Normannia habere solebant, in Anglia servare volens, de hujusmodi personis episcopos, abbates et alios principes per totam terram instituit, de quibus indignum judicaretur, si per omnia suis legibus, postposita omni alia consideratione, non obedirent, et si ullus eorum pro quavis terreni honoris potentia caput contra eum levare auderet, scientibus cunctis, unde, qui, ad id assumpti fuerint. Cuncta ergo divina simul et humana ejus nutum exspectabant. Non ergo pati volebat, quemquam in omni dominatione sua constitutum Romanae urbis Pontificem pro Apostolico, nisi se jubente recipere, aut ejus litteras, si primitus ostensae sibi non fuissent, ullo pacto suscipere. Primatem quoque regni sui, archiepiscopum dico Cantuariensem, si coacto generali episcoporum

---

[1] Regist. VIII. 28 (IX. 5).

concilio praesideret, non sinebat quidquam statuere aut prohibere, nisi quae suae voluntati accommodata et a se primo essent ordinata. Nulli nihilominus episcoporum suorum concessum iri permittebat, ut aliquem de baronibus suis seu ministris, sive incestu, sive adulterio, sive aliquo capitali crimine denotatum, publice, nisi ejus praecepto, implacitaret aut excommunicaret, aut ulla ecclesiastici rigoris poena constringeret. Lanfrancus inter alios, imo prae aliis, erat memorato regi Wilhelmo acceptus"[1]).

106. Gregorius VII a Gulielmo petierat, ut denarium consuetum s. Petri solvi diligentius curaret, ac *fidelitatem* ipsi et successoribus ejus faceret. Ad haec respondit Gulielmus: *Hubertus legatus tuus, religiose Pater, ad me veniens ex tua parte me admonuit, quatenus tibi et successoribus tuis fidelitatem facerem, et de pecunia quam antecessores mei ad Romanam ecclesiam mittere solebant, melius cogitarem. Unum admisi, alterum non admisi. Fidelitatem facere nolui, nec volo; quia nec ego promisi, nec antecessores meos antecessoribus tuis id fecisse comperio. Pecunia tribus fere annis, in Galliis me agente, negligenter collecta est. Nunc vero divina misericordia me in regnum meum reverso, quod collectum est, per praefatum mittitur, et quod reliquum est per legatos Lanfranci archiepiscopi fidelis nostri, quum opportunum fuerit mittetur*[2]). — Nihilominus Pontifex merito patientia usus est.

107. Quod vero attinet ad *fidelitatem* illam quam promittendam Sedi Apostolicae Gregorius VII postulaverat, quantum ex documentis colligere licet, hic non agitur de juramento hominii quo Angliam ut feudum rex B. Petro dicaret. Etenim in aliis epistolis tantum in eo insistit Pontifex, ut obedientiam et reverentiam in rebus ecclesiasticis Gulielmus Sedi Apostolicae praestet, uti in epistola anno 1080 ad regem scripta, in qua eum etiam *fidelem* s. Petri et

Promissio fidelitatis

[1]) Historia novorum L. 1. in Opp. s. Anselmi ed. Gerberon.. post opera Anselmi p. 215.

[2]) Ap. Baron. ad a. 1079. n. 25.

nostrum appellat, quatenus ea ratione Deum et Jesum Christum, qui eum adeo exaltaverant, honoraret. Anglia jam dudum considerabatur veluti posita sub speciali tutela B. Petri adeoque et sanctae Sedi imprimis devota. Jam Alexander II scripsit ad Gulielmum regem: *Novit prudentia tua, Anglorum regnum, ex quo nomen Christi ibi clarificatum est, sub Apostolorum principis manu et tutela exstitisse. . . . Ut bene nosti, donec Angli fideles erant, piae devotionis respectu ad cognitionem religionis annuam pensionem Apostolicae Sedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars ecclesiae sanctae Mariae quae vocatur Schola Anglorum, in usum fratrum deferebatur* [1]. Praeterea vero Teuzo legatus Pontificis ultra ea quae ipsi mandata erant quaedam proposuerat, uti colligitur ex epistola ad Hubertum legatum, in qua Pontifex ait: *Significasti, . . Teuzonem, quasi ex parte nostra legatum, adversus Anglicum regem verba fecisse. Quae noveris ex nobis mandata non esse.* [2]) — Inde forte aliqua regis irritatio provenerat.

Regna Sedi Ap. devota.

108. Caeterum eo tempore mos jam obtinuerat, ut varii principes et duces regna sua et provincias peculiari ratione Sedi Apostolicae obligarent, vel ut ejus feuda essent, uti Apulia et Calabria jam inde ab anno 1059 atque Hungaria ex temporibus s. Stephani, vel ut censum quemdam s. Petro quotannis deferrent, vel ut alia ratione sese s. Sedi submitterent. Fecerunt autem id reges et principes ex pietate, atque ut regnorum securitati magis providerent, et Apostolicae Sedis patrocinio fruerentur. Ejusmodi relationes variorum principum ac regnorum ad Sedem Apostolicam frequentius sollicitudinem Gregorii VII excitarunt, et eo spectant non paucae ipsius epistolae ad principes Hungariae, Dalmatiae et Croatiae, Slavorum et Serbiorum, Daniae, Norwegiae, et Sueciae. Gesta Gregorii in hac re inferius contra calumniatores vindicabimus. Quae vero Pontifex indefesso labore fecerit, ut ecclesiis etiam in longinquis regionibus, uti in Oriente et in Africa,

[1]) Epist. 8. ap. Labbe C. Conc. IX. 1122.
[2]) Greg. VII Regist. VII. 1.

constitutis, pastoralem suam sollicitudinem impertiret, liceat praeterire. Nam longum est singula enarrare, illudque nobis propositum in hac Dissertatione, ut ea maxime referamus et discutiamus, quae spectant Gregorii conatus ad reformandos abusus ejusque cum Imperio luctam.

III.

Vindiciae S. Gregorii VII.

109. Quamvis ex iis quae enarravimus satis eluceat, egregia esse Gregorii VII in Ecclesiam merita, eumque sapienter et sancte summum pontificatum gessisse, justissime sua apostolica auctoritate usum esse, et pro Ecclesiae bono, constanter aerumnas, persecutiones, mala plurima pertulisse, juvabit nihilominus accuratius examinare eas accusationes, quae in Gregorium solent proferri. — Jam vidimus, ob virtutes eximias Gregorium ad Sedem Apostolicam fuisse evectum, atque ea occasione sancte et sapienter ipsum sese gessisse. Per se igitur evanescunt calumniae Cardinalium et episcoporum schismaticorum, qui contendebant, vi, simonia, malis artibus Gregorium pontificatum esse adeptum. Inepta pariter mendacia de nimia cum Mathilde comitissa familiaritate et de influxu mulierum in Ecclesiae regimen, spectata rei natura et sanctitate severa Gregorii concidunt, nec est ut iis refellendis insistamus. Sufficit citare quae suo tempore quoad haec scribebat Lambertus: *Apud omnes,* inquit, *sanum aliquid sapientes luce clarius constabat, falsa esse quae dicebantur. Nam et Papa tam eximie tamque apostolice vitam instituebat, ut nec minimam sinistri rumoris maculam conversationis ejus sublimitas admitteret, et illa in urbe celeberrima atque in tanta obsequentium frequentia obscoenum aliquid perpetrans latere nequaquam potuisset. Signa etiam et prodigia quae per orationes Papae frequentius fiebant, et zelus ejus ferventissimus pro Deo et*

Gregorii VII castitas.

ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenatas detractorum linguas communiebant[1]).

Sigeberti accusatio.

110. Sigebertus Gemblacensis ad a. 1074 ex eo quod Gregorius VII fideles monuit, ne sacris interessent presbyterorum incontinentium vel sacramenta ab iis reciperent, dolose concludit, Gregorium censuisse, sacramenta ab illis sacerdotibus confecta esse invalida. Sed ne opus quidem est Gregorium hac in re defendere, quum illatio per se appareat inepta. Caeterum Pontifex ipse in epistola ad Ottonem Constantiensem aperte asserit, se ita agere, ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corrigantur, verecundia saeculi et objurgatione populi resipiscant. — Si vero fideles rudiores interdum ea occasione reverentiam ipsis rebus sacris debitam violarunt, id profecto tantum per accidens ex Gregorii statutis provenit.

Accusationes de dominandi cupidine.

111. Sed praecipuae objectiones contra Gregorium VII spectant ejus principia de auctoritate ac de indole Ecclesiae, ejusque conatus, ut hanc auctoritatem et Ecclesiae jura vindicaret. Contendunt igitur varii auctores tum protestantes, tum Gallicani aliive catholici nominis viri, Gregorium voluisse condere monarchiam quamdam universalem papalem et theocraticam etiam quoad regimen temporale. Hinc ex eorum sententia eo tendebant ejus conatus, ut omnes principes redderet Sedis Apostolicae vasallos, eorumque regna feuda Ecclesiae. Ex principiis de absoluta et illimitata auctoritate Ecclesiae dimanabant illae Gregorii sententiae, Ecclesiam Pontificemve regna temporalia dare posse atque auferre, haud interveniente Ecclesia temporalem potestatem suam originem a diabolo habere. Inde etiam ejus oppositio contra investituras, spretis principum juribus, atque audacia illa, qua Henricum IV insecutus est, deposuit, subditos a juramento fidelitatis solvit. *Gregorius VII*, scribit Natalis Alexander, *Romanorum primus Pontificum, sibi regum exauctorandorum tribuit potestatem contra Patrum doctrinam, imo contra verbum Dei*[2]).

[1]) Annales ad a. 1077.

[2]) V. in saec. XI Dissert. II. Art. IX. sqq.

Atque exaggerata fuisse Gregorii principia, harmoniam inter Sacerdotium et Imperium ab eo esse convulsam, luctamque diuturnam infeliciter provocatam, etiam auctores caeteroquin Ecclesiae addicti opinantur[1]).

112. Principia exaggerata Gregorii censent multi contineri in eo qui dicitur *Dictatus Gregorii*, eumque adversarii passim urgent. Hunc alii ex defensoribus Gregorii revera sententias exaggeratas continere, sed genuinum haud esse tenent; alii quoad substantiam saltem genuinum esse existimant, doctrinasque in eo propositas, si rite intelligantur omnino probandas habent. Quum huic sententiae adstipulemur, atque ad judicium de Gregorio ferendum multum intersit, Dictatum illum novisse, jam eum oculis subjiciamus. Habetur in Registri Libro II. n. 55 a. Dictatus Gregorii VII.

Dictatus Papae.

1. *Quod Romana ecclesia a solo Domino sit fundata.*
2. *Quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis.*
3. *Quod legatus ejus omnibus episcopis praesit in concilio etiam inferioris gradus; et adversus eos sententiam depositionis possit dare.*
4. *Quod ille solus possit deponere episcopos vel reconciliare.*
5. *Quod absentes Papa possit deponere.*
6. *Quod cum excommunicatis ab illo inter caetera nec in eadem domo debeamus manere.*
7. *Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica abbatiam facere, et e contra divitem episcopatum dividere et inopes unire.*
8. *Quod solus possit uti imperialibus insigniis.*
9. *Quod solius Papae pedes omnes principes deosculantur.*
10. *Quod illius solius nomen in ecclesiis recitetur.*

[1]) Cf. e. g. Reumont, Gesch. d. Stadt Rom. II. 375. Kraus, K. G. S. 268.

11. *Quod hoc unicum est nomen in mundo.*
12. *Quod illi liceat Imperatores deponere.*
13. *Quod illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente episcopos transmutare.*
14. *Quod de omni ecclesia, quocumque voluerit, clericum valeat ordinare.*
15. *Quod ab illo ordinatus alii ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo episcopo non debet superiorem gradum accipere.*
16. *Quod nulla synodus absque praecepto ejus debet generalis vocari.*
17. *Quod nullum capitulum nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate.*
18. *Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit.*
19. *Quod a nemine ipse judicari debet.*
20. *Quod nullus audeat condemnare apostolicam Sedem appellantem.*
21. *Quod majores causae cujuscumque ecclesiae ad eam referri debeant.*
22. *Quod Romana ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scriptura testante, errabit.*
23. *Quod Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi episcopo, et multis sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis beati Symmachi Papae continetur* [1]).

---

[1]) Verba s. Ennodii habentur in libello apologetico pro synodo IV Romana (Labbe IV. 1340): sed ad decretalia Isidori pertinet Symmachi synodus quinta, in qua libellus Evodii legitur approbatus. — Gregorius autem similia his habet in epistola (VIII. 21) ad Hermannum Metensem de excommunicatione Henrici IV. „Quodsi ad apostolicam Sedem, scribit, in qua rite ordinati, meritis B. Petri Apostoli meliores efficiuntur, qui Deum timent coacti cum magno timore veniunt, ad regni solium cum quanto timore ac tremore accedendum est: in quo etiam boni et humiles, — sicut in Saul et David cognoscitur, — deteriores fiunt. Nam quod de apostolica Sede praelibavimus, in decretis beati Symmachi Papae, — licet experimento sciamus, — sic continetur: *Ille*, scilicet beatus Petrus,

24. *Quod illius praecepto et licentia subjectis liceat accusare.*
25. *Quod absque synodali conventu possit episcopos deponere et reconciliare.*
26. *Quod catholicus non habetur, qui non concordat Romanae Ecclesiae.*
27. *Quod a fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere.*[1])

113. Quod igitur ad hujusmodi *Dictatum* attinet, controvertitur, uti diximus, utrum Gregorio VII revera attribuendus sit. Baronius, C. Lupus, de Marca, eum huic Pontifici attribuunt. Contrariam sententiam tenent inter alios Natalis Alexander, Pagi, Wouters[2]). Alii, uti cl. Hefele, censent, Dictatum hunc compositum fuisse ab aliquo Gregorii cultore, qui principia sententiasve, quae a Gregorio pronuntiata erant vel saltem putabantur prolata, collegerit et composuerit, ut ostenderet quaenam jura Sedi Apostolicae conveniant. Existimat tamen Hefele, vix omnia illorum principiorum Gregorio VII attribui posse[3]). Gregorium VII non data opera Dictatum composuisse vel dictasse, inde revera colligi censemus, quod in eo non occurrant ille ordo illaque singularum propositionum connexio aliaque indicia, quae in epistolis ejus inveniuntur. Existimamus tamen, varia principia Gregorii revera eo contineri, neque aliquid in ipso inveniri, quod merito huic Pontifici adscribi nequeat, vel quo jura Sedis Apostolicae exaggerentur. Probabile revera videtur, aliquem Gregorii amicum vel secretarium et comitem, principia brevesque sententias, quae a Pontifice variis occasionibus proferebantur, notasse, An Gregorio tribuendus.

perennem meritorum dotem cum haereditate innocentiae misit ad posteros. Et post pauca: *Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantae dignitatis attollit: in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, quae a loci decessore praestantur. Aut enim claros ad haec fastigia erigit, aut eos qui eriguntur illustrat.*"

[1]) Gregor. VII. Registr. L. II. 55 a. ap. Jaffé Monum. Gregor. p. 174.

[2]) Cfr. hac de re Wouters, Dissert. Vol. IV. Diss. IX. n. IV.

[3]) C. G. B. V. §. 578.

et dein registro epistolarum etiam hoc documentum inseruisse. Nullas autem ex hoc Dictatu objectiones solidas contra Gregorium peti posse, perspiciet, qui singulas sententias secundum genuina fidei et juris divini atque ecclesiastici principia perpendet. Ex dicendis id etiam magis patebit.

Gregorii VII principia.

114. Jam de Gregorii VII principiis, tendentiis, et conatibus aliquanto accuratius agamus, et generalibus quibusdam animadversionibus diluamus objectiones acres contra eximium illum Pontificem prolatas.

Quum Gregorius sua aetate inveniret Ecclesiam, quamvis externo quodam splendore non careret, tamen gravibus abusibus et morum dissolutione periclitantem, et a potestate laica oppressam ac dependentem eique veluti subordinatam; quumque perspiceret simul, ex indigna illa dependentia ac vili subjectione praecipue mala scaturire perniciosa: id omnibus viribus, tum ante pontificatum susceptum, tum pontificatu fungens assequi nisus est, ut isto rerum statu mutato, suam restitueret Ecclesiae dignitatem. Ecclesia autem hac in terra est regnum coelorum ac civitas Dei, ejusque ex institutione Christi finis, ut tum vitam privatam singulorum, tum etiam vitam publicam totius societatis salutari sua auctoritate suprema suoque influxu dirigat, et disponat ad Evangelii normam. Hinc eo tendebat Gregorius, ut magis magisque internam sanctitatem, puritatem ac decorem, praesertim in sacerdotio, promoveret, simulque Ecclesiae independentiam et libertatem a potestate civili firmaret, et ei vindicaret eum influxum eamque auctoritatem in societates civiles et politicas, quae fini et juribus Ecclesiae conveniunt.

115. Hisce principiis sanctis Gregorii animum imbutum fuisse, ex plurimis ejus epistolis aliisque documentis colligitur. Non censuit sane Gregorius VII, brevi vitae suae mortalis spatio ista posse compleri, nec ad statum plane perfectum omnia hisce in terris posse conduci. Merito tamen vires suas impendit, ut principia illa, quantum fieri posset, executioni mandarentur. — Ut appareat,

quam sancta Pontificis fuerint consilia, juvabit saltem ea citare, quae versus finem vitae suae, mense Decembri anni 1084, dicit in epistola encyclica ad omnes fideles ex Salerno data. Quae epistola ex magno quod gessit certamine, velut ultima est ad orbem christianum et ad posteritatem proclamatio. Commemorata impiorum principum et schismaticorum praesulum in Ecclesiam et Sedem Apostolicam impugnatione: *Pro nulla quippe alia*, scribit, *qualibet ratione contra nos inique conspirantes manus erexerunt, nisi quia periculum sanctae Ecclesiae noluimus silentio praeterire, et his qui eamdem sponsam Dei non erubescunt in servitutem redigere.*[1] . . . . . *In omnibus autem terris licet etiam pauperculis mulierculis suae patriae lege suaque voluntate virum accipere legitime; sanctae vero Ecclesiae, quae est sponsa Dei et mater nostra, non licet, secundum impiorum votum et detestabilem consuetudinem, divina lege propriaque voluntate suo sponso legaliter in terris adhaerere. Non enim pati debemus, ut filii sanctae Ecclesiae haereticis, adulteris et invasoribus quasi patribus subjiciantur atque ab eis veluti adulterina infamia notentur. . . . Sed quia, sicut novit vestra fraternitas, licet indigno et peccatori, per prophetam dicitur: „Super montem excelsum" et reliqua, et iterum: „Clama! ne cesses!" — velim nolim, omni postposita verecundia, timore quoque vel alicujus terreno amore, evangelizo; clamo, clamo, et iterum clamo, et annuntio vobis, quia christiana religio et vera fides, quam Filius Dei de coelo veniens per patres nostros nos docuit, in saecularem versa pravam consuetudinem, heu! proh dolor! ad nihilum paene devenit, et, immutato antiquo colore, cecidit non solum in diaboli, verum etiam in Judaeorum, Saracenorum, atque paganorum derisionem. Illi enim leges suas, licet hoc tempore ad nullam animarum salutem utiles, nullisque miraculis, sicut lex nostra, aeterni regis frequenti attestatione clarificatas et corroboratas, prout credunt, observant. Nos autem, saeculi inebriati amore et vana decepti ambitione, omni religione et*

Epistola encyclica.

[1] Deest aliquid, forte *consentire*.

honestate cupiditati atque superbiae postpositis, exleges et quasi fatui videmur, quia praesentis vitae et futurae salutem et honorem sicut patres nostri non habemus, nec etiam, sicut oportet, speramus. . . . Ex quo enim dispositione divina mater Ecclesia in throno Apostolico me valde indignum et Deo teste invitum collocavit, summopere procuravi, ut sancta Ecclesia, sponsa Dei, domina et mater nostra ad proprium rediens decus, libera, casta, et catholica permaneret. Sed quia hosti antiquo haec omnino displicent, armavit contra nos membra sua, ut omnia in contrarium verteret. . . . Nunc autem, fratres mei carissimi, diligenter quae vobis dico audite: Omnes qui in toto orbe christiano censentur nomine et christianam fidem vere cognoscunt, sciunt et credunt, beatum Petrum Apostolorum principem, esse omnium Christianorum patrem et primum post Christum pastorem, sanctamque Romanam ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram. Si ergo hoc creditis et indubitanter tenetis, rogo vos et praecipio ego, qualiscumque frater et indignus magister vester per omnipotentem Deum, adjurate et succurrite praedicto patri vestro et matri[1]).

Scopus Gregorii VII.

116. Illud igitur ante omnia labore suo et continuis conatibus Gregorius VII intendebat, ut *sancta Ecclesia, sponsa Dei, domina et mater nostra ad proprium rediens decus, libera, casta, et catholica permaneret.* Ac propterea etiam, quia id Ecclesiae juribus et decori ei debito convenit, et requiritur, ut finem propter quem constituta est plenius possit assequi, studuit quantum poterat Ecclesiae conciliare non solum libertatem et independentiam, sed etiam eam auctoritatem in societatem civilem christianam, quae hujus bono atque saluti maxime confert et cum Ecclesiae indole apprime cohaeret. Nullatenus vero spiritu ambitionis et dominationis Gregorius agebatur.

117. Ex hisce principiis igitur imprimis ejus *lucta contra investituram* consideranda et explicanda est. Jam

---

[1]) Gregorii VII epistolae collectae, ep. 46, ap. Jaffé Monum. Gregor. p. 572.

satis vidimus, investiturae, uti tunc in concreto, maxime in Imperio, peragebatur, abolitionem, primam et necessariam conditionem fuisse, ut sancta Ecclesia sponsa Dei et mater nostra ad *proprium rediens decus, libera, casta, et catholica permaneret.* Ne vero auctorum schismaticorum et protestantium declamationes hac in re commemoremus, hallucinantur etiam illi scriptores catholici, qui opinantur, cum abolitione investiturae nexum fuisse, ut jura et auctoritas principum tollerentur, bona feudalia ecclesiarum a coronae auctoritate penitus solverentur, et episcopi eximerentur ab officiis regi pro possessione illorum bonorum praestandis. Sic scribit e. g. cl. Cantù in sua historia universali: „Une fois le clergé réintégré ainsi (i. e. abolita simonia et clerogamia) dans l'influence que lui procure la vertu, il restait pour compléter la tâche et pour lui procurer l'indépendance, à écarter la pierre de scandale, à savoir le droit que s'arrogaient les seigneurs laïques d'investir les prélats en leur remettant l'anneau et la crosse. . . . A une époque où, dans le droit politique, le chef de l'Etat n'avait de prééminence sur ses vassaux qu' à raison de la supériorité résultant pour lui de l'inféodation, enlever aux seigneurs le droit d'investir les prélats, c' était soustraire entièrement ceux-ci à leur dépendance et soumettre au pontife un tiers peut être des propriétés de toute la chrétienté. L'Eglise renonçait-elle aux biens et aux droits pour lesquels se donnait l'investiture, elle restait dépouillée de toute autorité temporelle et dépendante du prince, comme aujourdhui le clergé protestant. Les conservait-elle au contraire sans avoir besoin de demander à chaque vacance la confirmation de ses pouvoirs séculiers, elle devenait indépendante, et aurait étendu sa puissance jusqu' à rendre les princes ses vassaux. Grégoire ne reculait pas devant ces conséquences; car voulant régénérer la société à l'aide du christianisme, il ne croyait pas pouvoir y parvenir tant que la chaire de saint Pierre ne serait pas élevée audessus du trône des rois. Il en résultait directement pour lui la

Prohibitio investiturae.

Opinio et Cantu.

nécessité de s'immiscer dans les affaires temporelles et dans le gouvernement des peuples [1]."

Refellitur. 118. Haec quamvis stylo facili et splendido describantur, parum accurate tamen asseruntur. Falso supponit auctor, *post* destructam simoniam et clerogamiam Gregorium VII voluisse abolere investituram, ut dominationem Ecclesiae in principes et populos, licet optimo scopo, stabiliret. Manifeste enim ex documentis colligitur, scopum decreti contra investituram praecipuum fuisse, ut libertas electionum restitueretur, atque ita abusibus simoniae et clerogamiae efficaciter obviaretur. Intelligebat Pontifex, abusus illos tolli non posse, quamdiu investitura, uti tunc exercebatur, permaneret. — Falsum porro est, Gregorium abolita investitura voluisse omnia feuda ecclesiastica, tertiam partem bonorum orbis christiani, Ecclesiae ita vindicare, ut sua jura principibus adimeret. Poterant jura principum et officia episcoporum erga imperium quae ex possessione feudorum proveniebant, apprime consistere sine investitura illa quae tunc exercebatur. Jam vidimus, s. Halinardo ab Henrico III commissum fuisse archiepiscopatum Lugdunensem, quamvis recusaret investituram accipere et hominium facere. Poterant praesules alio modo post electionem et consecrationem principibus promittere, se fideles futuros esse suaque observaturos officia in Imperium. Vidimus, Gregorium se ostendisse pronum, ut conveniret cum principibus de modo conveniente, quo jura eorum salva essent.

119. Gregorium VII in lucta contra investituras non spectasse extensionem dominationis suae, nec eum voluisse jura principum convellere vel bona regnorum acquirere, fatetur vel ipse Moshemius, auctor protestans Romanis Pontificibus caeterum valde adversus. Adducit plura de investituris ex citato opere Humberti, qui inter alia dicit: *Quicumque ergo his duobus* (baculo et annulo) *aliquem initiant, procuidubio omnem pastoralem auctoritatem hoc prae-*

[1]) Hist. univ. L. X. ch. XVII. Grégoire VII.

sumendo sibi vindicant[1]. Convenit Moshemius, ea aetate per transmissionem illorum symbolorum ejusmodi opinionem facile potuisse invalescere. Dein pergit: „Qui hoc perpendit, intelliget, quare Gregorius sese opposuerit tanta cum vi investiturae episcoporum per annulum et baculum. In primo concilio Romano (a. 1074) Gregorius contra investituram non processit, sed tantum simoniam voluit abolitam ac restituta jura electionis antiqua. Etiam praecedentes Pontifices in sua contra simoniam lucta, hoc tantummodo postulaverant. Sed quum dein Gregorius perspiceret, investituram fere inseparabiliter nexam et complicatam esse, cum potestate Imperatorum et regum conferendi episcopatus et abbatias et cum simonia quae hanc collationem comitabatur, tunc etiam investituram aggressus est, ut mala, quae tollere volebat, funditus eradicaret. Ex his clarius apparet indoles luctae inter Pontificem et Imperatorem. Gregorius haud impugnabat investituram generatim et in se consideratam, sed eam investituram (ecclesiasticorum) quae tum usu invaluerat. Haud impediebat episcopos et abbates, ut regibus et imperatoribus juramentum hominii praestarent eorumque vasalli fierent; nec interdixit investituram quae oretenus vel scriptis fiebat; imo hunc investiendi modum concessit regibus Franciae et Angliae; fortasse etiam ipse, uti postea Calixtus, admisisset investituram per sceptrum. Sed abolitam volebat investituram quae fiebat per symbola auctoritatis spiritualis; multo magis investituram ante consecrationem factam, et potissimum eam investituram quae tollebat liberam electionem episcoporum atque abbatum“[2].

. 120. Ad eam veniamus contra Gregorium querelam a multis prolatam, ipsum omnes reges et principes tractasse ut Sedis Apostolicae vasallos, vel saltem voluisse monarchiam universalem constituere, in qua Pontifex Romanus esset caput, caeteri vero principes omnes ejus vasalli. An monarchiam univers. intenderit.

[1]) L. III. contra Simoniacos, ap. Martene Thesaurus Anecdot. T. V. p. 795.

[2]) Mosheim, Institut. hist. eccles. Saec. XI. P. II. C. II. §. XIV. nota r.

Longum esset agere de singulis regnis eorumque ad Sedem Apostolicam tempore Gregorii habitu, et singula explanare facta. effata, epistolas hujus Pontificis, quae ad propositam quaestionem pertinent. Sed quaedam juvabit commemorare principia generalia, quae prae oculis habenda sunt. Regnorum, quae medio aevo existebant, relatio ad Sedem Apostolicam eorumque ab hac Sede dependentia varia erat: non vero una eademque singulorum. Omnia sane regna orbis christiani dependentia religionis Pontifici ut supremo Ecclesiae Capiti submissa erant. Sed praeter hanc dependentiam quae cum natura religionis christianae cohaeret, non pauca regna speciali ratione quamdam submissionem erga Sedem Apostolicam profitebantur, quae variis juris titulis nitebatur, ac plerumque ex ipsorum principum desiderio constituta erat.

Pontificum studia.

121. Pontifices medii aevi non possent reprehendi, si ipsi opera continuata in adjunctis illius temporis studuissent fundare aliquod regnorum systema tali constitutum organismo, ut in eo populorum libertas legitima, principiorum religionis christianae dominium, protectio principum minorum contra potentes efficaciter obtineretur. Si tali ratione omnes principes et populi voluntarie se Sedi Apostolicae submisissent, commoda fere omnia ipsis inde provenissent, legesque christianismi ac singularum nationum securitas atque conservatio multum firmatae fuissent. Attamen non habentur argumenta satis solida, quibus probetur, quod aliqui existimant, determinatum aliquod systema regnorum Pontifices Romanos voluisse constituere; ac multo minus, eos uti vasallos proprio sensu verborum, principes omnes intendisse submittere Sedi Apostolicae. Gratum quidem ipsis erat, si principes ex veneratione B. Petri etiam speciali quadam ratione sese devinciebant Sedi Apostolicae, idque merito passim promovebant Pontifices. Sed pauci tantum fuerunt principes qui sensu stricto vasalli facti sunt; alii vero prouti adjuncta rerum et temporum id ferebant, se sub protectionem s. Petri dabant, ejus Sedi peculiarem devotionem et protectionem promittebant, censum annuum determinatum vel denarium s. Petri

a subditis collectum solvebant, aliisve modis suam fidelitatem, obedientiam, devotionem in summos Pontifices testabantur. Quum vero medio aevo adeo invaluisset ac propagatum esset systema feudale, et obedientiae, submissionis, reverentiae varii habitus ac relationes secundum tale systema considerarentur et dijudicarentur, facillime confusio quaedam in verbis oriri poterat. Atque sic ubicumque aliqua dependentia auctoritasque alteri aliquatenus submissa occurrit, jam adhibentur ea vocabula, obedientiae, fidelitatis, militis, quae proprie ad determinandum statum feudalem inserviebant.

Regnorum variorum habitus

122. Quinam fuerint sub Gregorio VII habitus speciales variorum regnorum ad s. Sedem, modo exponere non vacat[1]. Juvabit tamen exempli instar ea imprimis afferre, quae quoad Galliam Pontifex scribit a. 1081 legatis suis Petro episcopo Albanensi et Gisulfo principi Salernitano: *Vobis commissa negotia non latent. Et jam vos ita, ac si nostra, imo quia nostra ibi in vobis praesentia est, cuncta digne peragite. Dicendum autem est omnibus Gallis et per veram obedientiam praecipiendum: ut unaquaeque domus saltem unum denarium annuatim solvat beato Petro, si eum recognoscunt patrem et pastorem suum, more antiquo. Nam Carolus Imperator, sicut legitur in tomo ejus qui in archivio ecclesiae beati Petri habetur, in tribus locis annuatim colligebat mille et ducentas libras ad servitium apostolicae Sedis, id est Aquisgrani, apud Podium sanctae Mariae et apud sanctum Egidium, excepto hoc quod unusquisque propria devotione offerebat. Idem vero magnus Imperator Saxoniam obtulit beato Petro, cujus eam devicit adjutorio, et posuit signum devotionis et libertatis*[2], *sicut ipsi Saxones habent scriptum et prudentes illorum satis sciunt*[3]. Certe nec Galliam nec Saxoniam considerarunt Pontifices ut

---

[1] Vide hac de re Hergenröther, Kirche und Staat. III. Papst Gregor VII. nn. 15 sqq.

[2] Carolus videlicet primam ecclesiam quam ibi aedificavit, s. Petro dicavit.

[3] Reg. L. VIII. ep. 23.

ipsorum feuda. sed merito insistebat Gregorius VII, quum Sedes Apostolica adeo premeretur, ut secundum antiquam consuetudinem denarium in signum specialis devotionis et reverentiae a Gallis solveretur.

Feudorum analogia.

123. Frequenter principes se et regna sua s. Petro offerebant ejusque patrocinio et protectioni se submittebant, ad *analogiam* quamdam vasallorum, quin tamen eorum regna feuda proprie dicta fierent. Id fecit e. g. Swatopluk Moravorum princeps sub Joanne VIII, qui eidem scribit: *Divina gratia inspirante, contemptis aliis saeculi hujus principibus, B. Petrum habere patronum et in omnibus adjutorem et defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis . . . amore fidelissimo elegisti et usque ad finem sub ipsius et vicarii ejus defensione colla submittens pio affectu cupis auxiliante Domino utpote filius devotissimus permanere* [1]. Simili ratione s. Stephanus Hungariae rex sub Silvestro II regnum Hungariae obtulerat B. Petro. Quum igitur tempore Gregorii VII Salomon Hungariae rex ab Henrico IV ad ejus protectionem requirendam regnum suum ut feudum accepisset, id vehementer reprehendit Pontifex ut rem imprudentem, inconvenientem et s. Petro injuriosam. *Regnum Hungariae*, scribit, *s. Rom. ecclesiae proprium est a rege Stephano olim B. Petro cum omni jure et potestate sua oblatum et devote traditum. Praeterea Henricus* (III) *p. m. Imp. ad honorem s. Petri regnum illud expugnans, victo rege et facta victoria, ad corpus B. Petri lanceam coronamque transmisit et pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principalem dignitatem ejus attinere cognovit. Quae quum ita sint, tu tamen in caeteris quoque a regia virtute et moribus longe discedens, jus et honorem sancti Petri quantum ad te imminuisti et alienasti, dum ejus regnum a rege Teutonicorum in beneficium sicut audivimus suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam B. Petri aut nostram benevolentiam sperare debeas tu ipse, si justitiam vis attendere, non ignoras; videlicet te non aliter eam habiturum nec*

[1] Joann. VIII. ep. 247.

sine apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, apostolicae, non regiae majestatis, beneficium recognoscas [1].

124. Aliquanto post pacem et concordiam Gregorius VII conciliare nisus est inter Salomonem et ejus fratrem Geisam, a quo Salomon devictus et ex throno pulsus erat. Iterum insistit in eo, ut Hungaria remaneat *in proprio libertatis statu*, nec alteri regi sit subjecta, utque ipse Hungariae princeps sit *rex*, haud vero alterius *regulus*. Ita scribit Geisae: *Notum autem tibi esse credimus, regnum Hungariae sicut et alia nobilissima regna, in proprio libertatis statu esse debere, et nulli regi alterius regni subjici, nisi sanctae et universali matri Romanae ecclesiae; quae subjectos non habet ut servos, sed ut filios suscipit universos. Quod quia consanguineus tuus* (Salomon) *a rege Teutonico, non a Romano Pontifice, usurpative obtinuit, dominium ejus ut credimus divinum judicium impedivit* [2]. *Nobis cura est et cordi pia sollicitado inhaeret, quatenus inter te et consanguineum tuum Salomonem regem faciamus pacem, si possumus, ut justitia utrimque servata sufficiat unicuique quod suum est, terminum justitiae non transeat, metam bonae consuetudinis non excedat, sicque sit in pace nobilissimum regnum Hungariae, quod hactenus principaliter viguit, et rex ibi, non regulus fiat. Verum, ubi contempto nobili dominio B. Petri Apostolorum Principis, cujus regnum esse prudentiam tuam latere non credimus, rex subdidit se Teutonico regi, et reguli nomen obtinuit. Dominus autem, injuriam suo illatam principi pervidens, potestatem regni suo ad te judicio transtulit* [3]. Merito ad haec auctor gravis advertit: *Secundum horum verborum sententiam insignis haec potius praerogativa haberi poterat, qua quis ab omni solutus potestate hujus saeculi soli Deo et Ecclesiae obnoxius foret* [4].

Hungaria.

[1] Reg. II. 13. [2] Reg. II. 63.
[3] Reg. II. 70.
[4] Martin. Gerbert de legitima Ecclesiae potestate circa sacra et profana L. IV. c. 1. n. 18. p. 660. Mon. s. Blasii 1761. — V. Hergenröther l. c. p. 135. nota 8.

An contempserit potestat. civil.

125. Veniamus ad eas objectiones quae spectant Gregorii principia de potestate civili, de habitu inter potestatem spiritualem ac potestatem temporalem, ac de excommunicatione et depositione principum. Quae huc spectant continentur tum factis Gregorii, tum variis ejus epistolis, et ejus principia maxime inveniuntur in duabus epistolis, quas post primam atque secundam excommunicationem et depositionem Henrici scripsit ad Herimannum episcopum Metensem [1]). Contendunt igitur imprimis adversarii, Gregorium potestatem civilem regiamque dignitatem prorsus despexisse et vilipendisse, quod censeret potestatem spiritualem solam a Deo esse, regiam vero potestatem et auctoritatem per se spectatam, non esse a Deo, sed esse ex hominum ambitione et ex daemonis instigatione ortam [2]). Ita scribit in epistola priori ad Herimannum: *Illam* (dignitatem regiam) *quidem superbia humana reperit, hanc* (episcopalem) *divina pietas instituit. Illa vanam gloriam incessanter captat, haec ad coelestem vitam semper aspirat.* Et in altera epistola: *Itane dignitas a saecularibus etiam Deum ignorantibus inventa, non subjicietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit mundoque misericorditer tribuit? . . . Quis nesciat, reges et duces ab iis habuisse principium, qui Deum ignorantes, superbia, rapinis, perfidis homicidiis, postremo universis paene sceleribus, mundi principe diabolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines, dominari caeca cupidine et intolerabili praesumptione affectaverunt. Qui videlicet, dum sacerdotes Domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparentur, quam ei qui est caput super omnes filios superbiae! qui ipsum summum Pontificem, sacerdotum caput, Altissimi filium tentans et omnia illi mundi regna promittens, ait: Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me* [3]).

[1]) Prima scripta est die 25. Aug. 1076, Reg. IV. 2. Altera die 15. Martii 1081, Reg. VIII. 21.

[2]) Janus. p. 164.

[3]) Ad. Herim. Met. Reg. VIII. 21.

126. Difficultates, quae ex hisce effatis contra Gregorium VII. et ex similibus verbis etiam contra Innocentium III variosque auctores ecclesiasticos moventur, penitus diluuntur, dum advertitur duas quaestiones apprime esse distinguendas. Altera *historica* est, videlicet, unde sint *initia* dignitatis vel dominationis regiae. Altera est *philosophica* et *theologica*, videlicet qualis sit *origo ac fundamentum* auctoritatis civilis. Quoad primam quaestionem historicam ss. Patres Ambrosius, Augustinus, Gregorii, aliique scriptores passim asseruerunt, initia servitutis et dominationis regiae, seu unius hominis in multos homines, fuisse ab hominibus violentis et ambitiosis, qualis erat e. g. Nemrod, et plerumque per ambitionem, vim, malas artes, instigante daemone ejusmodi viros tyrannidem quandam arripuisse. Ita existimat s. Augustinus, natura sua et primo veluti Dei consilio id statutum, ut homines aequales essent, nec paribus, sed tantum animalibus dominarentur; sed post peccatum Dei judicio servitutem multorum ac dependentiam ab uno inductam fuisse. *Rationalem factum*, ait e. g. Augustinus, *ad imaginem suam voluit* (Deus hominem) *nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. . . . Prima ergo servitutis causa peccatum est, ut homo homini conditionis vinculo subjiceretur, quod non fit nisi Deo judicante*[1]. *Societas igitur usquequaque mortalium diffusa per terras . . . utilitates et cupiditates suas quibusque sectantibus . . . adversum se ipsam plerumque dividitur, et pars partem quae praevalet opprimit. . . . Hinc factum est, ut non sine Dei providentia, in cujus potestate est, ut quisque bello aut subjugetur aut subjuget, quidam essent regnis praediti, quidam regnantibus subditi*[2]. Hanc igitur opinionem, qua *historice* initia dominationis regiae (in plerisque casibus) violentiae et oppressioni adscribuntur, profert etiam Gregorius VII, et prae talibus initiis celebrat praecellentiam dignitatis episcopalis, quae a Christo sua initia habuit.

Potest. civil. initia et origo.

[1] De Civit. Dei XIX. 15. [2] Ibid. XVIII. 2.

Auctoritas unde.

127. Sed alia plane quaestio est philosophica et theologica, unde sit *auctoritas* potestatis civilis. Atque hac in re omnes Patres semper illud s. Pauli inculcarunt: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo* [1]. Videlicet auctoritatem regiam aliorumve gubernantium potestatem, vel immediate vel mediate a Deo suam originem habere, omnes conveniunt Patres atque theologi. Ita s. Augustinus: *Qui* (regnum dat) *Augusto, ipse et Neroni, qui Vespasianis vel patri vel filio, suavissimis Imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo* [2]. — *Prorsus divina providentia constituuntur regna humana* [3]. Ita etiam Gregorius VII omnino agnoscebat regum auctoritatem a Deo esse, uti ex variis epistolis ejus manifestum est. Ita scribit ipsi Henrico: *Quia die noctuque in vinea Domini laborare per multa pericula etiam usque ad mortem desidero, non solum tibi, quem Deus in summo culmine rerum posuit, . . . sed etiam minimo Christiano, adjuvante Deo, semper studebo sanctam et condignam caritatem custodire* [4]. Et Haraldo regi Danorum: *Te itaque specialiter, fili carissime, cui regni curam providentia divina commisit, paterno monemus affectu, ut excellentissimi parentis tui regias probitates et virtutes egregias imitari satagas* [5]. Ex distinctione igitur, quam proposuimus et explanavimus, omnis difficultas de sententia Gregorii diluitur.

Principum depositio.

128. Quod vero spectat ad eam auctoritatem, quam in principes Gregorius exercuit, ac speciatim in Henricum, ut eum deponeret et excommunicaret ac subditos a juramento fidelitatis solveret, notum est, varia a catholicis auctoribus esse proposita systemata de potestate, quam uti Gregorius VII ita alii Pontifices in reges et temporalia quoque exercuerunt. Quae hoc loco saltem tangere necessarium est, eo vel magis, quod non omnes ejusmodi theorias solidas ac periculi et erroris expertes existimamus. —

[1] Rom. 13. 1.
[2] De Civit. Dei V. 21. [3] Ibid. V. 1.
[4] Reg. II. ep. 31. Cfr. III. 7.
[5] Reg. VII. 21. Cfr. VII. 23-25.

Est igitur imprimis valde celebratum nostro tempore systema quod dicunt *historicum*, quo superioritas illa potestatis spiritualis super temporalem uti eo tempore se manifestabat, *ex jure publico illius aetatis* repetitur. Ita e. g. Cantù: „C'est ici l'un des points les plus épineux de l'histoire et du droit public; mais on peut discuter en toute liberté la question de l'indépendance mutuelle des puissances séculière et ecclésiastique, dès que la Cour de Rome a cessé de prétendre par droit divin ou naturel à une juridiction directe ou indirecte sur le temporel des princes. C'est donc une question purement historique, et sous ce rapport nous avons vu suffisamment, que la supériorité du pouvoir spirituel n'était pas seulement un usage introduit peu à peu par certaines circonstances, une exagération d'une foi irréfléhie, mais une partie essentielle du droit public" [1]. Parum accurate haec asseri, omnes intelligunt. Sufficiat advertere, insinuari ab auctore, exaggerationi cuidam fidei piae, sed caecae, ex parte adscribendum esse, quod tanta potestas summis Pontificibus tribueretur et jure publico sanciretur. Systema historicum.

129. Prae aliis autem illud systema *historicum* evolvit et propugnavit cl. Gosselin, illudque simul conjunxit cum systemate *potestatis directivae* Romanorum Pontificum [2]. Cl. Gosselin Ipse hac in re ut praecursorem sibi vindicat Illmum Fénelon, hujusque principia accuratius evolvere nititur. Jam ejus verba citemus. „La conduite des Souverains-Pontifes qui ont autrefois déposé des princes temporels, s'explique naturellement *par les maximes alors généralement admises* parmi les peuples catholiques de l'Europe, et qui donnaient en certains cas à l'Eglise *le pouvoir au moins indirect d'instituer et de déstituer les souverains*. Ce pouvoir . . . n'était pas *un pouvoir de juridiction temporelle fondé sur le droit divin*, mais c' était tout ensemble un

[1] Hist. univ. L. X. ch. 17.

[2] Pouvoir du Pape au moyen âge etc. par M. l'abbé Gosselin, directeur du seminaire de Saint-Sulpice. Louvain 1845.

pouvoir directif d'institution divine, et un *pouvoir de juridiction temporelle d'institution purement humaine.* En effet, le Pape et l'Eglise ayant, d'après l'institution divine, l'obligation et par conséquent le pouvoir d'éclairer et de diriger la conscience des princes et des peuples en tout ce qui regarde le salut, ont par cela même le pouvoir de décider les questions relatives aux obligations de conscience qui résultent du serment de fidélité [1]). Mais indépendamment de ce *pouvoir directif* d'institution divine, ils avaient au moyen âge un *pouvoir de juridiction temporelle* d'institution purement humaine, fondé sur *l' usage* et les *maximes de droit public alors généralement admises.* En déposant un souverain opiniâtre dans l' hérésie ou l' excommunication, ils n'agissaient pas seulement comme docteurs et directeurs des fidèles dans l' ordre du salut, ils agissaient en même temps comme juges établis et reconnus par *l' usage* et le *droit public* alors en vigueur, pour examiner et juger la cause des souverains qui encouraient la déchéance, par l' infraction du contrat qu' ils avaient passé avec leur peuple [2]). Il est aisé de voir que dans

[1]) Hanc potestatem directivam tantum etiam a Gersonio Pontifici tributam existimat Fénélon; at Gersonius licet nomen illud adhibeat, videtur tamen veram jurisdictionem in temporalia Pontifici tribuisse. De ea autem ita Fénélon: „Haec autem potestas, quam Gersonius directivam et ordinativam nuncupat, in eo tantum consistit, quod Papa, utpote princeps pastorum, utpote praecipuus in majoribus moralis disciplinae causis Ecclesiae director et doctor, de servando fidelitatis sacramento populum consulentem edocere teneatur. De caetero, nihil est quod Pontifices regibus imperare velint, nisi ex speciali titulo aut possessione aliqua peculiari id sibi juris in aliquem regem feudatarium Sedis Apostolicae adepti fuerint. Namque apostolis omnibus ac proinde Petro dictum est: Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.“ Dissert. de auctorit. summi Pontificis, c. 27

[2]) Statum rerum Fénélon hisce describit: „Tum vero *moris erat*, ut excommunicati piorum omnium societate privarentur, et solâ ope ad victum necessaria frui possent: unde nihil est mirum, si gentes catholicae religioni quam maxime addictae principis excommunicati jugum excuterent. Ea enim lege se principi subditas fore pollicitae erant, ut princeps ipse catholicae religioni pariter subditus esset. Princeps

ce sentiment, la sentence de déposition prononcée par le Pape ou le concile, au moyen âge contre un hérétique ou excommunié, était fondée tout à la fois sur le *droit divin*, non seulement en tant qu'elle déclarait le prince hérétique ou excommunié, mais encore en tant qu'elle éclairait et dirigeait la conscience des princes et des peuples, relativement aux obligations qui résultaient du *serment de fidélité*. Elle était en même temps fondée sur le droit humain, non seulement en tant qu'elle déclarait le prince déchu de ses droits, par suite de la condition mise à son élection, mais encore en vertu du pouvoir que l'*usage* et le *droit public* donnaient alors au Pape et au concile, pour juger la cause des souverains qui encouraient la déchéance. En prononçant cette senteme le Pape et le concile ne déposaient pas proprement le souverain, et ne s'attribuaient pas *de droit divin* le pouvoir de le *déposer*, mais ils *déclaraient* seulement, et ils *décidaient*, que d'après la condition mise à son élection par l'*usage* et la *jurisprudence* du temps, il était déchu de sa dignité. Leur sentence peut être comparée à celle d'un juge ordinaire, qui

vero qui ob haeresim, vel ob facinorosam et impiam regni administrationem ab Ecclesia excommunicatur, jam non censetur pius ille princeps cui tota gens se committere voluerat: unde solutum sacramenti vinculum *arbitrabantur*. Praeterea *canonico jure* sancitum fuit, ut ii censerentur haeretici, aut saltem haereticae pravitatis valde suspecti, qui excommunicati ab Ecclesia intra certum tempus solutionem excommunicationis debita submissione non consequerentur. Ita principes qui in excommunicationis vinculo contumaces jam obsordescebant, ut impii Ecclesiae contemptores atque adeo haeretici habebantur. Hos autem tanquam a contractu secum inito deficientes, exauctorabat gens sua. Porro hoc erat *hujus moris* temperamentum, quod ea depositio non fieret, nisi consulta prius Ecclesia. . . . In ea autem disciplina quae multum viguit, nulla est Ecclesiae doctrina quae in dubium vocari possit: sed solummodo agitur de *placito quod apud omnes catholicas gentes invaluit*, nimirum ut saecularis auctoritas non committeretur principi, nisi ea certissima lege, ut ipse princeps catholicae religioni per omnia tuendae et observandae incumberet. Itaque Ecclesia neque destituebat neque instituebat laicos principes; sed tantum consulentibus respondebat, quid ratione contractus et sacramenti conscientiam attineret. Haec non *juridica* et *civilis*, sed *directiva* tantum et ordinativa potestas." Dissert. c. 39.

prononce la nullité d'un acte invalidé par les lois, mais dont la nullité n'existe pas *de plein droit* et n'a d'effet qu'après avoir été prononcée par le juge" [1]: Quae hisce continentur, quoad statum rerum qui medio aevo obtinebat et jus publicum vigens, merito sane consideranda sunt. Attamen explicatio haec sufficiens haberi nequit.

Principia allata a Gregorio.

130. Nos hoc loco non in abstracto inquirimus, quomodo *per se* explicari posset, quod Romani Pontifices tantum influxum tantamque potestatem in societatem civilem medio aevo exercuerint, sed quaerimus, quibus principiis *de facto* et *historice* ipsi nisi sint in ea auctoritate exercenda, atque in specie quale fundamentum auctoritatis suae in excommunicatione et depositione Henrici IV Gregorius VII proposuerit, ex quibusque rationibus ipse vindicaverit suam agendi rationem. Atqui illud certissimum est, eum non primarie et ultimatim provocasse ad jus sociale illius temporis, sed plane alia attulisse argumenta. Ac disertissime adstruit, fundamentum ac radicem hujus auctoritatis esse in jure divino, et promanare eam ex plenitudine potestatis ei per Christum commissae regendi ut supremus Pontifex Ecclesiam universam. Simul ex Patribus et ex factis praecedentis temporis ostendit, Romano Pontifici talem potestatem convenire. In probatione sua autem eadem argumenta affert pro potestate excommunicandi, deponendi reges, et solvendi subditos a juramento fidelitatis. Neque haec ultima ut meras declarationes, vel ut simplicem excommunicationis consequentiam considerat.

131. Herimannus Metensis igitur petiit a Gregorio VII, ut indicaret ei quid respondendum sit illis qui contendebant, illum non potuisse regem Henricum excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis ejus absolvere. Tunc Pontifex haud quidem subtili argumentatione, sed cum vigore sacerdotali argumenta indicat, ut ostendat, in-

---

[1]) Gosselin l. c. P. II. Introduction, n. 2.

dubie talem auctoritatem Sedi Apostolicae convenire. Imprimis provocat ad Scripturae textum, quo plenitudo potestatis B. Petro conceditur. *Nam ut de multis pauca dicamus, quis ignoret vocem Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi dicentis in Evangelio: Tu es Petrus etc. . . . et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis. Numquid sunt hic reges excepti? aut non sunt de ovibus, quas Filius Dei beato Petro commisit?* — Dein argumentatur inde, quod Scripturà innitentes Patres et concilia semper Romanam ecclesiam agnoverint ut matrem universalem. *Et sicut ejus documenta in confirmatione fidei et eruditione sacrae religionis, ita etiam judicia susceperunt, in hoc consentientes et quasi uno spiritu et una voce concordantes, omnes majores res et praecipua negotia necnon omnium ecclesiarum judicia ad eam quasi ad matrem et caput debere referri, ab ea nusquam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut refelli debere vel posse.* — En non tantum auctoritas magisterii, sed etiam summi judicis.

Epist. ad Herimannum Met.

132. Jam confirmat Pontifex hanc plenitudinem potestatis ex dictis et gestis Pontificum Gelasii, Julii et Gregorii. Quoad hunc Pontificem scribit: *Beatus quoque Gregorius papa reges a sua dignitate cadere statuit, qui apostolicae sedis decreta violare praesumpserint, scribens ad quemdam Senatorem abbatem his verbis: Si quis vero regum, sacerdotum atque saecularium personarum hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi ea quae ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna poenitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Domini Redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat atque in aeterno examine districtae ultioni subjaceat. — Quodsi beatus Gregorius, doctor utique mitissimus, reges qui statuta sua super unum xenodochium violari, non modo deponi, sed etiam excommunicari atque in aeterno examine damnari decrevit, quis, nos Henricum non solum apostolicorum*

judiciorum contemptorem, verum etiam ipsius matris Ecclesiae quantum in ipso est, conculcatorem totiusque regni et ecclesiarum improbissimum praedonem et atrocissimum destructorem deposuisse et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis ejus. — Adducit dein alia argumenta, ut eminentiam dignitatis sacerdotalis prae saeculari probet, et exempla excommunicationis depositionisve imperatorum ac regum. Inter alia scribit: *Alius item Romanus Pontifex, Zacharias videlicet, regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tantae potestati non erat utilis a regno deposuit, et Pipinum Caroli Magni Imperatoris patrem in ejus loco substituit, omnesque Francigenas a juramento fidelitatis quod illi facerant absolvit. Quod etiam ex frequenti auctoritate saepe agit sancta Ecclesia, cum milites absolvit a vinculo juramenti, quod factum est his episcopis, qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur.* Ac multis aliis argumentis excellentiam dignitatis sacerdotii et auctoritatem ejus etiam in principes comprobat. [1].

In ipso primatu radix potestatis in temporalia.

133. Jam vero ex tota hac ratione argumentandi certum est atque evidens, Gregorium VII censuisse, ex plenitudine auctoritatis suae pontificiae in B. Petro a Christo constitutae ipsum *certis in circumstantiis* posse etiam deponere reges atque fideles a juramento fidelitatis solvere. Vidimus etiam ipsa verba solemnis excommunicationis et depositionis Henrici IV. Nec in prima excommunicatione et depositione, nec in secunda Gregorius VII potestatem suam ex jure civili vel sociali deducit, sed evidenter insignem illum auctoritatis actum se perficere indicat vi potestatis suae ut vicarii Christi, successoris Petri et Ecclesiae capitis. In prima excommunicatione ait: *Hac itaque fiducia fretus pro ecclesiae tuae* (scil. b. Petri) *honore et defensione, ex parte omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, per tuam* (sc. s. Petri) *potestatem et auctoritatem, Henrico regi, filio Henrici imperatoris, qui contra*

---

[1]) Epist. ad Herimannum episcopum Metensem. Reg. VIII. 21 Cfr. ep. ad eumdem Reg. IV. 2.

tuam ecclesiam inaudita superbia insurrexit, totius regni Teutonicorum et Italiae gubernacula contradico, et omnes Christianos a vinculo juramenti, quod sibi fecere vel facient, absolvo, et ut nullus ei sicut regi serviat interdico. — Simili modo ait in altera excommunicatione et depositione definitiva: *Quapropter confidens de judicio et misericordia Dei ejusque piissimae Matris semper Virginis Mariae, fultus vestra auctoritate* (sc. ss. App. Petri et Pauli), *saepe nominatum Henricum, quem regem dicunt, omnesque fautores ejus excommunicationi subjicio et anathematis vinculis alligo, et iterum regnum Teutonicorum et Italiae ex parte omnipotentis Dei et vestra* (sc. ss. App. Petri et Pauli) *interdicens ei, omnem potestatem et dignitatem illi regiam tollo, et ut nullus Christianorum ei sicut regi obediat interdico, omnesque qui ei juraverunt vel jurabunt de regni dominatione a juramenti promissione absolvo.*

Quatenus in jure humano.

134. Hinc nullatenus iis consentimus, qui nihilominus existimant, Gregorium ea maxime principia prae oculis habuisse, quae continentur in theoria superius evoluta, quam Gosselin proponit. Auctor hic quidem omnes vires intendit, ut illud probet, atque avide arripit eas sententias quibus Gregorius VII etiam de jure humano loquitur. Citat e. g. textum ex epistola quam Gregorius a. 1076 post excommunicationem Henrici scripsit ad principes et fideles Germaniae, ut motiva ob quae regem excommunicaverat exponeret. In eadem epistola Pontifex scribit: *Praeterea misimus ad eum tres religiosos viros, suos utique fideles, per quos eum secreto monuimus ut poenitentiam ageret de sceleribus suis, quae quidem horrenda dictu sunt, pluribus autem nota et in multis partibus divulgata, propter quae eum non excommunicari solum usque ad condignam satisfactionem, sed ab omni honore regni absque spe recuperationis debere destitui, divinarum et humanarum legum testatur et jubet auctoritas* [1]). Sed ex eo quod generali

[1]) Paul. Bernried. Vita Gregorii VII. c. 78. ap. Watterich l. c. I. 517, ap. Jaffé, Monum. Gregor. Gregorii epist. collectae ep. 14. p. 535.

ratione Pontifex hic etiam *legum humanarum* auctoritatem commemorat, nullo modo sequitur eum in iis, seu in jure sociali medii aevi, *fontem et radicem* posuisse illius auctoritatis qua in Henricum usus est. Potuit Pontifex illis verbis indicare, talia crimina Henricum commisisse, ut mereretur depositionem *ad analogiam* legum civilium earum, quibus etiam minoribus criminibus gravissimae poenae, e. g. supplicium ultimum, statuebantur. Potuit certe etiam alludere ad eas dispositiones juris, quibus impii et excommunicati contumaces privabantur muneribus publicis. Determinata tamen lex civilis pro depositione principum non aderat, et ejusmodi factum depositionis regis per Pontificem in Occidente per plura saecula non advenerat. Certe aliqua *consuetudo juris publici*, qualem Fénélon et Gosselin fingunt, ea aetate tali in re, uti in pluribus aliis casibus, quibus RR. Pontifices auctoritate sua suprema usi sunt, afferri non potest. Depositionem Henrici multorum animos vehementer movisse, advertit Otto Frisingensis scribens: *Cujus rei* (scil. depositionis Henrici) *eo vehementius indignationis motum suscepit Imperium, quo nunquam ante haec tempora hujusmodi sententiam in principem Romanorum promulgatam noverat* [1]). Haec forte aliquantisper exaggerata sunt, erat enim Otto Henrici IV nepos. Attamen satis constat, vehementem passim apud non paucos fuisse oppositionem, tum contra Gregorii VII tum contra aliorum Pontificum actus, dum auctoritatem suam in principes exercebant, nimiumque

Depositio Henrici multos commovit.

[1]) Hist. L. VI. c. 35 — Gregorius ipse scribit in epistola ad Germanos Rudolpho adhaerentes a. 1079: „Qua certe in causa nullus vestrum praeter instantiam praeliorum, majores me et patitur injustias et suffert injurias. Quotquot enim laici sunt omnes causam Henrici praeter admodum paucos laudant ac defendunt, et pernimiae duritiae ac impietatis circa eum me redarguunt.“ Reg. VII 3 — Immerito tamen haec a Natali Alexandro (In saec. XI. Diss. II. art. X.) afferuntur, ac si post depositionem Henrici scripta essent. Epistola enim die 1° Octobris anni 1079 scripta est. V. Jaffé. Monumenta Gregor. p. 383.

urgeri illud jus sociale, usu et consuetudine ubique receptum [1].

135. Caeterum animadvertendum est, dum Romani Pontifices medii aevi in actibus suae auctoritatis et potestatis quoad temporalia, praeter jura sua divina etiam leges civiles passim citant et commemorant, inde universim perperam colligi, eos in jure sociali ultimum fontem suae potestatis vel aequale fundamentum cum jure divino posuisse. Etenim plane aliud est, legibus civilibus et jure sociali medii aevi praesertim posterioris agnitam fuisse illam supremam auctoritatem Pontificum, quae jure divino nitebatur, et jus sociale conformatum fuisse illi potestati supremae Pontificum; aliud vero, jus sociale et leges civiles tunc vigentes ultimum *fontem et radicem* fuisse illius auctoritatis Pontificum. Quandoquidem leges sociales maxime Ecclesiae influxu, paulatim ita constitutae sunt, ut in Ecclesia et summo Pontifice eam agnoscerent et sancirent auctoritatem, quae ipsis, certis in adjunctis, ex indole sua et institutione conveniebat. Poterant igitur Pontifices provocare etiam ad illas leges, easque afferre ut argumenta *secundaria* et *confirmativa*. Sed dum quaerebatur de *ultimo fonte* et Leges sociales secundariae.

[1] Notare etiam juvabit, ab auctoribus temporis Gregorii VII apprime distingui depositionem Henrici IV et ejus excommunicationem, ita ut illam haud ut consequentiam ab excommunicatione dependentem habeant, sed ut poenam etiam per se subsistentem praecisa excommunicatione. Sic Paulus Bernriedensis in Vita Gregorii VII passim advertit, Canusii Henrico communionem quidem, haud vero regnum redditum fuisse (cc 85 86). Agens porro (c. 94) de electione Rudolphi in regem, refert principes considerasse, „se ad nullam dilationem ab Apostolico coactos, sed hoc in eorum arbitrio positum esse, nec alicui nisi sibi ipsis deinceps imputandum fore, si dilatio noceret. Insuper se nullius subjectionis exhibendae Henrico regi obnoxios, imo pro apostolici banni transgressione damnandos, si aliquam subjectionem regi deinceps exhiberent. Nam Papa *priusquam eum anathematizaret*, ex parte omnipotentis Dei et sancti Petri et sua illi regnum interdixit, et omnes Christianos juramento, quod sibi fecissent vel facturi essent, absolvit, et ut nullus ei ut regi serviret interdixit; qui postea ab eo communionem tantum, non regnum, falsa correctionis promissione recuperavit." V. Watterich l. c. I. 530.

radice talis auctoritatis, qualem exercuerunt in depositione principum et in casibus similibus, invenimus, eos talia jura sibi vindicasse ex ratione *primatus divinitus instituti*. Unde etiam abrogatis illo jure civili illisque legibus, talia jura in sua *radice* non aboleri possunt. Exercitium *actuale* talis potestatis et juris dependebat sane a variis *conditionibus socialibus*, quae medio aevo obtinebant praesertim ob unionem illam intimam inter societatem civilem et Ecclesiam. Atque tunc illud jus radicale et insitum primatui a Romanis Pontificibus actualiter exerceri nequit, quando conditiones societatis et adjuncta universim talia sunt, ut ejusmodi exercitium vergeret in ruinam ipsius Ecclesiae et societatis. — Qualis vero sit natura illius auctoritatis, eam merito dici *potestatem indirectam in temporalia principum*, et revera Romanis Pontificibus convenire, in *Jure publico ecclesiastico* fusius exponitur. Varia de hac quaestione jam diximus[1], et inferius ista de re accuratius agemus.

Indoles potestatis indirectae.

136. Hoc loco claritatis gratia tantum pauca adjungimus quoad indolem hujus potestatis, quae conferenda sunt iis quae l. c. exposuimus. Illa de potestate Molina: *Potestas spiritualis Summi Pontificis ad finem supernaturalem, adjunctam, quasi ex consequenti, habet supremam et amplissimam potestatem jurisdictionis temporalis super omnes principes et reliquos, qui sunt in Ecclesia: praecise tamen, quantum postulat finis supernaturalis ad quem spiritualis potestas ordinatur. Quare si id exigat finis supernaturalis, potest summus Pontifex deponere reges eosque regnis suis privare. . . . Observa tamen, supremam hanc potestatem jurisdictionis temporalis, quae in summo Pontifice residet, cum non ad temporalia ipsa sed ad supernaturalem finem ordinetur, non esse mere potestatem temporalem, sed esse spiritualem ex parte finis. Quo fit, ut appellanda non sit potestas laica, sed ecclesiastica, jurisdictionis tamen temporalis, ut illam distinguamus a potestate mere spirituali, quae*

[1] Dissert. XIV. n. 45 sqq.

illam annexam habet[1]. — Bellarminus eam nihilominus potius *spiritualem* appellat in refutatione Barclaji, quum sit veluti *extensio quaedam ejus potestatis spiritualis. — Theologi*, scribit, *tribuunt summo Pontifici temporalem et spiritualem potestatem in ecclesiastica ditione tantum, quam potestatem plenam in patrimonio s. Petri appellat Innocentius in cap. Per Venerabilem: in reliquas provincias christianas et principes christianos tribuunt Pontifici potestatem solum spiritualem, quae per se et proprie respicit spiritualia, temporalia vero respicit, ut subordinantur spiritualibus. Et ideo quando proprie loquimur, dicimus Pontificem habere potestatem in temporalibus, non autem habere potestatem temporalem, qua Pontifex est. Ex quo sequitur, ut discrimen vocum: directe et indirecte, non referatur proprie loquendo, ad modum acquirendi potestatem, . . . sed ad explicandum objectum secundarium et consectaneum supremae spiritualis potestatis, quae . . . primario et directe respicit spiritualia, secundario et indirecte, id est in ordine ad spiritualia respicit temporalia*[2]. Vides, merito dici potestatem summi Pontificis *indirecte*, scilicet in certis casibus, quando id bonum spirituale exigit, et ratione boni spiritualis, se extendere etiam ad temporalia.

137. Ex hac igitur plenitudine potestatis et auctoritatis RR. Pontificum, omnimode vindicantur ea quae in causa Henrici IV aliorumve principum Gregorius VII fecit vel edixit. Videbimus, alios quoque Pontifices medii aevi ac varia Concilia iisdem principiis institisse, ac solemnibus quoque documentis ea proclamasse et vindicasse, praesertim Innocentium III et Bonifatium VIII. Breviter quidem eorum veritatem probabimus, ubi de hisce Pontificibus disseremus; plenior demonstratio haurienda est ex auctoribus qui ex professo hac de re tractaverunt. Sed juvabit hoc loco advertere, solidum argumentum pro veritate illorum principiorum hauriri ex ipso facto, quod per plura saecula Romani Pontifices et Ecclesia universim iisdem

Pontifices et Concilia.

---

[1]) De Justitia ac Jure Tract. I. Disp. 29.

[2]) De potest. summi Pontificis etc. adv. G. Barclaium. c. XII

usi sint, eademque diserte professi fuerint. Quum enim agatur de principiis quae cum Ecclesiae constitutione divinitus data, cum juribus ejus, cum justitia et moribus intime connexa sunt, ejusmodi professioni diuturnae tum practicae tum doctrinali, etiam si a definitione solemni praescindamus, error subesse nequit[1]).

S. Petri protectio.

138. Immerito porro, illimitatam dominationem Gregorium sibi vindicare voluisse, inde adversarii quidam arguunt, quod asseruerit, s. Petrum positum esse *principem super omnia regna mundi*, quodque in synodo anni 1080 contenderit, *Pontifices cum synodo sua non tantum regna et imperia sed omnium bona et possessiones posse dare atque adimere*[2]). Ad primum enim quod attinet, scribit Gregorius in epistola ad Sanctium Arragoniae regem directa, in qua eum laudat quod liturgiam Romanam receperit: *In Domino Jesu Christo confidimus, quia Beatus Petrus Apostolus, quem Dominus Jesus Christus, rex gloriae, principem super regna mundi constituit, cui te fidelem exhibes, te ad honorem desiderii tui adducet, ipse te victorem de adversariis tuis efficiet*[3]). Manifeste hic non agitur de aliqua dominatione temporali, sed haec pertinent ad Petri auctori-

[1]) Cl. Montalembert existimat quidem, principum depositionem a Gregorio VII aliisve Pontificibus factam niti illorum temporum jure publico et sociali, idque a Gosselin esse probatum, admittit tamen et ipse, praeterea adesse potestatem illam indirectam in temporalia quae ex constitutione Ecclesiae dimanet. „Selon nous Gosselin a démontré sans réplique que le droit de déposition tel qu'il fut exercé par les papes, du onzième au treizième siècle, se fondait sur le droit public et humain de l'Europe catholique du moyen âge: mais ce droit public et humain *ne saurait*, croyons-nous, *exclure le droit divin et indirect*, dont l'Eglise est investie en vertu de sa nature et de son institution, comme l'ont enseigné et expliqué le cardinal Bellarmin et le comte de Maistre: droit auquel croyaient à coup sûr les docteurs et les fidèles du moyen âge." Les Moines d'Occident, Tom. VI, L. XVIII, Ch. V, p. 560 note 2. Edition de Paris 1877.

[2]) Cfr. hac de accusatione Hergenröther, Kirche und Staat, p. 140 sqq.

[3]) Reg. I, 63.

tatem universalem ut capitis Ecclesiae, cui proinde etiam omnia regna mundi obedientiam et reverentiam debent. Inde vero est, quod in contextu prae oculis habere videtur Pontifex, etiam in coelis s. Petri protectionem et auctoritatem ad omnia regna mundi se extendere, adeoque Sanctium, quum Petri Sedi reverentiam exhibuerit et obedientiam, de auxilio s. Petri contra adversarios suos posse confidere.

139. Ad alteram difficultatem quod attinet, alludunt ad illa verba Gregorii VII, quibus concludit excommunicationem Henrici IV: *Agite nunc, quaeso, patres et principes sanctissimi, ut omnis mundus intelligat et cognoscat, quia si potestis in coelo ligare et solvere, potestis in terra imperia, regna, principatus, ducatus, marchias, comitatus et omnium hominum possessiones pro meritis tollere et unicuique concedere. Vos enim patriarchatus, primatus, archiepiscopatus, episcopatus, frequenter tulistis pravis et indignis, et religiosis viris dedistis.* — Sed Gregorius VII his verbis nullatenus alloquitur episcopos in synodo congregatos: ea diriguntur ad ss. Apostolos Petrum et Paulum, patres et principes Ecclesiae. Jam vidimus, excommunicationem et depositionem Henrici IV Gregorium inseruisse allocutioni deprecatoriae ad ss. Apostolos Petrum et Paulum. Ad hosce etiam in fine excommunicationis se dirigit, petens ut ipsi velint cito judicium exercere et Henricum de facto e throno dejicere. Unde concludit totam actionem his verbis: *Addiscant nunc reges et omnes saeculi principes, quanti vos estis, quid potestis; et timeant parvi pendere jussionem ecclesiae vestrae. Et in praedicto Heinrico tam cito judicium vestrum exercete, ut omnes sciant, quia non fortuito, sed vestra potestate cadet. Confundetur (al. confundatur); utinam ad poenitentiam, ut spiritus salvus sit in die Domini*[1]). Vides, quantopere ab adversariis (Janus p. 117, 118) Gregorii verba contorqueantur. Sane potestatem indirectam certis in circumstantiis etiam in temporalia principum,

SS. Petri et Pauli potestas.

[1]) Reg. VII. 14.

Gregorium VII Ecclesiae et Romano Pontifici vindicare, admittimus et tenemus; sed inepte ex illa Allocutione ad Apostolos deducunt, Gregorium illimitatam quamdam potestatem sibi vindicasse disponendi de omnibus bonis Christianorum.

Gregorius VII et Berengarius.

140. Reliquum est, ut agamus de ea accusatione in Gregorium, quod Berengarii erroribus favorem praestiterit. In depositionis decreto conciliabuli Brixinensis praesules schismatici Gregorium damnarunt, tanquam *catholicam et apostolicam fidem de corpore et sanguine Domini in quaestionem ponentem, haeretici Berengarii antiquum discipulum*[1]. Inter recentiores autem Moshemius aliique auctores protestantes contendunt, Gregorium multum Berengario favisse nec ejus opiniones habuisse ut haereticas[2]. Ut vero perspiciatur penitus, quam inepta sit illa accusatio, juvabit de Berengario ejusque erroribus aliquanto accuratius dicere.

Berengarii errores.

141. Berengarius igitur, primis decenniis saeculi XI thesaurarius et magister scholae Turonensis, ac circa a. 1040 archidiaconus episcopi Andegavensis, diuturnam et implexam litem excitavit de dogmate eucharistico. Vir erat ingenio petulanti ac versatili, jamque a praeceptore suo Fulberto Carnutensi ob novarum rerum cupiditatem identidem fuit admonitus. Dialecticorum subtilitatibus justo plus delectatus, doctrinam Ecclesiae catholicae de Eucharistia impugnavit; sed quum subtili et sophistica ratione ageret, ambiguis verbis sensus suos involveret, et Scripturae doctrinam se tenere contenderet, litem fecit valde difficilem et implexam. Id vero eo facilius evenire potuit, quod terminologia esset ea aetate nondum penitus definita, quodque antecedentibus saeculis etiam viri orthodoxi ob modum loquendi inter se vehementius decertarint[3]. Nonnulli arbitrati sunt, Berengarium non negasse realem prae-

[1] Cfr. Watterich, I, 442.

[2] Instit. hist. eccl. Saec. XI. Pars II. C. III. §. XVI sqq.

[3] Cfr. ea quae diximus de controversia inter Paschasium Radbertum, atque Ratramnum et Rabanum Maurum, Dissert. XV. III.

sentiam Christi in Eucharistia, sed tantum absentiam substantiae panis et vini, adeoque conversionem hujus substantiae seu transsubstantiationem. Sed opus princeps Berengarii *De sacra coena*, quod diu amissum saeculo praeterito (1770) a Lessing repertum et editum fuit, satis ostendit, eum etiam negasse praesentiam realem[1]). Obscurius tamen ipse loquebatur, impanationem quamdam videbatur passim admittere, magis insistebat negationi transsubstantiationis, et versatili animo, quando urgebatur, doctrinae Ecclesiae se videbatur submittere. Adversarios suos, maxime Lanfrancum, oppugnabat, quod materialismum quemdam in doctrinam de Eucharistia introducerent, quum dicerent corpus Christi frangi et dentibus teri; ipse vero multum insistebat sententiis Scoti Erigenae.

142. Anno 1049 epistolam scripsit ad Lanfrancum, qua erroris eum arguebat, in suasque partes trahere conabatur. Lanfrancus eam epistolam recepit quum Romae esset, ibique anno 1050 sub Leone IX synodus habita est, in qua Lanfrancus se ab omni errore purgavit, Berengarii vero sententiae rejectae sunt, et ipse ad synodum Vercellis proxime futuram citatus est. Concilium Vercellis mense Septembri anni 1050, praesidente Leone IX, revera habitum est; Berengarius autem non adfuit, quia ab Henrico I Galliae rege custodiae mandatus erat. Cum clerici ab eo missi in primo statim defensionis suae aditu defecissent, Berengarii doctrina proscripta, et Joannis Erigenae liber, quo gloriabatur, lectus et igni traditus est. Eadem fuit sententia synodi Parisiensis, quae anno 1051 habita

Concil. Vercellense a. 1050.

[1]) Dicit e. g. de Coena Domini p. 145: „Mutationi in placatum irati similis erat mutatio panis in corpus Christi, quia inefficax erat panis natura ante consecrationem ad vitam aeternam, post consecrationem efficax, . . . et quod dicitur panis altaris corpus Christi eo locutionis dicitur genere, quo dicitur: Christus est summus angularis lapis". Et p. 223: „Exigit (Christus), ut per comestionem et bibitionem corporalem, quae fit per res exteriores, per panem et vinum, commonefacias te spiritualis comestionis et bibitionis, quae fit in mente de Christi carne et sanguine". Cfr. pp. 157. 179. Edit. Vischer. Berolini 1834.

est. — Quum nihilominus Berengarius opiniones suas ut orthodoxas tueretur et spargeret, anno 1054 alia synodus habita est Turonis, cui praesedit *Hildebrandus*, Leonis IX legatus. In eadem synodo, post discussiones habitas Berengarius juramento promisit, se servaturum esse communem Ecclesiae doctrinam, et subscripsit formulae: *Panis et vinum post consecrationem sunt corpus Christi et sanguis;* quo facto ab Hildebrando absolutus fuit. Videbatur profecto haec formula sufficiens, dum sensu naturali realem praesentiam, et transsubstantiationem implicite exprimeret, subtiliores autem disputationes seponi possent.

143. Sed Berengarius opiniones suas erroneas retinuit, vel quod formulam admissam mox rejiceret, vel quod subdola explicatione errores suos cum ea conciliaret. Anno 1059 autem ipse Romam venit, sperans se posse occultare suos errores, arteque dialectica et juvantibus amicis rem suam componere. Tunc in synodo quam cum centum ac tredecim episcopis Nicolaus II habuit, iterum ejus causa agitata est, eumque Lanfrancus erroris convicit. Fidei professio hujusmodi ab Humberto Cardinali composita et a Berengario suscepta est: *Ego Berengarius . . . anathematizo omnem haeresim, praecipue de qua hactenus infamatus sum, quae astruere conatur, panem et vinum quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum* (signum), *et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, nec posse sensualiter, nisi in solo sacramento, manibus sacerdotum tractari, vel frangi, vel fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctae Romanae Ecclesiae et Apostolicae Sedi, et ore et corde profiteor de sacramento Dominicae mensae eam fidem me tenere, quam dominus et venerabilis Papa Nicolaus, et haec sancta synodus auctoritate evangelica et apostolica tenendam tradidit, mihique formavit, scilicet panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: et sensualiter non solum sacramento, sed in veritate, manibus sacerdotum tractari et frangi et fidelium dentibus atteri: jurans per*

Formula Humberti Card.

sanctam et homousion Trinitatem et per haec sacrosancta Christi Evangelia[1]).

144. In hujusmodi formula manifeste propositum erat, ut realis praesentia corporis et sanguinis Christi per consecrationem, adeoque etiam conversio substantiae panis et vini, tam expresse statueretur, ut ambiguitati locus non esset, nec ulla ratione Berengarii effugia vel subdola interpretatio subsistere possent. Inde selecta illa verba, *verum corpus et sanguinem Christi esse, et sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari et frangi et fidelium dentibus atteri.*

145. Ut vero genuinus formulae sensus intelligatur, advertere juvat, qua ratione mutationes quaedam factae in speciebus possint praedicari de corpore Christi, et aliae non praedicari. 1⁰ „Omnino proprie praedicantur, ait Card. Franzelin, eae mutationes, quae licet per se et primo fiant in speciebus, per has tamen ratione unionis et praesentiae sub illis transeunt ad ipsum Christi corpus, cujusmodi sunt mutationes per motum localem; proprie igitur Christi corpus et Christus (secundum humanitatem) in sacramento ponitur in altari, elevatur, circumfertur, distribuitur, manducatur, etc.“ — 2⁰ „Ea quae ita conveniunt solis accidentibus, ut non etiam corpus Christi afficiant, duplici diversa ratione a nobis concipiuntur. Aliqua concipimus convenire speciebus praecise, ut hae sunt aliquid distinctum a corpore Christi. Jam tales sive mutationes sive affectiones nullo modo praedicantur de corpore Christi; sic non potest dici corpus Christi e. g. calefieri, corrumpi etc. . . . At vero sunt alia quaedam, quae licet proprie conveniant accidentibus, concipiuntur tamen eis convenire, quatenus cum corpore Christi realiter praesenti unum sacramentum et unum totum constituunt. Haec praedicari possunt de corpore Christi formaliter ut praesenti et demonstrabili sub his speciebus; sic dici potest, et a Patribus saepe dicitur corpus Christi in Eucharistia *videri*, Formulae sensus.

[1]) V. Pagii Breviarium sub *Nicolao II.* et Natal. Alex. Dissert. I. in saec. IX.

tangi, frangi (fractione liturgica). Sensus enim proprius harum locutionum est, substantiam quae subest accidentibus ut objecto immediato, visus, tactus, fractionis, et quae cum his accidentibus unum sacramentum constituit, esse non aliam quam ipsum Christi corpus. Unde ad directam oppositionem contra certas quasdam formulas haereticorum negantium realem praesentiam corporis Christi vel absentiam substantiae panis, potest esse opportunum aut necessarium, catholicae fidei professionem illis praedicationibus concipere. Hoc sensu Berengarius in concilio Romano sub Nicolao II anno 1059 profiteri jussus est: panem et vinum post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse, et sensualiter, non solum sacramento, sed in veritate, (h. e. non solum ut significatum per panem tanquam per sacrum signum, sed ut praesens sub speciebus panis), manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri" [1]. Ex his vides, formulam omnino aptam fuisse et immerito eam calumniari Moshemium ut plane monstruosam et ineptam [2], et Gieseler ut vere capharnaiticam [3].

146. Quum tamen tales mutationes proprie conveniant *speciebus ut objecto immediato*, negari possunt de corpore Christi ut objecto immediato et eo sensu dicitur in hymno: „A sumente non concisus, — non confractus, non divisus, — integer accipitur. — Fracto demum sacramento, — ne vacilles, sed memento, — tantum esse sub fragmento, — quantum toto tegitur. — Nulla rei fit scissura, — signi tantum fit fractura, — qua nec status nec statura, — signati minuitur". — Quae quum ita sint, vides, facilius Berengarium effugia invenisse, ut Româ in Galliam reversus formulam rejiceret et ad sententiam suam rediret.

[1]) De Eucharistia; Thesis XIV, Scholion 1. p. 226.

[2]) Instit. hist. eccles. Saec. XI. P. II. Cap. III. § 15.

[3]) K. G., B. II. Th. I. § 29.

Formulam, contendit, solius Humberti esse[1], se vero non subscripsisse, sed metu mortis eam manu suscepisse. Errores suos tum ipse tum per discipulos suos disseminavit. Vehemens dein in Gallia controversia orta est, ac Berengarium non pauci theologi insignes, inter quos Lanfrancus, Durandus abbas Troarnensis, et Guitmundus, scriptis suis impugnarunt et confutarunt. Alexander II anno 1061 paterne monuit virum, ut a coeptis desisteret; sed frustra. Nihilominus Sedes Apostolica magna moderatione usa est, dum doctrinas quidem Berengarii proponi ac propagari continuo vetaret, ipsum tamen benignitate et indulgentia quadam reconciliare studeret. Berengarius vero fluctuanti animo ac dolosa hypocrisi modo occultabat errores suos, modo iterum eos propalabat. — In pluribus synodis Galliae ejus doctrinae rejectae sunt, atque inter alia anno 1063 a synodo Rothomagensi professio fidei composita est, contra illos errores directa, cui subscriberet quivis episcopus electus. Quum Berengarius vero anno 1077 denuo citaretur ad synodum praesulum Galliae, petiit a Pontifice Gregorio VII, ut ipse causam ejus judicaret, eo quod Galliae episcopi sibi infensi essent.

Controversia recrudescit.

147. Gregorius VII acquievit ejus precibus, et Berengarius, octogenarius senex, anno 1078 Romam venit. Haud mirum, quod Gregorius senem, qui pietatem prae se ferebat, doctrina clarus erat et contendebat, se non violare Ecclesiae dogmata sed tenere Scripturae et Patrum doctrinas, benigne tractaret. Eo vel magis quod, uti in controversiis fieri solet, magna agitatione orta, Berengarius

Berengarius Romae a. 1078.

[1] „Manu, quod mendaciter ad te (Lanfrancum) pervenit, non subscripsi, nam ut de consensu pronuntiarem meo, nullus exegit: tantum timore praesentis jam mortis scriptum illud absque ulla conscientia mea jam factum, manibus accepi. — Solus Humbertus ille, inconvento et inaudito me, sine mora et lima diligentioris examinis et secundum Scripturas considerationis, quod voluerat scripsit, nimiaque levitate Nicolaus ille, de cujus ineruditione et morum indignitate facile mihi erat non insufficienter scribere, quod dixerat Humbertus approbavit." Ad Lanfrancum. Ap. Gieseler, l. c.

libris vehementius impetitus esset, et etiam passim aliis viis lacessitus[1]), contenderet, se persecutioni obesse inimicorum suorum. Studuit igitur Pontifex mansuete eum ad veram doctrinam reducere. Atque probabile est, formulam priorem, quum Berengarius eam quasi proprium Humberti foetum atrociter lacerasset, quumque facilius aliquot ejus verba praepostere possent accipi et exponi, indulgentia prudenti sepositam esse. Berengario concessum est, ut alia professione fidem suam explicaret; et in synodo aliqua minori, Romae festo omnium Sanctorum anni 1078 habita, hanc edidit professionem: *Profiteor panem altaris post consecrationem, esse verum corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce, quod sedet ad dexteram Patris, et vinum altaris postquam consecratum est, esse verum sanguinem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuntio, ita me corde habere confirmo; sic me adjuvet Deus et haec sacra.* Videbatur sane haec formula apta, ut simplici modo, ambiguitate omni remota, fides catholica exprimeretur, nisi plane vafer et hypocrita senex supponeretur. Hinc Gregorius nullatenus reprehendi potest vel favoris injusti in Berengarium accusari, quod ei permitteret hac professione doctrinam suam orthodoxam testari. Nihilominus quum plures episcopi vererentur, ac merito, dolose hominem agere suosque palliare errores, statutum est, ut Berengarius remaneret Romae usque ad synodum quadragesimalem anni 1079, in qua, si oporteret, etiam accuratius fidem suam testaretur.

Synodus Rom. a. 1079.

148. Mense Februario (die 11°) illud concilium habitum est, et per tres dies de reali praesentia discussio facta. Videlicet „quidam caecitate nimia et longa perculsi figura tantum esse, se aliosque decipientes, quibusdam cavillationibus conabantur astruere. Sed mox refutati, et denique Berengarius hujus erroris magister post

[1] Quum a. 1075 coram synodo Pictaviensi comparuisset, et s. Hilarium contra ipsius doctrinas citatum errorum accusaret, tanta commotio in Berengarium orta est, ut vita ejus periclitari videretur.

longo tempore dogmatizatam impietatem, errasse se coram concilio frequenti confessus veniamque postulans et orans ex apostolica clementia meruit. Juravitque sicut in consequentibus continetur: *Ego Berengarius corde credo et ore confiteor: panem et vinum quae ponuntur in altari per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris „substantialiter" converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Jesu Christi Domini nostri; et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris; et verum sanguinem Christi qui de latere ejus effusus est; non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate substantiae, sicut in hoc brevi continetur et ego legi et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo; sic me Deus adjuvet et haec sacra Dei Evangelia.* — Tunc domnus Papa praecepit Berengario ex auctoritate Dei omnipotentis et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ut de corpore et sanguine Domini nunquam ulterius cum aliquo disputare vel aliquem docere praesumeret: excepta causa reducendi ad hanc fidem eos, qui per ejus doctrinam ab ea recesserunt" [1]). Dein benigne Gregorius VII Berengarium in Galliam revertentem dimisit, et libello ei concesso sub anathemate prohibuit, quominus jam aliquis eum, filium Romanae ecclesiae, injuriis afficeret, vel haereticum vocaret [2]). Certe in omnibus his laude maxime dignus est Gregorius VII, qui senem octogenarium, quum ad eum appellasset, cum indulgentia et benignitate tractavit, et nihil aliud exegit, nisi ut dogma catholicum profiteretur. Eum vero opinionibus erroneis Berengarii favisse, ineptum est dicere. Jam prima formula per se convenientem doctrinae catholicae professionem continebat, altera dein formula videbatur omnia subterfugia excludere.

Berengarii professio.

---

[1]) Monum. Gregor. Regist. VI. 17.

[2]) Ibid. VII. 24.

Berengarius in errore pertinax.

149. Sed quam difficile sit virum theologum qui errori pertinacius inhaesit ad veritatis reducere tramitem, etiam in Berengario visum est. Scribunt quidem passim auctores, eum Roma reversum exinde in doctrina catholica perstitisse: sed revera aliter res sese habet. Exstat enim narratio de illo concilio Romano a Berengario post reditum composita, ex qua apparet, eum iterum subdole egisse, verbis professionis sensum haereticum supposuisse, et non nisi ficte agnovisse, se antea docuisse errores. Valde conqueritur, quod formulam quam in festo omnium Sanctorum anno 1078 consentiente Pontifice professione sua firmaverat, additis variis verbis mutatam voluerint adversarii ejus, quodque Pontifex ipsis cesserit. Dein: *Ego carta correpta,* scribit, *et quantum brevitas permittebat temporis recursa, perpendi, ad sanum intellectum utcumque posse reduci et „substantialiter" et caetera verba, quae in scripto erratici posuissent suo; respondi, quia ita placeret Domino papae, me „substantialiter" additurum: cogitans id ipsum quod adjiceretur „substantialiter" plus valere ad dejiciendos eos, secundum quod scribitur: Dejecisti eos dum allevarentur. Re enim vera quod dicit quis: panis sacratus in altari est corpus Christi, et addit „substantialiter", tantum haberi non incongrue potest, quantum si dicat: panis sacratus in altari salva sua substantia est corpus Christi, id est non amittens quod erat, sed assumens quod non erat.* — Deinde et alium sensum hujus vocis, quem admittere posset confingit, et ostendere studet, se potuisse licite verbis sensum subjicere alium, quam illi intelligerent [1]).

150. Refert porro, adversarios in sua professione conclamasse, ipsum suum sensum verbis supponere, ac postu-

[1] Simili ratione et alia interpretabatur in sensum confictum, quo ab ipso admittebantur: neque tunc videtur realem praesentiam admisisse. Sed esse, ait, *panem et vinum non tantum signum vel sacramentum, quod erat impossibile, quia duo sunt semper, signum et signatum, sacramentum et res cujus sacramentum est.* Quibus verbis innuit praesentiam Christi *virtute* vel *conceptu.* Panem et vinum dicit *proprium* corpus Christi, quia Christus non habet corpus phantasticum, uti Manichaei volebant.

lasse, ut juraret, se verba non sua interpretatione sed secundum eorum sensum accipere. *Hic mihi,* scribit dein, *Omnipotentis misericordia non defuit. Respondi enim, me* Ejus dolus.
ad eorum intellectum meum non deducere, ea quae ante paucos dies mecum inde papa egerat sola tenere; ita inclamatione eorum suppressa, nullus quid mecum papa egisset interrogarit. Non ego, non papa exposuit; sed ut videtur non (nunc) locus est exponendi. — Narrat deinde quae ipsi paulo ante Gregorius VII dixerit: atque haec urget Moshemius, ut ostendat Pontificem favisse doctrinis Berengarii. — *Ante paucos dies accito ad se mihi, audiente Portuensi episcopo, ita papa narraverat. Ego plane te de Christi sacrificio secundum Scripturas bene sentire non dubito, tamen quia consuetudinis mihi est, ad B. Mariam de his quae me movent recurrere, ante aliquot dies imposui religioso cuidam amico et familiari meo jejuniis et orationibus operam dare, atque ita a B. Maria obtinere, ut per eum mihi non taceret, sed verbis commendaret, quorsum me de negotio quod in manibus habebam de Christi sacrificio reciperem, in quo immotus persisterem. Religiosus vir et mihi familiaris petitioni meae satisfacere voluit. Post constitutum temporis spatium a B. Maria audivit et ad me retulit, nihil de sacrificio Christi cogitandum, nihil esse tenendum, nisi quod haberent authenticae Scripturae, contra quas Berengarius nihil habebat. — Ita erraticis consensum meum, ne secundum opinionem eorum quod legeram interpretarer, negari.* — Dein vero enarrat, se non ex corde, sed metu commotum professum esse, prius se errasse; atque hujus infirmitatis et simulationis veniam a Deo implorat [1]).

151. Advertendum est, haec senili quadam loquacitate narrari a Berengario octogenario, ut pertinaciam suam in sententiis suis vindicaret, et Gregorium cessisse tantum adversariorum suorum vehementiae ostenderet. Si haec ad critices normam expenduntur, ex iis tantum colligi

[1]) Acta Concilii Romani, ap. Martene, Thes. anecdot. T. IV. p. 103 sqq.

potest, Gregorium seni qui constanter declamabat, se sepositis subtilitatibus Scripturae doctrinam omnino tenere, benigne dixisse, ipsum libenter credere, eum adhaerere iis quae Scripturae docent. Animum quoque ei addidit, asserens, sepositis subtilioribus quaestionibus, id tantum statutum iri, quod de ss. Eucharistia Scripturae docent. Prudenter id Gregorio VII propositum erat, et plane probabile est, tum ipsum tum alios, eo petente, lumen divinum ac B. Mariae Virginis auxilium ad illud negotium rite perficiendum precibus postulasse. Ac forte amicus religiosus ei retulit quae a B. Virgine sibi communicata existimabat, Gregoriusque in eo firmatus est consilio, de quo Berengarium certiorem reddidit, ut tantum obvia doctrina Scripturae proponeretur. Illa autem verba, *contra quas Berengarius nihil habebat,* ne a viro quidem illo religioso censerem allata, ut communicata a B. Maria Virgine in confirmationem orthodoxiae Berengarii, sed dicta ab illo viro vel a Gregorio ex suppositione, secundum Berengarii protestationem, qui toties asserebat, se admittere omnino doctrinam Scripturae, sed cavillationibus subtilioribus ab adversariis torqueri. Ex omnibus hisce igitur tantum inferri potest, Gregorium Berengarium senem, qui ad illum appellaverat ac caeterum eruditionis et pietatis fama multum celebrabatur, benigne tractasse; eum satis paratum existimasse ut, omissis subtilioribus controversiis, in simplicem doctrinam Ecclesiae fidem profiteretur, et voluisse negotium illud, uti aequum videbatur, disponere tanta in Berengarium indulgentia, quanta uti poterat.

Gregorii VII benignitas.

152. Sed insistit Moshemius, Gregorium VII, quum Berengarius in patriam reversus doctrinas priores denuo afferret, haud intervenisse, sed id tolerasse, adeoque illis doctrinis non fuisse contrarium, et censuisse ad fidem sufficere professionem generalem, in Eucharistia porrigi fidelibus verum corpus et sanguinem Christi. Adverti potest imprimis, quum doctrina catholica professione in concilio proposita ac sensu naturali intellecta clare expressa esset, Gregorium multis difficultatibus detentum potuisse abstinere

ut illico negotium illud arduum resumeret. Potuit senem morti jam appropinquantem conscientiae suae, vel potius auctoritati relinquere disciplinari praesulum Galliae, inter quos erat Hugo Diensis Pontificis legatus. Revera anno 1080 Hugo Diensis, sive hortante Gregorio sive proprio motu, convocavit Concilium Burdigalense, *in quo Berengarius reddidit fidei suae rationem*, ut Chronicon Malleacense testatur [1]). Censent autem plerique Berengarium tunc, vel saltem brevi post, sensum suum mutasse. Ultimis enim annis vitae suae (a. 1080) secessit in insulam s. Cosmae prope Turonas, ibique mortuus est in sinu Ecclesiae senex nonagenarius anno 1088 die 6° Januarii. Scribit quidem Bertholdus coaevus in Chronico suo idque minus accurate, ad a. 1083: *Berengarius novae haeresis de corpore Domini auctor eo tempore deficiens abiit in locum suum. Qui licet eamdem haeresim saepissime in synodo abjurarit, ad vomitum tamen suum canino modo non expavit redire. Nam et in Romana synodo canonice convictus, haeresim suam in libro a se descriptam combussit, et abjuratam anathematizavit; nec tamen postea dimisit.* — Attamen tum plures alii auctores coaevi eum fidelem obiisse referunt, tum ea remansit traditio in ecclesia Turonensi, cujus canonici etiam quotannis orationes pro defuncto fundebant [2]).

153. Jam finem imponamus huic de Gregorio VII Conclusio. dissertationi, ex qua profecto habebitur conspectum quod innuimus, saeculi undecimi indolem et characterem maxime hujus Pontificis summi laboribus, operibus, doctrina, esse determinata. Vidimus enim, inde a temporibus Gregorii VI, ac maxime sub hujus successoribus Leone IX, Victore II, Stephano IX, Nicolao II, Alexandro II, praecipuis muneribus et legationibus Hildebrandum esse perfunctum, abolendis abusibus, restaurandae disciplinae, recuperandae libertati Ecclesiae indefessam eum operam navasse, et in regimen Ecclesiae praecipuum et valde salutarem eum

---

[1]) V. Natal. Alex. l. c. art. XVIII.

[2]) V. Natal. Alex. l. c. art. XIX.

exercuisse influxum. Dein summus Pontifex electus, potens opere et sermone, labores pro restituenda Ecclesiae disciplina et vindicanda ejus libertate continuavit. „Innumerabilia sunt quae vel fortiter sustinuit, vel, multis coactis in Urbe synodis, sapienter constituit, vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiae defensor“ [1]). Quamvis autem aerumnas et persecutiones multiplices perpessus esset Gregorius VII, et quando in exilio obibat Ecclesia in magno videretur versari discrimine, solida tamen ipse jecerat fundamenta felicioris rerum statûs qui mox advenit: imo non modica ex parte jam ad proprium decus reduxerat Dei Ecclesiam. Qua de re post enarratam Gregorii VII mortem praeclare illustris Annalium auctor Baronius: *Ita plane,* scribit, *persecutionibus indesinentibus, diversi generis aerumnis, atque saepe caedibus sacerdotum multo felicius paritur Ecclesiae pax, libertas acquiritur atque confirmatur ecclesiastica, et salus quaeritur animarum. Sic sacerdotes suos pugnare et vincere Christus docuit, cujus passionibus et infirmitatibus robur ac fortitudo, ac morte denique vita fidelibus est comparata. Mentiar, nisi ista jam experimento rerum praesentium monstrari possint, per Gregorium nempe vindicatas e manibus principum ecclesiarum investituras, liberam electionem Romanorum Pontificum postliminio restitutam, disciplinam ecclesiasticam collapsam penitus reparatam, et alia innumera bona parta* [2]).

[1]) Breviar. Rom. Lect. II. Noct. in festo s. Gregorii VII, die 25 Maji.

[2]) Annal. ad a. 1085 n. 12.

Dissertatio vigesima secunda.

De continuatione ac fine controversiae quoad investituras.

1. Eo tendebant omnes Gregorii VII tum ante pontificatum tum tempore pontificatus conatus et labores, *ut sancta Ecclesia, sponsa Dei, domina et mater nostra, ad proprium rediens decus, libera, casta et catholica permaneret*[1]. Summam vero difficultatem ut scopum attingerent tum Gregorio tum successoribus ejus creabat inveterata investiturarum consuetudo. Investitura laicorum enim ex una parte maxime oberat Ecclesiae libertati et independentiae, ac simoniae et incontinentiae malis aditum facilem parabat; eidem vero ex altera parte principes tenacissime inhaerebant, eo quod investitura sublata legitima sua jura auferri vel vehementer periclitari opinabantur. Unde mirum non est, etiam sub successoribus Gregorii VII, quum jam de simoniae et incontinentiae abusibus victoria reportata videretur, luctam de investituris per plura decennia esse continuatam. Dissertationis indoles.

---

[1] V. Gregor. VII Epistolae collectae. ep. 46, ap. Jaffé Monum. Gregor. p. 574.

2. Quum vero tanti momenti fuerit haec controversia, operae pretium est, ut de ejus continuatione ac fine speciali hac dissertatione agamus. In continuatione litis de investituris conatibus occurrimus summa attentione dignis, ut quaestioni intricatae solutio conveniens afferretur, ac jura Ecclesiae ejusque bonum, cum principum juribus commodisve apte conciliarentur. Sed eminuit etiam Romanorum Pontificum eximia prudentia et moderatio, praesertim inde, quod demum acerrimam litem eo modo composuerunt, ut principibus concederent quidquid opportunum esset ad jura eorum honoremve tuenda, simul tamen in tuto ponerent Ecclesiae necessariam independentiam ac libertatem. Fausta ejusmodi pax inter Sacerdotium et Imperium per pactum Calixtinum seu concordatum Wormatiense firmata fuit. — Agemus igitur primum *de continuatione litis* quoad investituras, dein *de controversiae fine* per concordatum Wormatiense.

Conferri possunt praeter alios auctores jam citatos in praecedenti dissertatione: Noris, *l'istoria delle investiture delle dignità ecclesiastiche,* Mantova 1741: Phillips, *Kirchenrecht Vol. III. P. II. §§. 124. 125;* Thomassinus, *Vet. et nov. Eccl. discipl. Tom. II. P. II. cc. XXXVIII. XLIX:* Hefele *Conc. Gesch. B. V. §. 598 sqq.;* Balan, *Storia d'Italia L. XXII.;* Möhler-Gams *Kirchengeschichte B. II. (Hist. de l'Eglise Tom. II. Deuxième Epoque; deuxième Période, Ch. II. §. 1—5. pp. 314—353);* Reumont, *Gesch. d. Stadt Rom, II 370. 392 sqq.:* Hergenröther *K. G. I. 755 sqq. III. 250.*

I.

Continuatio luctae de Investituris.

Victor III. 3. Post mortem Gregorii VII Cardinales et alii proceres consenserunt de eligendo Desiderio abbate Cassinensi

quem Gregorius commendaverat[1]). Sed ipse, quum valetudine esset infirmus, Romae Guiberti pars praevaleret et difficultates maximae essent, omni via onus pontificatus suscipere declinavit. Ita negotium electionis Pontificis legitimi diu protractum est, et integro anno Ecclesia pastore orbata remansit. Postremo Cardinales, clerici ac fideles Romae congregati, die 24° Maji anni 1086, festo Pentecostes, Desiderium quamvis renitentem Pontificem crearunt sub nomine *Victoris III.* Verum post quatuor dies Victor a praefecto urbis vexatus, depositis insignibus pontificalibus, secessit Cassinum, atque iterum ob haesitationem Desiderii difficultates magnae ortae sunt. Praesertim Hugo Lugdunensis ob illam inconstantiam vel pertinaciam recusandi pontificatus exacerbatus fuit, uti colligitur ex ejus ad Mathildem comitissam epistola, qua levitatis, astutiae, occultae ambitionis Desiderium accusat[2]). Aestu quodam ad invectivas ejusmodi abreptus fuit Hugo, qui ipse pontificatum dicebatur ambire. Demum die 22° Martii anni 1087 in synodo Capuana Victor III Cardinalium, episcoporum et principum precibus eo adductus est, ut insignia pontificia resumeret. Die 9° Maji Romae solemniter consecratus, et a saniori civium parte susceptus fuit. Partem vero civitatis tenebat Guibertus antipapa.

4. Quamvis corpore infirmus et difficultatibus undique pressus, excitavit tamen Victor III in Italia magnum exercitum, qui contra Saracenos Afros, Italiam continuo infestantes, profectus est, eosque ingenti clade affecit. Mense Augusto Pontifex habuit Capuae synodum, in qua iterum *investiturae* sub anathemate *prohibitae sunt.* Con- Synodus Capuana.

[1]) Id referunt Wido Ferrariensis, Paulus Bernriediensis et Petrus Cassinensis; sed Otto Ostiensis (Urbanus II) non meminit Desiderii, scribens in epist. ap. Hugonem Flaviacensem servata: „Ille (Gregorius VII) secum aliquantulum cogitans haec illis verba dedit: Quemcunque horum trium, Lucensem scilicet episcopum, Ostiensem aut archiepiscopum Lugdunensem habere poteritis, in Pontificem eligite.“ V. Watterich I. 472, 473. — Otto Ostiensis et Hugo Lugdunensis parum electioni Desiderii favebant.

[2]) V. Epist. ap. Watterich I. 562

questus etiam est Victor amare de Hugone Lugdunensi et de Richardo abbate Massiliensi, quod quum ipsi ambitione incitati pontificatum appeterant, eum calumniis prosecuti sint, seseque a communione ipsius et Cardinalium sejunxerint. Quum illi igitur, ut opinabatur, a Romana ecclesia sua sponte sejuncti essent, praecipit, ut fideles ab eorum communione abstinerent [1]). Excommunicationem stricto sensu non videtur Victor III in eos tulisse; caeterum testatus est Hugo in epistola altera ad Mathildem: *Scire vos volumus, ab unitate eorum qua in corpore sanctae Ecclesiae ad serviendum beato Petro divina dignatione compacti sumus, nec discessisse, nec in perpetuum Deo miserante discessuros, imo habere propositum, Apostolicae Sedis profectibus modis omnibus deservire* [2]). Absoluta synodo, Victor secessit Cassinum, ubi jam brevi post, die 16° Septembris anni 1087, extremum diem piissime obiit.

B. Urbanus II. 5. Quum Guibertus antipapa urbem teneret, post mortem Victoris III Romae novi Pontificis electionem facere non licebat. Sed post menses aliquot Terracinae in Campania convenerunt Cardinales, atque unanimiter die 12° Martii anni 1088 in Pontificem electus est Otto Cardinalis Ostiensis ex Gallia oriundus, quem tum Gregorius VII commendaverat, tum Victor III moriens, quamvis ei Otto aliquando adversatus fuisset. Pontifex *Urbanus II* vocatus est, et Gregorii vestigiis insistens magna cum virtute Ecclesiam rexit usque ad annum 1099. Duodecim habuit variis in locis concilia, et contra schismaticos, multis cum aerumnis, sedem Apostolicam strenue defendit. Gallos, itinere in Franciam suscepto, maxime Sedi Apostolicae junxit, res ecclesiasticas ibi disposuit, ad bellum sacrum eos evocavit, idque effecisse dixeris, ut subsequentes etiam Pontifices in Gallia praesertim, obortis difficultatibus, protectionem auxiliumque quaererent et invenirent.

[1]) V. Watterich, I. 568.
[2]) Ap. Watterich, I. 564.

6. Sed modo locus non est prosequendi singillatim egregia Urbani II facta, quum quae in controversia de investituris evenerint nobis propositum sit enarrare. Etiam Urbanus II igitur investituram sub poena excommunicationis prohibuit; imo ipse interdixit quoque, quominus episcopi *hominium ligium* principibus praestarent. In concilio Claramontano videlicet anno 1095 habito Urbanus statuit can. 15°, *ut nullus ecclesiasticorum aliquem honorem e laicali manu suscipiat*; can. 16° interdicit, *ne reges vel alii principes aliquam investituram de ecclesiasticis honoribus faciant*; can. 17° vetat, *ne episcopus vel sacerdos regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat*[1]. Designatur hisce solemne illud juramentum hominii, quod episcopi principi, quando investiebantur ut alii vasalli, genibus flexis et manibus suis insertis manibus principis, praestare solebant, ita ut stricto sensu ejus *homines* seu vasalli fierent. Homagium autem ejusmodi ea aetate ita a principibus accipiebatur, ut praetenderent, eo obligari praesules ad absolutam erga ipsos obedientiam in omnibus, ita quidem ut eorum mandatis se subjicere deberent. Vi hujus homagii principes passim episcopis prohibebant, quominus synodis interessent; si ipsi ab episcopis corripiebantur, id veluti perjurium habebant, et vincula ordinis et disciplinae ecclesiasticae dissolvebant. Praesules vero Germaniae Henrico IV addicti, praetendebant, se ob hujusmodi homagium regi praestitum ipsius ex partibus merito stare. Urbano autem anno 1095 causa specialis erat, quae eum excitaret, ut ejusmodi hominium interdiceret. Cum anno superiori ab Angliae rege Gulielmo II (Rufo) s. Anselmus Cantuariensis archiepiscopus licentiam poposcisset Romam proficiscendi, petendi pallii ergo, abrupte responderat rex, necdum se Urbanum pro Pontifice habere; infringi vero fidem sibi debitam, everti regiam sedem, diadema capite excuti, si ante sui sese ulli devoverent Pontifici quam eum ipse approbasset; regni se denique sui finibus ablegaturum, quicumque jubente se Urbano nun-

Hominii ligii prohibitio.

[1]) Labbe X. 506.

cium remittere non essent parati. *Si Urbanum aut quemlibet alium sine mea electione et auctoritate in regno meo pro Papa suscipis aut susceptum tenes, contra fidem quam mihi debes facis, nec in hoc me minus offendis, quam si coronam meam mihi tollere conaberis. Unde scias, in regno meo nullum te participium habiturum, si non apertis assertionibus probavero, te omnis obedientiae subjectionem Urbano pro voto meo negaturum*[1]. Quum igitur Urbanus videret, talem arrogantiam principum praesertim provenire ex hominii juramento illis ab episcopis praestito, homagium illud stricti vasallitii ab ecclesiasticis praestandum prohibuit.

Concilium Rom. a. 1099.

7. Ingeminata fuit ea prohibitio in concilio Romano anno 1099, eaque ab Urbano subjuncta est ratio, quod episcoporum manus divinis altaribus consecratae non deberent vilescere amplexu servili earum manuum, quae toties humano sanguine, toties sordidantur libidine. *Excommunicavit*, scribit Rogerius de Hoveden, *etiam eos, qui pro ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt, dicens, nimis execrabile videri, ut manus quae in tantam eminentiam excreverant, ut quod nulli Angelorum concessum est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent, et eumdem ipsum pro salute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel stultitiam detrudantur, ut ancillae fiant earum manuum, quae diebus et noctibus obscoenis contactibus inquinantur, sive rapinis ac injustae sanguinis effusioni addictae maculantur. Et ab omnibus acclamatum est: Fiat, fiat*[2]. Eadem ratione, indignum esse episcopis hominium, etiam Paschalis II paulo post confirmavit, et jam Hincmarus eadem fere verba scripserat contra usum regum, ut ab episcopis ejusmodi juramenta postularent[3].

---

[1]) Eadmer Hist. nov. L. 1. V. Thomassini disciplina P. II. L. II. c. 49. n. 2.

[2]) Annal. L. I. ad a. 1099. V. Thomassinum l. c.

[3]) In epistola ad Ludovicum regem Germaniae anno 858 scripsit: „Et nos episcopi Domino consecrati non sumus hujusmodi homines, ut sicuti homines saeculares in vasallitico debeamus nos cuilibet commendare, aut jurationis sacramentum, quod nos evangelica et apostolica at-

8. Sedis Apostolicae ac synodorum decretis Philippus I rex Francorum paruit, solemnem dimittens investituram quae annuli et baculi traditione fiebat, liberasque episcoporum electiones esse sinens, quamvis regalium seu feudorum investituram absque hac solemnitate conferret, eorumque ratione juramentum fidelitatis, non solemne hominium, exigeret. Talem fuisse rerum statum in Gallia, colligitur ex epistolis Ivonis Carnutensis, et inde quod Paschalis II, Urbani successor, in Gallias confugerit, Ludovici Crassi regis praesidium adversus Henricum V imploraturus. Atque ex ratione agendi praesulum Galliae satis patet, prohibitione investiturae et hominii non id intentum Pontificibus fuisse, ut solverent episcopos ab obligationibus variis, quas ratione feudorum regalium habebant, neque praesules ipsos denegasse regi servitia debita praestare. Hoc factum in quaestione de investituris summi momenti est; praeclarum autem ejus argumentum habetur ex verbis, quae Gulielmus Campellensis, episcopus Catalaunensis, ad Henricum V direxit. Quum videlicet a. 1119 Calixtus II ad sedem Petri evectus esset, statim post inaugurationem suam Guilelmum hunc et Pontium abbatem Cluniacensem misit ad Henricum V de pace et concordia inter regnum et sacerdotium cum eo acturos. Propensum ad pacem animum sibi esse significavit Imperator, modo sine imminutione imperialis auctoritatis eam conciliari posse ostenderent. Tum Catalaunensis episcopus ei dixit: *Si veram pacem, domine rex, habere desideras, investituram*

Investitura dimissa in Gallia

que canonica auctoritas vetat, debeamus quoquo modo facere. Manus enim chrismate sacro peruncta, quae de pane et vino aqua mixto per orationem et crucis signum conficit corpus Christi et sanguinis sacramentum, abominabile est, quidquid ante ordinationem fecerit, ut post ordinationem episcopatus saeculare tangat ullo modo sacramentum. . . Et si aliquando sacramenta ab episcopis exacta aut facta fuerunt contra Deum et ecclesiasticas regulas, quae Spiritu s. dictatae et Christi sunt sanguine confirmatae, irrita s. Scripturae paginis declarantur, et exigentes atque facientes medicamento exinde salutaris poenitentiae indigent." V. Thomassin. l. c. cap. XLVIII. n 7.

episcopatum et abbatiarum omnimodis dimittere te oportet. Ut autem in hoc nullam regni tui diminutionem pro certo teneas, scito me in regno Francorum electum, nec ante consecrationem nec post consecrationem aliquod suscepisse de manu regis; cui tamen de tributo, de militia, de telonio, et de omnibus quae ad rempublicam pertinebant, et antiquitus scilicet a regibus christianis Ecclesiae Dei donata sunt, ita fideliter deservio, sicut in regno tuo episcopi tibi deserviunt, quos hucusque investiendo hanc discordiam, imo anathematis sententiam, incurristi [1]).

Investitura in Anglia.

9. Sed jam ad eventuum seriem redeamus. — In Anglia Guilelmo I anno 1087 defuncto successit ejus filius Gulielmus II, qui usque ad annum 1100 regnavit. Homo ferox et violentus, dum morbo graviter decumberet, suffecit quidem a. 1093 s. Anselmum Lanfranco Cantuariensi episcopo anno 1089 defuncto. Leges tamen Ecclesiae contempsit, nec solum investituras retinuit, sed etiam fructus vacantium ecclesiarum percipiebat suosque in usus convertebat, et propterea diu illas sinebat vacare, ut regaliae praetextu reditibus illorum diutius frueretur. Urbanum II ceu legitimum Pontificem non agnoscebat nec volebat ab Anglis agnosci, donec Walterus Albanensis episcopus ab Urbano missus in Angliam legatus, apud regem effecit, ut illum ceu B. Petri successorem et Christi vicarium coleret, et in toto regno coli juberet. Oeconomia cum feroce principe utendum fuit, ac revera usus est Urbanus II ratus, schismatis metu tolerandum aliquandiu abusum investiturae, quin regem excommunicaret. In synodo Barensi (a. 1098) multae accusationes in regem ob oppressionem et venditionem ecclesiarum prolatae sunt, et aegre s. Anselmus supplicibus precibus tunc ab Urbano II obtinuit, ut Gulielmum anathemate non percelleret. — Anno 1100 repentina morte sublatus est Gulielmus, in Ecclesiae quidem communione toleratus, caeterum impoenitens.

10. Henrici I in regnum Gulielmi fratris successio spem fecit maximam, fore ut Ecclesia paululum respiraret

[1]) Cfr. Natal. Alex. saec. XI. Diss. IV. art. XVI.

ae libertatem recuperaret, atque s. Anselmus maxime adlaboravit ut id obtineretur. Attamen Henricus I, quamvis fratre mitior, investituras et hominium dimittere recusavit; multas vero aerumnas ob illam causam s. Anselmus sustinuit. Romae per plures annos de negotio isto tractatum est; rex enim missis legatis Pontificem urgebat, ut antiquae consuetudines non tollerentur. Postremo tamen renuntiavit investiturae, hominium autem dimittere noluit. Tunc Paschalis, ut majora vitaret mala, Urbani II decretum pro Anglia temperavit, ita quidem ut investiturae a rege penitus dimittendae essent, hominium vero ei praestandum permitteretur vel potius toleraretur, donec regis cor ad meliora inclinaretur. Adhibet videlicet Paschalis in epistola ad Anselmum haec verba: *Si qui vero deinceps praeter investituras* (i. e. omissis investituris) *ecclesiarum praelationes assumpserint, etiamsi regi hominia fecerint, nequaquam ob hoc a benedictionis munere arceantur, donec per omnipotentis Domini gratiam ad hoc omittendum cor regium tuae praedicationis imbribus molliatur*[1]).

11. In Germania, usque ad mortem Henrici IV (Aug. 1006), turbatus rerum ecclesiasticarum status perduravit. Guibertus antipapa quidem anno 1100 mortuus est, et qui post eum in Italia (haud concurrente Henrico IV) pseudopontifices electi fuere, Theodoricus (1100) et Albertus (1102) mox capti et dejecti sunt. Sed nihilominus Henricus IV et magna pars principum et praesulum Germaniae in schismatica oppositione contra Romanum Pontificem perseverarunt, atque rex continuavit arbitrario modo episcopos et abbates constituere eosque investire[2]). Anno 1105 factio imperialis etiam Romae denuo antipapam

Germaniae conditio.

[1]) V. Natal. Alex. l. c. art. VII.

[2]) „Primum locum gratiae apud Imperatorem habebant nobiles et speciosae abbatissae et moniales, necnon et aliae mulieres forma et genere clarissimae, quae idcirco curiam sequebantur, eo quod venalis eis esset pudicitia et decus formae, et ad earum favorem et intercessionem darentur episcopatus, abbatiae, praepositurae, et caeteri ecclesiastici honores." Vita Conradi Episc. Salzburg. c. 2. ap. Pez Anecdot. III. 224; Gieseler K. G. II. 2. p. 39.

creavit Meginulfum quemdam sub appellatione *Silvestri IV*; qui usque ad a. 1111 sese Paschali opposuit. Sed paucos habuit asseclas et mox Roma pulsus est.

Henricus V Imp.

12. Quum Henrico IV e throno dejecto ac brevi post defuncto successisset Henricus V, is initio quidem visus est pacem cum Ecclesia quaerere, sed investituras dimittere ipse et principes Germaniae recusarunt. Paschalis anno 1106 in synodo Guastallae habita denuo investituras prohibuit. Dein vero iter in Galliam suscepit, atque eo misit Henricus V legatos, ut cum Pontifice de pace tractaretur. Isti legati, episcopi videlicet plures et Welfius Bavariae princeps cum aliis proceribus, anno 1107 Paschalem convenerunt Catalauni ad Matronam (Marne) in Gallia, et episcopus Trevirensis hisce regis postulata protulit: *Talis est domini nostri Imperatoris pro qua mittimur causa. Temporibus antecessorum nostrorum sanctorum et apostolicorum virorum, magni Gregorii et aliorum, hoc ad jus Imperii pertinere dignoscitur, ut in omni electione hic ordo servetur, antequam electio in palam proferatur ad aures domini Imperatoris proferre, et si personam deceat, assensum ab eo ante factam electionem assumere, deinde in conventu secundum canones petitione populi, electione cleri, assensu honoratorum proferre: consecratum libere, nec simoniace, ad dominum Imperatorem pro regalibus ut annulo et virga investiatur redire, fidelitatem et hominium facere. Nec mirum; etenim civitates eum et castella, marchias, telonea, et quaeque imperatoriae dignitatis nullo modo aliter debere occupare. Si haec dominus Papa sustineat, prospere et bona pace regnum et Ecclesiam ad Dei honorem inhaerere.* — Sed Paschalis II hisce acquiesci non posse, merito censuit. *Super his igitur Dominus Papa consulte oratoris episcopi Placentini voce respondit: Ecclesiam pretioso I. C. sanguine redemptam et liberam constitutam, nullo modo iterato ancillari oportere. Si Ecclesia eo inconsulto praelatum eligere non possit, cassata Christi morte ei serviliter subjacere; si virga et annulo investiatur, quum ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare; si sacratas dominico corpore et sanguine*

Negotiatio de Investituris.

manus laicis manibus gladio sanguinolentis obligando supponant, ordini suo et sacrae unctioni derogare[1]).

13. Dein Paschalis II circa ascensionem Domini, ait Ekkehardus, *concilium non modicum apud Trecas habuit, ubi inter multa, quae pro tempore et necessitate corrigenda correxit, sententiam de libera pastorum electione, et de coërcenda laicorum in ecclesiasticas dignitates praesumptione juxta praedecessorum suorum decreta promulgavit.* Henricus V interea in Lotharingia degebat, atque iterum legatos, forte eosdem, misit Treeas ad summum Pontificem, *per quos tam ipsi, quam universae synodo potestatem constituendorum episcoporum privilegiis apostolicis Carolo Imperatori concessam notificaret. Super qua quaestione, quia in alieno regno quidquam diffiniri Henricus non patitur, inducium sibi totius sequentis anni spatium Romam veniendi eamdem causam generali concilio ventilandi, concedunt*[2]). Rex Angliae Henricus I aegre tulit, quod Paschalis Germaniae regem, quamvis investituras daret, non excommunicabat, idque per s. Anselmum Pontifici significavit. Paschalis vero respondit, se pro tempore tantum ipsi parcere et exspectare ejus obedientiam, caeterum vero se etiam in eum decreta Ecclesiae vindicaturum esse. Ex altera parte carpit Gieseler Pontificem, quod quum Henrico Angliae regi hominium ab episcopis exigendum permisisset, illud Henrico V permittere recusaverit[3]). Sed advertendum est, mentem Paschalis fuisse, ut pro Anglia ad tempus tantum toleraretur hominium, eumque litteris ad Anselmum significasse se sperare, regem renuntiaturum esse hominio postulando. Unde quum ageretur cum Henrico V de integro illo negotio pendente, merito insistebat Paschalis, ut Pontificum decreta plene observarentur.

Synodus Trecensis a. 1107.

[1]) Sugerius de Vita Ludovici Grossi, Pertz M. G. VI. 242 et Watterich l. c. II. 42. Errat sane Sugerius, dum Brunonem episcopum Trevirensem inducit dicentem, praesulem *consecratum* baculo et annulo investiri. Investitura enim fiebat in Germania ante consecrationem, nec supponi potest in re notissima Brunonem voluisse decipere Pontificem.

[2]) Ekkehard. Chron. ad a. 1107.

[3]) Gieseler, K. G. l. c. p. 54. n. 14.

14. Rex per aliquot annos bellis et domesticis negotiis detentus fuit ab itinere Romano suscipiendo, ac propterea Paschalis indulgentia in eum usus est. Anno autem 1109 Henricus V se ad expeditionem Romanam, ut Imperator coronaretur, accinxit, et ista de re inter ipsum et Pontificem actum est. Decreta contra investituras Paschalis in synodo Lateranensi die 7 Martii a. 1110 renovavit, ita Imperatori satis significans, ipsum, nisi renuntiaret investituris, coronam Imperii suscepturum non esse. Mense Augusto anni 1110 expeditionem in Italiam Henricus incepit, superioris Italiae partes rebelles sibi submisit, Florentias divertit, atque inde tempore hiemali versus Romam cum copiis suis profectus est. — Quum Aretias pervenisset, Romam misit legatos cum litteris ad cives, senatum ac Pontificem, et a Paschali II aliquot proceres ac dignitarii constituti sunt, qui cum legatis Imperatoris de coronatione agerent.

Expeditio Henrici V in Ital.

15. Quum Pontificis deputati, quorum caput erat Petrus Leonis nobilis Romanus, postulassent, ut rex investituras dimitteret, missi regis reposuerunt, id fieri non posse ob multa feuda et regalia, quae in manibus episcoporum erant. Tum Pontificis deputati proposuerunt, ut praesules omnia feuda et regalia regi cederent, contenti allodiis ecclesiarum, oblationibus fidelium, et proventibus beneficiorum quae ecclesiis propria erant, utque eo pacto rex ab investitura desisteret, et electiones liberae essent. Hoc videlicet Paschalis, apostolici viri, erat consilium ad inextricabiles de investituris difficultates solvendas. Censebat, potius esse ut praesules et ecclesiae provinciis et latifundiis illis, divitiis atque honoribus, quae ex feudis et regalibus proveniebant, destituerentur, utque pauperiores quidem, sed servitiis etiam saecularibus liberi, ecclesiastica tantum tractarent: quam ut investiturae et dependentia servilis ecclesiarum persisterent. Erat autem ejusmodi consilium nobili quadam pietate insigne, et Pontifice dignum: sed minus versatum dixeris fuisse Paschalem in negotiis saeculi tractandis, minusque cognovisse statum

Paschalis consilium.

rerum in Imperio, et Imperatoris ac praesulum Germaniae sensus.

16. Ad constitutionem videlicet et indolem regni Teutonici, quod systemate feudali nitebatur, pertinebat, ut praesules ecclesiastici multa feuda, ducatus, comitatus, regalia, et magnam potentiam politicam haberent. Jam ex pluribus saeculis ipsi reges et Imperatores id arte politica perfecerant, quum vasallos ecclesiasticos fidos esse persuasum haberent, eisque contra vasallos principes saeculares, passim seditiosos, tuto niti possent. Ipsam administrationem Imperii vidimus post mortem Henrici III maxime episcopis commissam fuisse. — Nulli porro commodo erat Henrico V, ut possessiones illae amplissimae seu feuda praesulum et abbatum ipsi redderentur. Nam juxta usum temporis mox principes et proceres laicos iis investire debuisset, vasallosque habuisset novos sed minus fideles, adeoque potestatem suam regiam potius minuisset. Praeferebat proinde, ut praesules illa feuda retinerent, sed ita ut simul eorum electio ab ipso penitus dependeret et strictissimo illi tenerentur vasallitio. Quod vero ad episcopos attinet, qui fere omnes ex nobilissimis familiis orti erant et jam assueti dominationi temporali, praevideri poterat, ipsis maxime exosum fore, si locupletissima feuda cum honore suo ac dignitate principum Imperii cedere deberent, ipsosque protestaturos esse, id minime accipi posse et statum Imperii ea ratione penitus turbatum iri. — Sed neque proceribus laicis ejusmodi dispositio accepta esse poterat. Nam alii proceres feuda ecclesiastica habebant ab episcopis ipsis commissa, quae ex ejusmodi conventione ad regem rediissent; alii vero praelatos ecclesiasticos investiebant ut feudatarios suos quibusdam bonis, quae immediate ad ipsos, non vero ad regnum pertinebant; et jus atque honorem ejusmodi investiturae ipsi perdere nolebant. Ita igitur pactum quod a deputatis Pontificis proponebatur, systemati feudali quo Imperii Teutonici constitutio nitebatur valde oppositum erat, summisque difficultatibus obnoxium. — Sed legati regis et ipse Henricus hac in re arte callida sese gesserunt, eoque tetenderunt, ut

Obstacula magna.

rex ad conventionem paratus videretur, quidquid in ea odiosum erat ad Pontificem devolveretur, ac postremo, quod praevidebant futurum, ab ipsis episcopis et proceribus regni pactum illud rejiceretur. Sperabant, se hac ratione Pontificem eo adducturos esse, ut rebus haud mutatis nihilominus Henricum in Imperatorem coronaret.

17. Itaque quum legati regis observassent, praesules ejusmodi dispositiones non accepturos esse, responderunt Paschalis legati, Pontificem ad hoc eos adacturum esse mandatis suis, ipsa die coronationis Henrici. Conventio igitur facta est in qua de investituris sic habebatur: *Rex scripto refutabit omnem investituram omnium ecclesiarum in manu domni Papae in conspectu populi et cleri in die coronationis suae. Et postquam domnus Papa fecerit de regalibus sicut in alia charta scriptum est, sacramento firmabit, quod nunquam se de investituris ulterius intromittet et dimittet ecclesias liberas cum oblationibus et possessionibus quae ad regnum manifeste non pertinent.* — In altera autem charta scripta erat Paschalis Papae promissio: *Si rex adimpleverit domno Papae sicut in alia conventionis chartula scriptum est, domnus Papa praecipiet episcopis praesentibus in die coronationis suae, ut dimittant regalia regi et regno, quae ad regnum pertinebant tempore Caroli, Lodoici, Heinrici, et aliorum praedecessorum ejus, et scripto firmabit cum anathemate auctoritate sua et justitia, ne quis eorum vel praesentium vel absentium, vel successores eorum intromittant se vel invadant eadem regalia, id est civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, teloneum, mercatum, advocatias regni, jura centurionum et curtes, quae manifeste regni erant, cum pertinentiis suis, militiam et castra regni. Nec ipse regem et regnum super his ulterius inquietabit, et privilegio sub anathemate confirmabit, ne postea sui inquietare praesumant* [1]. Dein Henrici legati et Pontificis missi simul profecti sunt Sutrium quo Henricus jam pervenerat, ut

Conventio facta.

---

[1]) Ap. Watterich, II. 50, 51.

cum ipso de illo pacto ageretur. Ibi (Sutrii) *legati Apostolici*, scribit Ekkehardus, *cum missis regis advenientes* (nuntiarunt), *promptum esse Papam ad consecrationem et omnem regis honorem et voluntatem, si tamen ipse sibimet annueret libertatem ecclesiarum, laicam ab illis prohibens investituram, recipiendo nihilominus ab ecclesiis ducatus, marchias, comitatus, advocatias, monetas, thelonea, caeterorumque regalium quae possidet summam. Praebuit rex assensum, sed eo pacto, quatenus haec transmutatio firma et authentica ratione, consilio quoque vel concordia totius ecclesiae ac regni principum assensu stabiliretur; quod etiam vix aut nullo modo fieri posse credebatur*[1]). Rex videlicet protestatus est, *se nolle Ecclesiam spoliare bonis suis*, ut hac ratione odium rei in Pontificem devolveretur, simulque fecit conditionem assensus praesulum et principum regni. Probabibile tamen est, cum haud tam expressis verbis exegisse consensum praevium illorum, ita ut Paschalis censere potuerit, sufficere eos auctoritate Apostolica et censuris ad acceptationem conventionis adigere. Atque in hunc finem ipse praeparavit decretum, seu *privilegium* Henrico V Imperatori die coronationis concedendum. In eodem fusius exponitur, sacerdotes non decere negotia, curas, divitias saeculares. *In regni autem vestri partibus*, inquit Pontifex, *episcopi vel abbates adeo divitiis saecularibus occupantur, ut comitatum assidue frequentare et militiam exercere cogantur. Quae nimirum aut raro aut nunquam sine rapinis, sacrilegiis, incendiis aut homicidiis exhibentur.* Describit dein, quomodo ob feuda illa inoleverit investitura ante consecrationem, fons simoniae et ambitionis et obstaculum libertatis electionum; eamque merito a praedecessoribus damnatam esse edicit. Postremo ecclesias exinde plane liberas esse decernit, regi autem ab episcopis restituenda omnia feuda atque regalia, (uti in formula superius citata continetur)[2]).

Regis tendentia dolosa.

[1]) Ekkeh. ad a. 1111. ap. Watterich. II. 48.

[2]) V. Privilegium hoc, quod non promulgatum fuit, ap. Watterich. II. 55.

18. Hisce ita compositis ac praeparatis Henricus V sabbato ante Quinquagesimam, die 11° Februarii, usque ad urbis vicinia profectus, altera die dominica, 12° Februarii, magna cum solemnitate a Romanis exceptus et ad ecclesiam s. Petri adductus est, ut in Imperatorem coronaretur. Paschalis II ad gradus superiores ecclesiae cum Cardinalibus et episcopis juxta morem eum excepit, statimque ritus praeliminares coronationis incepti sunt. Rex juramentum solitum fecit; a Pontifice Imperator designatus, et in ecclesiam introductus est. *Post ingressum basilicae,* aiunt Annales Romani, *cum in rotam porphyreticam pervenisset, positis utrimque sedibus consederunt. Pontifex refutationem investiturae et caetera quae in conventionis charta scripta fuerant, requisivit, paratus et ipse quae in alia conventionis charta scripta fuerant adimplere* [1]. Tunc Henricus scriptum legi fecit, quo protestabatur, se quae praedecessores sui ecclesiis concesserant, nullo modo iis subtrahere velle [2]; ut hac ratione odium totius negotii in Pontificem referret. Dein petiit, ut Paschalis proponeret decretum seu privilegium, quo feuda ac regalia ecclesiarum ipsi et regno redderentur; quatenus post haec ipse investituris solemniter renuntiaret, ac dein post coronationem illud privilegium publicaretur. Quum episcopi et proceres illud decretum conspexissent et audiissent, vehemens commotio et oppositio exorta est, ex quo colligere licet, eos in discussione et dispositione hujus negotii inter Henricum et legatos Pontificis facta partes non habuisse. Henricus cum eis ad deliberandum in aliam partem ecclesiae secessit: sed episcopi recusarunt magna cum vehementia regalia regi restituere illumque modum solutionis difficultatum admittere. Rex id sane praevidit; tunc vero etiam ipse noluit juramentum de investiturae demissione peragere, sed postulavit, ut dilata quaestionis discussione, nihilominus in Imperatorem coronaretur.

Difficultates Romae exortae.

---

[1]) Ap. Watterich, II. 55,

[2]) Decretum Heinrici de bonis ecclesiarum, ap. Watterich, l. c.

19. Quum Paschalis II renueret Henrici postulatis obsequi, rex iratus in ipsa ecclesia s. Petri Pontificem militibus cinxit, ac dein ex ecclesia deductum cum Cardinalibus clericisque pluribus sub custodia detinuit. Romae atrox pugna inter Germanos et Romanos facta est, atque ex utraque parte plura millia ceciderunt. Tertio die Henricus ab urbe recessit, sed captivos secum abduxit Pontificem pluresque Cardinales et alios comites. *Pontifex autem cum duobus episcopis, Sabinensi videlicet et Portuensi et Cardinalibus quatuor apud Trebicum, caeteri vero Cardinales apud Crocodilum in custodia tenebantur*[1]). *Latinorum vero nullus cum eodem Pontifice audebat colloqui. Custodiebatur autem a magnatibus Imperatoris, ab ipsis etiam et obsequebatur; ad ultimum vero tam causa suspectionis, quam et concordiae gratia reductus est in castra. Fuit autem idem Apostolicus in eodem carceris ergastulo diebus sexaginta et uno*[2]). Paschalis II captivitas.

20. Paschalis diu firmissime obstitit regi postulanti, ut investitura ipsi permitteretur, paratus etiam vitam dare pro Ecclesiae salute; sed tandem ut majora mala averteret regi cessit. *Caeterum domnus Papa*, aiunt Annales Romani, *facilius vitam exponere, quam investituris episcopatuum et abbatiarum consentire malebat, quamvis ille per investituras illas non officia quaelibet, sed sola regalia se dare assereret. Proponebantur Pontifici captivorum calamitates, qui amissis liberis et uxoribus domo et patria exules durioribus compedibus arcebantur. Proponebatur ecclesiae Romanae desolatio, quae paene omnes Cardinales amiserat. Proponebatur gravissimum schismatis periculum, quod paene universae Latinorum Ecclesiae immineret. Victus tandem miseriis filiorum, laborans gravibus suspiriis et gemitibus et in lacrymas totus effusus: Cogor, ait, pro Ecclesiae liberatione ac pace hoc pati, hoc permittere, quod pro vita mea nullatenus consentirem*[3]). Porro rex ipse ad genua Pontificis provolutus

[1]) Annales Romani, ap. Watterich, II. 62.
[2]) Petrus Casinensis, ap. Watterich, l. c.
[3]) Ap. Watterich, II. 64.

veniam postulavit de injuria facta, et enixe petiit, ut ipsi jus investiendi concederetur.

Paschalis cedit Henrico.

21. Hisce omnibus igitur flexus est Paschalis, atque Henrico concessit, ut regni sui episcopos et abbates, sine violentia et sine simonia electos, per annulum et baculum pastoralem investiret, simulque promisit, se nunquam regem ob violentias peractas et ob investituras excommunicaturum esse. Henricus rex jurejurando spopondit, se captivis libertatem, Romanis pacem, Ecclesiae patrimonia et possessiones, et Pontifici obedientiam redditurum. Conventionem confirmarunt sedecim Cardinales, qui cum Pontifice captivi tenebantur, et ex parte regis plures episcopi et proceres qui in ejus comitatu erant. Nec tamen rex passus est, ut quae ipse promiserat de electione *libera* episcoporum in ipsa juramenti formula insererentur, sed tantum annuit ut Paschalis verbis apponeret conditionem hac ratione: *Juramenta haec ideo facimus, ut vos illa quae parati estis faciatis et observetis.* — Rebus ita compositis omnes Romam redierunt, et die 13° Aprilis anni 1111 Paschalis II Henricum V in Imperatorem coronavit in ecclesia s. Petri. Dein Imperator in Tusciam profectus est[1]).

[1]) Miro modo quidam illius aevi auctores Henrici V in Paschalem II violentiam excusare conati sunt. Ita Ekkehardus ad a 1111: „Post haec quae gesta sunt longissimum est enarrare; utpote quam immensa honorificentia sit (Henricus receptus et per argenteam portam usque ad mediam rotam antiquo Romanorum instituto deductus, ibique lectis publice privilegiis, tumultuantibus in infinitum principibus prae ecclesiarum spoliatione ac per hoc beneficiorum suorum ablatione, quam ingenti periculo, quam varia disceptatione tota dies ille consumpta sit, et postremo Pater Apostolicus ab episcopis et aliis fidelibus regis sit custoditus usque ad pacatam et ecclesiasticam consecrationem Imperatoris, in exemplum patriarchae Jacob dicentis ad angelum: Non dimittam te nisi benedixeris mihi." — Ekkehardus vero haec habet ex narratione Davidis Scoti, qui Henricum ut historiographus comitabatur. „Iter illud ad Romam, scribit Gulielmus Malmesburiensis, David Scotus Bancornensis episcopus exposuit, magis in regis gratiam, quam historicum deceret, acclinis. Denique et inauditam violentiam, quod Apostolicum cepit, quamvis libere custodierit, laudi ducit, ab exemplo, quod Jacob, angelum violenter tenens, benedictionem ab eo extorserit." V. Watterich, II, 48.

22. Privilegium quod Henricus V a Paschali II extorsit quoad investituram haec habebat: *Illam igitur dignitatis praerogativam, quam praedecessores nostri praedecessoribus tuis, catholicis imperatoribus, concesserunt et privilegiorum paginis confirmaverunt, nos quoque dilectioni tuae concedimus et praesentis privilegii pagina confirmamus, ut regni tui episcopis vel abbatibus, libere praeter simoniam et violentiam electis, investituram virgulae et annuli conferas. Post investitionem vero canonicam consecrationem accipiant ab episcopo, ad quem pertinuerint. Si quis autem a clero et populo praeter tuum assensum electus fuerit, nisi a te investiatur, a nemine consecretur. Sane episcopi et archiepiscopi libertatem habeant a te investitos episcopos vel abbates canonice consecrandi. Praedecessores enim vestri ecclesias regni sui tantis regalium suorum beneficiis ampliarunt, ut regnum ipsum maxime episcoporum praesidiis vel abbatum oporteat communiri, populares dissensiones quae in electionibus saepe contingunt, regali oporteat majestati compesci. Quamobrem prudentiae et potestatis tuae cura debet sollicitius imminere, ut Romanae ecclesiae magnitudo et caeterarum salus, praestante Domino, beneficiis potioribus conservetur. Si qua igitur ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae concessionis paginam sciens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, anathematis vinculo, nisi resipuerit, innodetur, honorisque ac dignitatis periculum patiatur. Observantes autem misericordia divina custodiat, et personam potestatemque tuam ad honorem et gloriam suam feliciter imperare concedat. Amen*[1]. Hujusmodi privilegium certe magna pro Ecclesia involvebat pericula. Concedebatur enim regi, 1° ut investiret praelatos: 2° ut sine ejus consensu nemo episcopus vel abbas fieri posset. Hoc ipso autem libertas electionis quam rex promittebat admodum periclitabatur, quum denegatione consensus rex impedimenta continuo ponere posset. Quum vero 3° investitura concederetur per baculum et annulum, uti jam identidem animadvertimus, via sternebatur opinioni, potestatem quoque spiritualem

Privilegium ab Henrico V extortum.

[1]) V. Watterich l. c. II. 66.

praesulum dimanare a potestate civili; saltem vera principia non sufficienter asserebantur.

Dissensio exorta. 23. De hoc privilegio concesso a Paschali II Henrico V mox magna, tum Romae, tum in aliis regionibus, dissensio orta est. Plures Cardinales, inter quos Ostiensis et Tusculanus, et multi episcopi praefatum privilegium ceu conciliorum canonibus et praecedentium Pontificum decretis oppositum, et paucorum tantum Cardinalium consilio datum, improbarunt et irritum dixerunt; alii invalidum illud censuerunt, quod vi extortum esset; alii vero recte concessum contenderunt. In Italia justo vehementius contra illud pactum reclamavit Bruno Segniensis episcopus et abbas Cassinensis, qui non solum pietati ac religioni, sed etiam fidei, illud oppositum esse scripsit. Qua in re tum ipse tum alii qui similia dixerunt manifeste errarunt. *Non est enim haeresis*, scribit breviter et accurate Baronius, *ipsos investituras dispensando concedere, sed asserere atque defendere, de jure esse et debere fieri per laicos investituras, id haeresis est, quum id sit falsum dogma, bonis moribus et sacris Patrum institutionibus repugnans, in Ecclesiam introducere*[1]. Vehementia Brunonis, viri caeteroquin sanctitate insignis, eum suspectum reddidit Paschali. Metuebat Pontifex, ne monachos Cassinenses in suas partes traheret et turbarum auctor fieret. Quapropter eum removit a monasterii regimine, quod cum episcopatu retinere absque Sedis Apostolicae dispensatione non poterat.

24. Caeterum Paschalis ipse quum videret, tum Romae tum alibi ac praesertim in Gallia privilegium Henrico concessum omnino improbari, et dissensiones invalescere, quantum potuit malis remedia apta afferre studuit. Variis litteris Cardinales aliosque praesules compescere conatus est, attestans, se pro bono Ecclesiae coactum fecisse quod fecerat, et jam cassare et irritare statuta[2].

[1] Ad a. 1112. n. 14.

[2] Ita in epist. ad Guidonem Viennensem, et ad Ivonem Carnutensem. V. Watterich. II. 71. 72.

Atque mox concilium Romae convocavit, ut statueretur, qua ratione in his adjunctis difficillimis agere conveniret. Habita est synodus die 18° Martii anni 1112 ac sequentibus diebus; adfuerunt autem plus quam centum episcopi, praesertim Itali, ac multi abbates et alii clerici. Ex Gallia advenerant Gerardus Engolismensis episcopus, deputatus a Guidone Viennensi metropolita, et Gualo episcopus Legionensis, missus a metropolita Biturigarum.

25. „Die autem quinta (synodi) idem Pontifex (Paschalis) narravit omnibus, qualiter ab Henrico Teutonicorum rege cum episcopis quibusdam et Cardinalibus tam presbyteris quam diaconibus, et cum magna tam Romanorum quam aliorum, qui tunc secum convenerant, multitudine captus fuerit, et quamquam coactus, contra deliberationem suam fecerit pro redemptione captivorum, pro pace populi, pro libertate Ecclesiae, ut supradicto regi de investituris quas saepius prohibuerat scriptum concessionis daret, et juramenta per episcopos seu Cardinales fieri praeciperet, quatenus nec de investituris deinceps eum inquietaret, nec in personam ejus anathema poneret. Quamvis, ait, conditio juramentis proposita ab ipso et suis minus observata sit, (neque enim servaverunt nobis quod ab eis juratum est), ego tamen eum nunquam anathematizabo et nunquam de investituris coërcitionis instantia repellam. Habet judicem Dominum. Porro scriptum illud, quod, magnis necessitatibus coactus, non pro vita mea, non pro salute aut gloria mea, sed pro solis Ecclesiae necessitatibus sine fratrum consilio aut subscriptionibus feci, super quo nulla conditione, nulla promissione constringimur, prave factum cognosco, prave factum confiteor, et omnino corrigi Deo praestante desidero. Cujus correctionis modum fratrum qui convenerunt consilio judicioque constituo, ne forte per hoc in posterum detrimentum aliquod Ecclesiae, animae meae judicium relinquatur. Tunc communi omnium favore laudatum est, ut fratres omnes qui donum a Deo sapientiae scientiaeque perceperant, maturius super hoc consilium communi collatione susciperent, quod inse- Synodus Romana a. 1112.

quenti die per inspirationem sancti Spiritus responderent"[1]). Ex his vides, Paschalem ipsum prudenti oeconomia et humilitate ductum synodo commisisse dispositionem hujus negotii, adeoque ex iis quae acta sunt contra Pontificis Romani auctoritatem et primatum nihil posse inferri.

Privilegium damnatur.

26. „Die itaque sexta, quae et ultima concilii fuit (23 Martii), fidei suae veritatem sanctis Patribus per omnia congruentem domnus Papa Paschalis in audientia totius concilii exposuit, asserens, se Scripturas sanctas veteris ac novi Testamenti et Concilia universalia veneranda suscipere ac venerari, quae catholica Ecclesia suscipit et veneratur. In calce etiam ejusdem professionis adjiciens: Praedecessorum nostrorum quoque statuta sequentes, maxime Gregorii VII et Urbani II, quod damnaverunt, damnamus; quod prohibuerunt, prohibemus; quod statuerunt, statuimus; quod confirmaverunt, confirmamus. Tunc ex ore omnium, qui ad consulendum hesterna deliberatione convenerant, Engolismensis episcopus Gerhardus hanc in scripto sententiam recitavit: Privilegium illud, quod non est privilegium, sed vere debet dici pravilegium, pro liberatione captivorum et Ecclesiae a domno Papa Paschali per violentiam Heinrici regis extortum, nos omnes in hoc sancto concilio cum domno Paschali Papa congregati, canonica censura et ecclesiastica auctoritate, judicio sancti Spiritus damnamus, et irritum esse judicamus, atque omnino cassamus, et ne quid auctoritatis et efficacitatis habeat, penitus excommunicamus. Et hoc ideo damnatum est, quia in eo privilegio continetur, quod electus canonice a clero et populo a nemine consecretur, nisi prius a rege investiatur, quod est contra Spiritum sanctum et canonicam institutionem. — Perlecta vero hac carta, acclamatum est ab universo concilio: Amen! Amen! Fiat. Fiat"[2]).

27. Hac ratione opportune videbatur esse provisum, ne qua detrimenta Ecclesia pateretur. Attamen plures

[1]) Ex Cod. Cencii; V. Watterich. II. 73. nota 3.
[2]) Ibidem.

praesules, praesertim in Gallia, actis non penitus acquieverunt. Volebant videlicet, ut investiturae tanquam haeresis damnarentur, utque Henricus V a Paschali anathemate et excommunicatione plecteretur. Ac fervore intempestivo abrepti nonnulli episcopi etiam convenientem in Sedem Apostolicam reverentiam laeserunt. Guido Viennensis metropolita et Sedis Apostolicae legatus mense Octobri anni 1112 synodum habuit, in qua privilegium Henrico datum rescidit, ipsum Imperatorem anathemate feriit, et decreta edidit contra investituram. Hujus concilii Patres minus accurate aiunt: *Investituram episcopatuum et abbatiarum et omnium ecclesiasticarum rerum de manu laica, S. R. Ecclesiae auctoritatem sequentes haeresim esse judicamus.* Synodicam vero epistolam ad Paschalem dedit metropolita Viennensis suo et aliorum, qui concilio interfuerunt, episcoporum nomine, qua ipsum rogarunt, ut synodolia decreta confirmaret; sed parum caute et reverenter quasdam minas adjicere ausi sunt. *Illud autem,* scribunt, *cum debita reverentia vestrae suggerimus pietati, quia si nobiscum in his steteritis, si, ut rogamus, confirmaveritis, si deinceps ab ipsius crudelissimi tyranni et nuntiorum ejus litteris, locutione, muneribus abstinueritis, unanimiter nos, sicut decet, habebitis filios et fideles. Si vero, quod minime credimus, aliam viam aggredi coeperitis, et nostrae parvitatis assertiones praedictas roborare nolueritis, propitius sit nobis Deus, quia nos a vestra subjectione et obedientia repellitis*[1]). Aestui cuidam inconsiderato haec adscribenda sunt, nec certe eo processissent praesules illi, ut ausu schismatico a Romano Pontifice se separarent. — Paschalis autem ne irritaret hos praesules, brevi epistola et generali modo eorum zelum laudavit et decreta comprobavit. Vehementia quorumdam praesulum.

28. Eodem tempore Joannes archiepiscopus Lugdunensis et Galliae primas indixit magnum concilium nationale Ansae celebrandum, in quo de investituris et de privilegio a Paschali concesso ageretur, atque ad hanc syno-

[1]) Vide haec ap. Watterich, II, 77.

dum etiam aliarum provinciarum episcopos convocavit. Sed praesules provinciae Senonensis venire recusarunt, tum quod censerent, Joannem in illa convocatione jura sua excedere, tum quod nollent de Romani Pontificis actis disceptationem institui. Dederunt hac in re ad Joannem epistolam, cujus auctor fuit s. Ivo Carnutensis. Is in eadem Paschalis defensionem suscepit, quatenus ostendit, investituras haeresim dici non posse, Pontificem ob ea quae peracta erant haud esse injuriis lacessendum, sed ob coactionem excusandum, eo vel magis quod ipse libertatem electionis servari voluerit, ac demum jam privilegium illud revocaverit. — Synodus ista haud celebrata est; Joannes tamen respondit epistola acriori ad Dambertum archiepiscopum Senonensem, qua jura sua vindicare et illorum rationes infirmare studuit.

Excommunicatio Henrici per Cunonem legatum.

29. Ne de aliorum scriptis illis in adjunctis editis loquamur, advertendum est, plures qui contra privilegium Henrico concessum insurgebant, non tam in Paschalem, quam contra Henricum regem insurrexisse, quem excommunicandum contendebant. Quod adhuc currente ipso anno 1111 fortiter aggressus est Cuno Cardinalis episcopus Praenestinus, legatione Apostolicae Sedis in Oriente fungens, qui, audito Henrici sacrilegio, convocata mox Hierosolymis synodo, eumdem Imperatorem excommunicavit: et confestim advolans in Occidentem, eodemque legationis munere circumquaque provincias lustrans, collectis in Graecia, Hungaria, Saxonia, Lotharingia, Francia synodis, eamdem excommunicationis sententiam repetiit. — Paschalis vero, uti diximus, noluit ipse excommunicationem in Henricum pronuntiare. Passus est, ut Imperator a Cunone aliisque legatis suis excommunicaretur, sed dum generatim approbabat, quae illi *ex auctoritate ipsius* faciebant, abstinuit, ut in specie illam excommunicationem confirmaret. Difficultates, quae Paschali a viris fervidis excitabantur in toto isto negotio, permagnae erant, et aegre Pontifex, vir caeterum plane insignis et dignissimus, ex iis se extricare potuit.

30. Anno 1116 mense Martio iterum Romae concilium habitum est, ad quod tum permulti episcopi Italiae, tum praesules complures ex aliis regionibus deputati convenerunt. De variis quidem negotiis ecclesiasticis, maxime vero de investituris actum est. Sessione tertia concilii Paschalis denuo exposuit, quomodo adductus sit, ut *pro liberatione populi Dei* Henrico privilegium istud investiturae concederet. *Feci autem ut homo*, inquit cum magna humilitate, *quia sum pulvis et cinis. Fateor, me male egisse, sed rogo vos omnes orare pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum quod in tentoriis factum est, quod pro pravitate sui pravilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate, ut nullius sit unquam bonae memoriae, et rogo vos, ut omnes idem faciatis.* — *Tunc ab universis acclamatum est: Fiat, fiat!* — *Bruno autem Signinus episcopus altius exorsus ait: Gratias agimus omnipotenti Deo, quod Domnum Paschalem Papam, qui praesenti concilio praesidet, audivimus propria ore damnantem illud pravilegium quod pravitatem et haeresim continebat.* — *Ad haec quidam cavillatorie subjunxit: Si privilegium illud haeresim continebat, qui illud fecit haereticus fuit.* — Joannes autem Cajetanus, praesul et Cardinalis, qui cum Paschali captivus fuerat et postea eum in pontificatu secutus est, ad hoc commotus Signino respondit: *Tune hic et in concilio, nobis audientibus, Romanum Pontificem appellas haereticum? Scriptum quod fecit Domnus Papa malum quidem fuit, sed haeresis non fuit.* — *Et alter quidam adjecit: Imo nec malum dici debet, quia si liberare populum Dei bonum est, quod Domnus Papa fecit, bonum fuit.* — Paschalis vero ipse accusatione haeresis pariter commotus, dissidentium clamores et murmura tali ratione compescuit: *Fratres et domini mei audite! Ecclesia ista nunquam habuit haeresim; imo hic omnes haereses conquassatae sunt. . . . Pro hac ecclesia Filius Dei in passione sua oravit, cum dixit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*[1]. — Vides, Synodus Rom. a. 1116.

[1] Ekkehardus ad a. 1116 ap. Watterich. II. 83.

infallibilitatem Romanorum Pontificum strenue a Paschali vindicatam fuisse.

Damnatio Investiturae.

31. In quarta sessione synodi, ut penitus privilegium Henrico V factum aboleretur, Paschalis *iterans sententiam Papae Gregorii VII. investituram ecclesiasticarum rerum a laica manu rursus excommunicavit sub anathemate dantis et accipientis.* Quum vero dein urgeretur a Cunone Cardinali, ut confirmaret ea quae ille ut legatus Pontificis fecerat, confirmavit generatim ea quae tum ipse tum alii legati, *hujus Sedis et nostra auctoritate fecerunt.* Censemus, illis verbis Pontificem implicite restrictionem posuisse quoad excommunicationem Henrici. Prudenti autem oeconomia siluit dein Pontifex ad ea quae Cuno subjunxit. Exposuit videlicet, se in quinque synodis Henricum exommunicasse, quumque sua gesta approbet Pontifex, se petere a synodi Patribus, ut pariter ea confirmarent. Idem petierunt legati Guidonis Viennensis. Maxima Patrum pars petitis consensit: decretum tamen hac de re non factum est, nec Paschalis sententiam suam modo magis speciali et aperto protulit[1]. — Qualiter Pontifex quoad excommunicationem Henrici se habuerit, colligi potest ex iis quae scribit Ekkehardus ad annum 1117: *Rex Heinricus non cessat legationes satisfactorias ad Apostolicam Sedem, licet ipse multum infestationibus Italicis insudans, destinare; quos tamen constat minime profecisse. Nam Domnus Apostolicus propter securitatem quam regi, licet coactus, fecerit, diffitetur, illum se anathematis vinculo colligasse, ab Ecclesiae tamen potioribus membris excommunicationem connexam, nonnisi ipsorum consilio denegat se posse dissolvere, concesso nimirum utrimque synodalis audientiae jure. Ad hoc enim affirmat, se quotidie litteris impelli et maxime metropolitani Moguntini*[2].

32. Paschalis II paulo post synodum a. 1116 habitam, exorta in Urbe seditione, Roma discessit, vicesque suas pro tractanda concordia cum Imperatore, qui Italiam

[1] Ibidem l. c. [2]) Watterich, II. 86.

ingressus ad Urbem properabat, commisit Mauritio Burdino archiepiscopo Bracarensi in Hispania, qui eo tempore Romae degebat. Anno 1117 mense Martio Henricus V Romam advenit: multos Romanos jam promissis atque muneribus sibi devinxerat, ita ut honorifice ab ipsis reciperetur. Praetendebat autem, se velle componere lites inter ipsos et Pontificem ortas. Tres Cardinales ad Imperatorem deputati ab eo petierunt, ut investiturae renuntiaret, utque hoc pacto concordia restitueretur; sed respondit Henricus, regale hoc antiquissimum a se dimitti non posse. Burdinum autem Imperator in suas traxit partes; quumque festa paschalia magno cum splendore Romae perageret, Burdinus, uti moris erat, solemniter ei coronam imposuit veluti Pontificis vices gerens [1]. Ubi vero Paschalis accepit, Burdinum plane Imperatoris partibus se addixisse, Beneventi mense Aprili anni 1117 eum excommunicavit. Henricus V mox, quum calores Romae ingravescerent, Urbem reliquit et in Longobardiam profectus est. Paschalis II vero a Romanorum parte ipsi addicta revocatus, ineunte anno 1118 partem Urbis (civitatem Leoninam) occupavit. Sed brevi post morbo correptus, die 21° Januarii anni 1118 sancta fine quievit. Henricus V Romae.

33. Quod attinet ad modum agendi Paschalis, dum angustiis pressus Henrico V privilegium investiturae concessit, uti ipsius aetate, ita etiam posteriore tempore alii severius alii benignius ista de re judicarunt. Illud certissimum est, Paschalem haud ex ignavia quadam vel ob commodum temporale cessisse, sed quod censeret illis in adjunctis hac concessione Ecclesiae liberationi providendum ac majora esse mala vitanda. Nec canonum rigore ipse absolute inhibebatur, quominus ita ageret, quum auctoritate apostolica Romanos Pontifices dispensatione et indulgentia uti posse, nemo sit qui ignoret, illudque principium frequenter etiam a Pontificibus proclamatum sit illis, qui ecclesiasticae disciplinae vindices acerrimi fuerunt. Pru- Expenduntur Paschalis II acta.

[1]) Haec non fuit nova aliqua Imperatoris coronatio, sed coronae impositio, qualis in celebrioribus festis fieri solebat.

dentiae et oeconomiae practicae quaestio agebatur, in qua Paschalis eam indulgentiae elegit viam, quae ipsi opportuna, imo necessaria videbatur; simulque adhibere studuit cautelas, quibus pericula atque abusus, quantum fieri posset, averterentur. Quum vero nihilominus mox jura et auctoritatem Ecclesiae nimium ea concessione periclitari multi censerent, episcopi resisterent, et aestu fervoris intempestivi aliqui etiam viri insignes vehementius Pontificem increparent, ita ut unio ecclesiarum convelli videretur, merito privilegium istud rescissum et abolitum fuit.

34. Apte quae hac in re in Paschalis favorem adverti possunt, colligit Annotator Natalis Alexandri, dum Gallicani hujus auctoris severiorem de Paschali sententiam carpit. „Quamvis, inquit, Paschalis in concilio a se convocato rei formam quodammodo assumpserit, quia Henrico Imperatori investiturarum privilegium concesserat, non defuerunt tamen qui tunc etiam ab omni culpa illum vindicaverint. Primo igitur in eodem privilegio electionum libertatem sartam tectamque esse decrevit, omnemque ab eis simoniam eliminando solius assensus regii necessitatem indulsit: cum his vero conditionibus alii etiam sanctissimi Imperatores investiturarum jure fruiti erant. Quod deinde praestitit Paschalis, non ob criminabilem indulgentiam factum unusquisque agnoscet, si observet, quod si prudenti dispensatione ab iis quae statuerunt sui praedecessores non recessisset, non solum contra se irreligiosi Imperatoris iram concitasset, sed etiam ipsam Ecclesiam in dirae persecutionis et irreparabilis dissensionis discrimen redegisset. Quot vero suppetunt in ecclesiastica historia monumenta, quibus cognoscimus, non semel ex prudentiae et caritatis legibus canonum observantiam fuisse dimittendam? Potuit proinde, imo debuit Paschalis absque eo quod violatorum canonum reus haberetur, in illacrimandis illis circumstantiis, in quibus ipse et Ecclesia universa tunc versabatur, canonum observantiam dispensare. Ut quid ergo necesse erat tot canones seu monita suorum praedecessorum, quae recenset Natalis, prae oculis habere, ex quibus patrati delicti gravitatem mensuraret, quum et ipsi canones ipsorum

Pontifex merito excusatur.

rigorem relaxandum praeciperent, quoties ipsorum observantia in perniciem potius Ecclesiae deserviret? Si proinde supra caeteros decet Romanum Pontificem ss. canones inviolatos servare, debuit Paschalis ab ipsorum rigore recedere, ne ingruentium gravissimorum malorum auctor haberetur. Caeterum si conveniens est Ecclesiae regulas Romanum Pontificem inspicere, non ita praestare tenetur, quia superiori conditae sint potestate, . . . sed quia, quid ad spirituale gubernium conducat, ostendunt. Quod si nihilominus Paschalis rei potius personam induit, id ipsius humilitati tribuendum, quo etiam cum sui dimissione exorta in Ecclesia dissidia non erubuit removere. Voluit etiam ad aliorum scandalum eliminandum quod coactus fecerat rescindere, et quamvis episcoporum judicio non subditus, ut observavit Ivo aliique praesules, . . . in concilio proponere non abstinuit, quod emendandum judicavit" [1]).

35. In successorem Paschalis II die 25° Januarii 1118 legitime electus fuit Joannes Cajetanus Cardinalis diaconus, et R. Ecclesiae sub Victore III, Urbano II et Paschali II fere per quadraginta annos Cancellarius. Appellatus est ipse *Gelasius II*. Hunc Cencius Frangipani, vir in Urbe potens, qui cupiebat alium creari Pontificem, ex improviso aggressus est, vi irrumpens in ecclesiam monasterii Palladii, ubi electio facta erat. Pontificem *distraxit, pugnis calcibusque percussit, et tanquam brutum animal intra limen ecclesiae acriter calcaribus cruentavit, et catenis constrictum in domo sua custodiae tradidit*[2]). Mox tamen a proceribus et a populo Cencius coactus est, ut Pontificem libere dimitteret. Is in Laterano palatio resedit, consecratio tamen aliquantisper dilata est, quum Gelasius tantummodo diaconus esset. Romam adveniente brevi post Henrico V, Gelasius Cajetam in patriam suam se recepit, ubi die 9° Martii in presbyterum ordinatus et die 10° Martii in

Gelasius II R. P.

[1]) In saec. XI et XII. Dissert. IV. art. XIII. Nota.

[2]) Pandulphus Pisanus Gelasii familiaris in ejus *Vita*, apud Muratori Script. Rer. Ital. T. III. p. 384.

Pontificem consecratus est. Miserat Henricus V ad Gelasium legatos, qui petebant, ut privilegium a Paschali datum a Pontifice confirmaretur. Abnuit Gelasius II, sed synodum mense Octobri Mediolani vel Cremonae indixit celebrandam, ut de lite inter Imperium et Sacerdotium ageretur. Imperator autem quum haec ad eum relata essent, scelera sceleribus cumulans Mauritium Burdinum episcopum Bracarensem die 8° Martii inaugurari fecit Pontificem sub nomine Gregorii VIII. Paulo post Henricus V in Longobardiam et inde in Germaniam remeavit.

Gelasii II gesta et mors. 36. Gelasius II Capuae synodo habita die 7° Aprilis a. 1118 Imperatorem ejusque antipapam excommunicavit, idemque factum est in Germania synodis a Cunone Cardinale et ab Adalberto episcopo Moguntino habitis. — Tempore aestivo Pontifex magis ut peregrinus quam ut dominus reversus in Urbem, divertit apud amicos. Cum autem in tuto Romae esse non liceret, in Galliam profectus est, auxilium petiturus a rege Ludovico VI contra pseudopontificem, qui Romam tenebat, et contra Imperatorem. Ibidem mense Januario synodum celebravit Viennae, indeque Clunium profectus ac morbo correptus in isto monasterio brevi post, die 29° Januarii a. 1119, ad meliorem vitam transiit. *Quo quidem post martyres*, ait Baronius, *qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitae tempore majora sit passus ob idque praeclariori corona donandus atque celebrioribus fuerit praeconiis celebrandus*[1].

37. Gelasius mortali morbo decumbens commendavit in successorem Cunonem Cardinalem episcopum Praenestinum, acerrimum defensorem jurium Ecclesiae. Sed is magna cum prudentia onus pontificatus atque honorem declinavit, eo quod censeret, auxilio et saeculari virtute divitiarum Romanam Sedem sub persecutionis flagello afflictam defendi oportere et muniri[2]; forte etiam quod

[1]) Ad a. 1119, n. 2.
[2]) Falco Benevent. in Chronico: V. Pagii Breviar. ad *Calixtum II.*

perspiceret, electionem ipsius, adversarii fervidioris Imperatoris, concordiae restituendae obstaculum maximum fore. Hinc electus est, suadente Cunone, Guido Viennensis archiepiscopus, natione Burgundus, frater ducis Burgundiae, vir utique religiosus, in divinis Scripturis eruditus et saecularium litterarum non ignarus, simulque prudentia animi, potentia et nobilitate saeculari pollens, regibus Galliae et ipsi Imperatori consanguinitate junctus. *Calixtus II* ipse appellatus est, Viennae die 9° Februarii coronatus, et brevi tempore, rejecto Burdino, in tota Ecclesia agnitus fuit ut Pontifex. Tolosae synodum peregit die 8° Julii, in qua disciplinam ecclesiasticam firmavit, aliudque praeparavit concilium Rhemis celebrandum, ut, si fieri posset, concordia cum Imperio restitueretur. Calixtus II R. P.

II.

De exitu controversiae quoad Investituras.

38. Sub pontificatu Calixti II diuturna de investituris controversia demum feliciter composita fuit. Praecesserunt tamen concordiae pactum variae ac difficiles inter Pontificem et Imperatorem negotiationes. De his imprimis aliquanto accuratius agendum est, ut melius intelligatur, qua ratione paulatim via sit praeparata ad Concordatum Wormatiense paulo post confectum, quo pax inter Ecclesiam et Imperium restituta est. Ad Imperatorem igitur, qui Argentorati (Strasburgi) versabatur, legatos misit Calixtus Guilelmum Campellensem episcopum et Pontium abbatem Cluniacensem, qui Henrico persuadere conati sunt, ab ipso *sine diminutione jurium Imperii* investituram posse dimitti et ita pacem confici [1]. Imperator haud alienus videbatur ab ineunda pace et investituris Legatio ad Imperatorem.

[1] Cfr. hujus Dissert. n. 9.

dimittendis. Re enim cum consilio communicata, respondit, se his acquiescere, *modo fidem et justitiam apud summum Pontificem inveniret,* et veram pacem ipse et sui, possessionesque hujus dissidii occasione amissas reciperent. Henricus dein profectus est Triburem, ubi comitia Imperii cum principibus habuit (mense Junio). Calixtus II ibi agnitus fuit ut Pontifex a Germaniae praesulibus, qui etiam Rhemensi synodo se adfuturos promiserunt. — Rebus confectis, Henricus V in Galliam reversus est, ut et ipse synodo Rhemensi interesset.

39. Deputavit interim Calixtus II duos Cardinales ad Imperatorem, ut accuratius convenirent cum eo de concludenda concordia. Hi occurrerunt Henrico Virdunum inter et Metas, et jam duplex conventio conscripta et admissa fuit, altera in qua Imperator promittebat: *Ego Henricus . . . dimitto omnem investituram omnium ecclesiarum, et do veram pacem omnibus, qui ex quo discordia ista coepit, pro Ecclesia in guerra fuerunt.* — Promittitur dein restitutio possessionum amissarum. — In altero documento statuebat Pontifex: *Ego Calixtus II . . . do veram pacem Henrico Romanorum Imperatori Augusto et omnibus, qui pro eo contra Ecclesiam fuerunt vel sunt.* Dein pariter redditio bonorum quae ab illis amissa fuerant promittebatur. Statutum porro est, ut die 24° Octobris ad Mosonum (Mouzon) Pontifex et Imperator ad colloquium convenirent et tunc pacta firmarentur.

Synodus Rhemensis.

40. Rhemas rediere legati, ubi Calixtus II die 20° Octobris, praesentibus Ludovico VI Galliae rege multisque ex Italia, Gallia, Germania, Anglia episcopis concilium aperuit. Luculenta oratione exorsus est, in qua multa de pace praeclare dixit, seque ad eam Ecclesiae et Imperio procurandam omnibus eniti studiis significavit. Se quoque nihil non acturum declaravit, *ad simoniacam haeresim quae maxime per investituras contra Ecclesiam Dei inmorata erat,* consilio et auxilio patrum eliminandam. Tum Ostiensis et Catalaunensis episcopi, qui ad Imperatorem pro negotio pacis missi fuerant, jubente Papa legationis

suae exitum et pacta utrimque firmata coram sacro consessu exposuere. Die concilii altera Pontifex in crastinum se Mosonum profecturum significavit, ad colloquium cum Imperatore, prout inter ipsos convenerat, ineundum et pacem Ecclesiae concludendam, se vero quantocius rediturum ad conventionem pacis patrum sententia confirmandam, si fieret, vel ad fraudis auctorem, si promissis non staret, Ecclesiae fulminibus conterendum eorum judicio[1]).

41. Die 22° Octobris profectus Calixtus II, sequenti die Mosonum pervenit, invenitque Imperatorem cum triginta millibus militum castra posuisse apud villam Beureliacum prope civitatem. Insidias veritus statuit ipse remanere Mosoni in arce munita, et consiliarios legatos mittere ad Imperatorem. Archiepiscopos porro, episcopos, abbates caeterosque viros sapientes, quos secum maximo numero duxerat, convocavit et pacta utrimque conventa denuo legi et expendi jussit. De scripto Imperatoris praesules illa verba scrupulosius examinaverunt: *Dimitto omnem investituram omnium ecclesiarum.* Censuerunt, Imperatorem, si non sincere ageret, subtili cavillatione postea contendere posse, se non dimisisse nisi *ecclesiae* investituram, seu investituram ad fideles regendos; atque ita eum posse adhuc sibi vindicare investituram per baculum et annulum ad feuda et regalia tradenda, eoque praetextu continuare consuetos abusus. Sensum igitur esse accurate determinandum. In scripto Pontificis haec verba ponderarunt: *Do veram pacem regi, et omnibus qui cum eo in guerra ista fuerunt vel sunt.* Timebant nempe, ne forte his verbis amplius quid intelligerent, quam reddendam Ecclesiae communionem, et Ecclesia suscipere cogeretur praesules, quos aut superpositos legitimis pastoribus, aut canonice depositos sine gravi offensione sustinere non posset. Conventus Musoni habitus.

[1]) Vide haec in *Hessonis scholastici de concilio Rhemensi relatione*, M. G. Scr. XII. 422—428. ap. Watterich l. c. T. II. p. 127 sqq. Cfr. Natal. Alex. l. c art. XVI.

42. Omnibus discussis, Pontifex plures Cardinales et praesules misit ad Henricum. qui sensu conventionum accurate determinato et ipsa formula expresso, Imperatorem urgerent, ut firmaret promissa et concordiam definitivo modo iniret. Fecere ut habebant in mandatis. Sed Henricus cavillationibus usus est. Primum negavit, se talia promisisse (quae in novis formulis exprimebantur). Unde colligere licet, ipsum revera in animo habuisse, dolosa interpretatione pactorum, alio sub titulo, videlicet traditionis bonorum temporalium, investituram continuare. — Sed episcopus Catalaunensis juramento testatus est, testibusque coram Imperatore probavit, ipsum revera ista pollicitum esse, et data manu confirmasse. Tunc Henricus V, quum id jam negare non posset, conquestus est, tantum eorum consilio abreptum se pollicitum fuisse, *quod absque diminutione regni exequi non valeret.* Reposuit Guilelmus episcopus Catalaunensis, nullum detrimentum ejus auctoritati juribusque ex dimissione investiturae esse proventurum. *In promissis nostris,* inquit, *domine rex, per omnia nos fideles invenies. Non enim dominus Papa statum Imperii aut coronam regni, sicut quidam seminatores discordiae obloquuntur, in quolibet imminuere attentat; imo palam omnibus denuntiat, ut in exhibitione militiae et caeteris omnibus, in quibus tibi et antecessoribus tuis servire consueverant, modis omnibus deserviant. Si autem in hoc Imperii statum imminui existimas, quod ulterius tibi episcopatus vendere non liceat, hoc potius regni tui augmentum ac profectum sperare debueras, si quae Domino Deo contraria sunt pro ejus amore abjicias*[1]).

Calixtus Rhemas properat.

43. Rex quidem hisce mitigatus videbatur; sed identidem moras traxit, praetendens se investituras non posse dimittere, antequam cum omnibus principibus regni consilium habuisset. Calixtus II autem, quum regis dubiam fidem perspiceret, veritus est, ne sors Paschalis II et ipsi ab Imperatore pararetur. Quum jam aliquot dies exspectasset, die dominica 26º Octobris itineri ante diem se

---

[1]) V. Hessonis relationem l. c.; ap. Watterich II. 132.

committens equo vectus tanta velocitate Rhemos properavit, ut viginti leucis peragratis eadem die Missam ea in urbe celebraverit ac Leodiensem episcopum consecraverit. Feria secunda patribus congregatis causae de qua agebatur statum et Imperatoris fraudes per Joannem Cremensem Cardinalem exponi fecit: adfuit tamen ipse, quamvis aegre et valde defatigatus, synodi sessioni. Infirmatus ad feriam usque quartam quievit, et dein ea feria ac sequenti canones quinque contra simoniam et investituram confecti et promulgati sunt. — Qui simoniacam haeresim petebant, summo consensu sunt comprobati. Circa illum vero quo investiturae laicis interdicebantur, non levis contentio orta est. His nempe verbis conceptus erat: *Investituram omnium ecclesiarum et ecclesiasticarum possessionum per manum laicam fieri, modis omnibus prohibemus.* Multi laici et clerici reclamarunt, eo quod ipsis videretur hoc canone etiam prohiberi, quominus laici ea minora beneficia et decimas, quae ex diuturno tempore in ipsorum manibus erant et ab ipsis ut patronis vel alio titulo conferebantur, jam ulterius possiderent et conferrent. Calixtus II increpavit quidem vehementer obloquentes, attamen prudenti consilio decretum temperavit, et in hanc formam redactum canonem concilio legi jussit: *Episcopatuum et abbatiarum investituram per manum laicam fieri penitus prohibemus. Quicumque igitur laicorum deinceps investire praesumpserit, anathematis ultioni subjaceat. Porro qui investitus fuerit, honore quo investitus est absque ulla recuperationis spe omnimodis careat.* Ita conceptus canon omnibus placuit, et cum caeteris summo consensu promulgatus est. — Postremo Henricus V et Burdinus antipapa solemniter sunt excommunicati, et juramento fidelitatis absoluti quicumque Imperatori obstricti erant, nisi forte resipisceret et Ecclesiae Dei satisfaceret. Atque ita concilium dissolutum est[1], continuata vero discordia inter Imperium et Sacerdotium.

[1]) V. Natal Alex. l. c. art. XVI. — Discutitur eo loco etiam quaestio, cur nullo modo impetitus ibi fuerit Ludovicus VI Galliae rex. Supponunt quidam auctores, uti Petrus de Marca et ipse Natalis, etiam

Calixtus Romam proficiscitur.

44. Calixtus II adhuc per aliquot menses remansit in Gallia, ubi negotia varia ecclesiastica disposuit. Mense Martio anni 1120 in Italiam profectus est, et die 3° Junii summo omnium gaudio ingressus est Romam, ubi pars Pontifici fidelis praevaluerat. Burdinus antipapa Sutrium fugit, indeque Campaniae provinciam devastabat et peregrinos Romam pergentes vexabat. Sed evocati sunt a Calixto in auxilium Normanni, et ab eorum copiis Burdinus captus, ac die 23° Aprilis a. 1121 Romam ductus est. In eo jam erat multitudo, ut crudelem in antipapam vindictam exerceret; sed Calixtus eum furentium manibus eripuit, et includi fecit monasterio Cavensi, ubi mortuus est, quin usurpato pontificatui renuntiasset.

45. Interim in Germania discordia civilis perduravit. Partis Henrico V oppositae dux erat Adalbertus archiepiscopus Moguntinus, vir in negotiis gerendis valde versatus, qui aliquando fuerat Imperatoris cancellarius, ab eoque ad sedem Moguntinam promotus. Sed jam inde ab aliquot annis parti alteri se junxerat. Juvat autem advertere, quaenam fuerint eo tempore diversorum quoad investituras tendentiae. Imperator Henricus pertinacius investituras tuebatur, eo quod in constituendis episcopis (Imperii principibus) usurpata et abusu inveterata jura, quae cum investituris maxime cohaerebant, dimittere nollet. Praeterea vero his nexa erat vasallorum conditio stricta, in qua pariter praesules retinere omnino nitebatur. — Pontifex, Cardinales et episcoporum maxima pars, uti vidimus, plane abolendas volebant investituras episcoporum et abbatum; nec stricti vasallitii hominium permittendum esse censebant. Caeterum regi omnia servitia ratione feudorum et regalium debita, et in posterum esse praestanda, saepius Pontifex declaravit; nec dubium est, etiam influxum aliquem convenientem in electionem praesulum Ecclesiae eum non

Tendentiae variae.

in Gallia nondum omnem investituram fuisse dimissam, variasque dant quaestionis solutiones. Sed merito advertit Adnotator Natalis, Galliae reges jam renuntiasse omnino investiturae, et tantum juramentum fidelitatis postulasse

voluisse denegare Imperatori, quemadmodum in Gallia eum non repellebat. — Erant dein inter proceres tum ecclesiasticos tum laicos, qui abrogari quidem volebant simoniam et abusus in investitura occurrentes, necnon arbitrariam constitutionem episcoporum per Imperatorem; censebant tamen, ipsam investituram tolli non posse. Eam veluti elementum essentiale habebant collationis feudorum atque regalium, adeoque et constitutionis Imperii, quod systemate feudali nitebatur.

46. Invaluit tamen apud varias in Germania partes magis magisque desiderium pacis et concordiae. Petentibus principibus Henricus V abstinuit, ut ipse negotium istud disponeret, sed selecti sunt ex utraque parte varii proceres, qui tanquam arbitri statuerent, quibus conditionibus pax et concordia restitui possent. Etiam Calixtus II magnum prae se tulit desiderium litis componendae, quod praesertim manifestavit epistola valde benevola ad Henricum V consanguineum suum missa per Azzonem Aqui in Sardinia episcopum, qui pariter sanguine erat Imperatori propinquus. Missis igitur utrimque legatis et litteris, aliquanto tempore de negotio isto, haud sine magna difficultate, actum est. Resistebat vehementer Imperator, quominus renuntiaret investituris per baculum et annulum, donec ei concessum est, ut per praesentiam suam vel missorum suorum in electiones convenientem influxum haberet. Iis vero qui honorem et salutem Imperii abolitâ investiturâ periclitari censebant, satisfactum est ea ratione, ut distincta investitura ecclesiastica ab investitura profana, haec investitura, quae per sceptrum fieret et sola regalia spectaret, admitteretur. Praeparatur concordia.

47. Demum igitur mense Septembri anni 1122 generalis conventus Imperatoris, principum ac praesulum Wormatiae habitus est, cui adfuerunt ex parte Pontificis ut legati Lambertus Ostiensis Cardinalis episcopus, Saxo Cardinalis presbyter, et Gregorius Cardinalis diaconus. In quo conventu „incredibile memoratu est, quam prudenti, quam instanti, quam sollicito cunctorum procerum consilio, Conventus Wormatiensis.

pro pace et concordia per unam vel amplius hebdomadam certatum sit, donec ipse in cujus manu cor regis est, omnem animositatem Augusti sub Apostolicae reverentiae obedientiam causa matris Ecclesiae etiam ultra spem plurimorum inflexit. Ecclesiasticas investituras, caeteraque spiritualia negotia quae tanto tempore reges Teutonici administraverant, quaeque ipse, ne regni diminueretur honor, nunquam vitae comite se dimissurum proposuerat, humiliatus pro Christo coram multitudine maxima abnegavit, et in manus episcopi Ostiensis ac per ipsum Domino nostro Jesu Christo suaeque in perpetuum Ecclesiae dimisit"[1]). Aliqua vicissim Imperatori ob honorem et incolumitatem regni concessit Calixtus. Pacta scripto tradita et mutuis firmata subscriptionibus fuere ad robur memoriamque sempiternam, die 23° Septembris: simul a Lamberto Card. magna cum solemnitate sacra sub divo ad Rhenum ob ingentis multitudinis confluxum peracta sunt, et sub iis pace et Eucharistia data Henricus V Ecclesiae reconciliatus est.

Concordatum Wormatiense.

48. Is autem erat tenor conventionis, quae nomine *Concordati Wormatiensis* seu *Pacti Calixtini* designari solet:

Ego Henricus Dei gratia Romanorum Augustus, pro amore Dei et Sanctae Romanae Ecclesiae et Domini Papae Calixti, et pro remedio animae meae, dimitto Deo, et sanctis Dei Apostolis Petro et Paulo, sanctaeque catholicae Ecclesiae omnem investituram per annulum et baculum, et concedo in omnibus ecclesiis quae in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et regalia B. Petri, quae a principio hujus discordiae usque ad hodiernam diem, sive tempore patris mei, sive etiam meo, ablata sunt, quae habeo eidem Sanctae Romanae Ecclesiae restituo; quae autem non habeo, ut restituantur fideliter juvabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum et principum, et aliorum tam clericorum quam

[1]) Ekkehard. ad a. 1122; ap. Watterich l. c. II. 149.

laicorum, quae in guerra ista amissae sunt, consilio principum vel justitia, quae habeo, reddam, quae autem non habeo, ut restituantur fideliter jurabo. Et do veram pacem Domino Papae Calixto, Sanctae Romanae Ecclesiae, et omnibus qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt. Et in quibus Sancta Romana Ecclesia mihi auxilium postulaverit, fideliter jurabo, et de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam sibi faciam justitiam.

Ego Calixtus, servus servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni qui ad regnum pertinent, in praesentia tua fieri absque simonia et aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et provincialium consilio vel judicio, saniori parti assensum et auxilium praebeas. Electus autem regalia absque omni exactione per sceptrum a te recipiat, exceptis omnibus quae ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; et quae ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus infra sex menses regalia absque omni exactione per sceptrum a te recipiat, et quae ex his jure tibi debet faciat. Exceptis omnibus quae ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus vero mihi querimoniam feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum, auxilium tibi praestabo. Do tibi veram pacem, et omnibus qui in parte tua sunt vel fuèrunt tempore hujus discordiae. — Data anno 1122; IX. Kal. Octobris.[1])

49. Alterum quoque conventum paulo post, scilicet in festo s. Martini, Bambergae habuit Imperator, in quo a principibus qui priori pacto non subscripserant, Sacerdotii et Imperii concordia summo assensu et applausu confirmata est. Ex isto conventu oratores cum litteris Imperator ad Pontificem direxit, ad eumdemque Adalbertus quoque Moguntinus praesul epistolam dedit, ut a Pontifice confirmationem conventionis peterent. Quum fausta pacis initae nuntia Calixtus II accepisset, Henrico Imperatori Negotii finis.

[1]) V. M. G. Leg. t. II. p. 75. 76.

obedientiam per litteras *Omnipotenti Domino* die 13° Decembris anni 1122 datas gratulatus est, eumque rogavit, ut quantocius Sedis Apostolicae legatos cum suis oratoribus ad Concilium generale jam ab ipso Pontifice indictum mitteret, in quo tanti momenti negotium consummaretur.

Concilium Lateranense I.

50. Hoc *Concilium oecumenicum nonum*, Lateranense primum, sequenti anno 1123 Romae Calixto II praesidente celebratum est, quantum videtur inde a tertia Dominica Quadragesimae, die 18° Martii, usque ad diem 6um Aprilis. Adfuerunt plus quam trecenti episcopi. Finis Synodi fuit, 1° ut ea quae in Concordato de investituris et de concordia inter Imperium et Sacerdotium fuerant constituta, solemni modo confirmarentur; 2° ut Ecclesiae disciplina repressis abusibus instauraretur; et 3° ut bellum sacrum contra Saracenos in Oriente et contra Mauros in Hispania promoveretur. — Acta hujus Synodi non exstant, sed ex auctoribus coaevis colligitur, res feliciter ad exitum perductas fuisse. *Ordinato itaque Concilio tali et tanto,* scribit Falco Beneventanus in Chronico ad a. 1123, *Apostolicus ipse sacramenti privilegium quod praedictus Imperator constituerat pacis, in conspectu omnium qui convenerant adduci et legi praecepit. Continuo ab omnibus confirmatum est et commendatum*[1]).

51. In vulgatis porro Conciliorum editionibus viginti quinque numerantur canones de disciplina ecclesiastica, qui in hoc Concilio constituti sunt, et maxime honestatem vitae clericalis, matrimonia, bona ecclesiastica, jura episcoporum, indulgentias cruciatis concessas spectant. Plerique isti canones desumpti sunt ex antiquioribus conciliis atque constitutionibus Rom. Pontificum[2]).

Mors Calixti II.

52. Subsequenti anno 1124, die 13° Decembris, Calixtus II praematura morte ex hac vita ereptus est. Cujus memoria summa cum benedictione in Ecclesia catholica

1) V. Watterich l. c. II. 151.
2) Cfr. Hefele, C. G. V. § 612.

perseverat, utpote sanctissimi Pontificis, cui Deus dedit brevi licet temporis pontificatu adeo gloriosa peragere, et praedecessoribus inconcessa perficere, necnon Ecclesiam servitutis jugo depressam vindicare in pristinam libertatem. Henricus V autem brevi post defunctus est, videlicet die 23° Maji anni 1123.

Concordati indoles.

53. Restat, ut pauca de *indole* Concordati Wormatiensis animadvertamus. Fuerunt videlicet auctores qui censuerunt, minimum ac fere nihil post diuturnum certamen Calixti Pacto ab Ecclesia esse obtentum, adeoque immerito Pontifices tanto tempore cum Imperatoribus litigasse[1]). Inter alios etiam Cantù in sua Historia universali scribit: „Ici se termine le premier acte de la guerre des investitures; elle avait duré quarante ans, et avait été souillée de sang et d'intrigues ignobles. Toute la gloire de cet arrangement resta à Calixte, à cause de l'amour de la paix qu'il ne cessa de montrer; mais tout l'avantage en fut au pouvoir séculier, attendu que l'empereur ne céda sur aucune de ses prétentions, et que sa présence dans les élections lui permettait d'exercer en Allemagne une espèce de suprématie et de diriger les suffrages à son gré"[2]).

54. Haud mirum est, hanc esse sententiam clarissimi hujus auctoris, cujus opinionem de lite quoad investituras jam commemoravimus. Sed minus accurate haec asseri, agnoscet, qui controversiam de investituris et indolem Concordati Wormatiensis sedulo perpenderit. Ecclesia videlicet victoriam fere completam ista in re reportavit, quod auctores quoque illius aevi aperte agnoscunt atque proclamant. Obtinuit videlicet Ecclesia ea quae majoris momenti erant, ita ut ejus dignitas, auctoritas, jura, salva et sarta essent; prudenti autem oeconomia, seposito rigore justitiae, in quibusdam obsequium aliquod praestitit Imperatori. Atque 1° obtinuit Ecclesia, ut penitus aboleretur

[1]) V. Phillips. K. R. III. 1. § 126.
[2]) L. XI. Ch. XVIII.

Concordatum in bonum Ecclesiae.

investitura *per baculum et annulum.* Vidimus ista in re fuisse maximum periculum, quominus ea ratione auctoritas et jurisdictio ecclesiastica praesulum dimanare videretur a potestate civili, atque ecclesiae et dioeceses conferri ab Imperatore insita ipsi auctoritate. — 2⁰ Renuntiavit Imperator juri quod sibi ex consuetudine et usu plurium saeculorum vindicabat, constituendi pro suo arbitrio episcopos. Libertas electionum solemni modo concessa fuit adeoque agnitum et vindicatum jus Ecclesiae constituendi fidelibus pastores, quod jus eo tempore electione canonica exercebatur. Utrumque hoc caput summi momenti erat, tum quoad consecrationem verae doctrinae de auctoritate ac de juribus Ecclesiae, tum quoad modum practicum agendi. — 3⁰ Apte constituto discrimine inter investituram ecclesiasticam, et inter investituram saecularem et profanam per sceptrum, qua conferri tantum feuda et regalia manifestum erat, Ecclesia dum ejusmodi investituram Imperatori concessit, per se nullum auctoritatis et jurium suorum detrimentum patiebatur. Quamvis igitur etiam sine investitura, uti saepius Imperatori significatum fuerat, hujus jura salva fuissent et a praesulibus obervata, poterat tamen ei haec investitura per sceptrum convenienter concedi, quum acceptatio symboli magni momenti et veluti vadimonium fidelitatis haberetur. — 4⁰ In eo certe Pontifex prudenti oeconomia aliquid Imperatori indulsit, quod investituram per sceptrum in Germania ante consecrationem faciendam esse statueretur. Hac ratione enim Imperator dilatione investiturae personae electae minus gratae impedimenta quaedam ac difficultates parare poterat, et indirecte jam in electionem influxum quemdam habebat. Discrimen hac in re inter Germaniam et alias Imperii partes constitutum fuit, quia feuda et regalia praesulum Germaniae eorumque potentia civilis et politica multo majora erant, quam praesulum aliarum partium Imperii. Hinc quoad Germaniae episcopos privilegium speciale concedendum esse videbatur. — 5⁰ Indulsit Calixtus quoque aliquid ultra justitiae rigorem quoad influxum Imperatoris in electiones praesulum. Haud exiguus enim erat influxus, quem ex iis quae in conventione ei

concedebantur exercere poterat. Attamen conveniens videbatur, Imperatori in electione praesulum, qui simul erant principes regni magnamque habebant potestatem politicam, influxum concedere. Quod si hac in re plus principi indulsit Calixtus, quam anteriori tempore Pontifices videbantur permittere velle, id amori pacis et oeconomiae prudenti tribuendum est. Multum sane erat, quod solemni modo libertas electionum sancita et simonia proscripta esset, atque in casu discordiae juxta consilium et judicium metropolitani et episcoporum provincialium Imperator saniori parti assensum et auxilium praestiturus esset. Dum bona fides, uti in pactis convenit, in principe supponebatur, per se ex illis concessionibus aliquid mali non consequebatur, quamvis per accidens princeps minus probus illo influxu abuti posset. Hinc postea Pontifices etiam studuerunt eos adducere, ut renuntiarent praesentiae in electionibus. — 6° In eo quoque praevaluit indulgentia Ecclesiae et pacis desiderium, quod in Concordato Wormatiensi haud aboleretur *homagium*. Nihil de eo statuitur, et quamvis id parum conveniens episcopis haberent, tolerarunt tamen illud Pontifices. — Universim igitur statui potest, Concordatum Wormatiense insigni cum sapientia confectum, ac felici ratione eodem litem de investitutis compositam fuisse.

Index.

Index alphabeticus rerum.

C.

D.

E.

F.

A. M. D. G.